Res. 7785

acheté chez
P. Jammes
Paris 1969
Broché

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Res. 1785

COLLOQVIORVM FAMILIARIVM OPVS.

DES. ERASMO ROT. AVTORE.

LVGDVNI, APVD SEB. GRYPHIVM, 1542.

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
1969 A 2649
BIBL. UNIV. GENT

Biblioteca Nacional

D. ERASMVS ROT.

OPTIMAE SPEI PVERO Ioanni Erasmio Frobenio S. D.

VICIT libellus tibi dicatus expectationē nostram, Erasmi mellitissime: tuum erit uidere, ne fallas expectationem nostram. Ille sic adamatur, sic rapitur, sic teritur manibus studiosæ iuuentutis, ut & patri tuo fuerit subinde typis excudendus, & mihi nouis accessionibus idē tidem locupletādus, dicas & illum Ἐφάσμιον quēpiam esse, deliciasq; Musarum sacra colentiū: quo magis adnitendum erit, ut tu quoq; sis, quod diceris: hoc est, ut literis, & morum probitate sis omnibus bonis charissimus. Vehementer autē pudendum fuerit, si quum tam multos hic libellus, & Latiniores reddiderit, & meliores, tu cōmiseris, ut ad teipsum nō redierit eadem utilitas, quæ per te peruenerit ad omnes: quumq; tam multi sint adolescentes, qui tibi nomine Colloquiorū gratias agunt, non ne meritò censeatur absurdū, si tua culpa factū uideatur, quo minus mihi possis eodem nomine gratias agere? Accreuit libellus ad iustam uoluminis magnitudinem, tibi quoq; conandum est, ut quantùm accrescit ætas, tantùm accedat & honestæ eruditioni, & morū integritati. Sustines non uulgarē expectationem, cui respondere necessariū, uincere pulcherri-

mum fuerit, certè fallere ſine ſummo dedecore non potes. Nec hoc dico, quòd hactenus pœniteat profectus tui, ſed ut currenti calcar addam, quò curras alacrius, præſertim quum eam ætatem ingreſſus ſis, qua non alia continget felicior ad imbibenda literarum ac pietatis ſemina. Fac igitur, ut hæc colloquia uerè tua dici poſsint. Dominus IESVS ſeruet iſtam ætatem tuam puram ab omnibus inquinamentis, ſemperq; ad meliora prouehat. Vale. Baſileæ Calend. Aug.

ANN.

M. D. XXIIII.

FAMILIARIA

COLLOQVIA IN PRIMO CONGRESSV.

ON temere docet quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpe cõciliat amicitiam, inimicitiã diluit: certè mutuam beneuolentiam alit, augetq;. Quidam usqueadeò Demeæ sunt, ingenioq; agresti, ut uix salutati resalutent.

Nõnullis hoc uitij cõciliauit educatio uerius, q̃ natura.

Vrbanitatis est salutare obuios, aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tußientes. In ructu crepitú uc uentris salutare, hominis est plus satis urbani.

Sed inciuilius etiam eum salutare, qui reddit urinam, aut aluum exonerat.

Salue pater, salue matercula, salue mi frater, salue præceptor obseruande, salue multùm mi patruc, salue dulcißime nepos.

Vrbanum est addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi cùm habent aliquid odij: tum enim præstat abuti minus quidẽ proprijs, sed plausibilioribus: Veluti cùm nouercam salutamus, matrẽ: priuignũ, filium: uitricũ, patrẽ: fororis maritum, fratrem: fratris uxorem, sororẽ. Idem in

ætatis aut officiorũ titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem, patrem, aut uirum eximiũ salutes, quàm ætatis cognomine. Salue præfecte, salue tribune. Non autem, salue caligarie, aut calcearie. Salue adolescens, salue iuuenis. Senes ignotos adolescentes filiorũ cognomento salutant, adolescentes uicißim illos patres aut dominos.

BLANDIOR SALVTATIO INTER AMANTES.

Salue
- mea Corneliola.
- mea uita.
- mea lux.
- meum delicium.
- meum suauium.
- mel merum.
- mea uoluptas unica.
- meum corculum.
- mea spes.
- meum solatium.
- meum decus.

HONORIS GRATIA, AVT SECVS.

Salue here. Obe salue tu quoque bone uir. Salue uir ornatißime, clarißime. Salue etiam atque etiam literarum decus. Salue plurimùm amicorum optime. Salue mi Mecœnas. Salue patrone singularis. Salue uir spectatißime. Salue unicum huius ætatis ornamentum. Salue Germaniæ delicium. Saluete quotquot estis una salute omnes. Saluete pariter omnes. Saluete belli homunculi. Salue congerro lepidißime. Salue uini pernicies. RE. Salue & tu gurges, helluoq; placentarũ. Salue multùm uirtutis omnis

antistes

antiſtes. RE. Salue tantundem totius probitatis exemplar. Salue anicula annos nata quindecim. RESP. Salue puella annorum octoginta. Bene ſit tibi cum tuo caluitio. RE. Bene tibi cum lacero naſo. Vt ſalutaris, ita ſalutaberis. Si malè dixeris, peius audies. Salue iterum atq; iterum. RE. Et tu ſalue perpetuum. Salue plus millies. RE. Equidem malim ſaluere ſemel. Salue quantum uis. RE. Et tu quantum mereris. Saluere te iubeo. RE. Quid ſi nolim? Equidem ægrotare malim, quàm tua ſalute ſaluere.

Salua ſit tua { Sanctitas. Amplitudo. Celſitudo. Maieſtas. Beatitudo. Sublimitas. } magis uulgò recepta ſunt, quàm proba ta doctis.

IN TERTIA PERSONA.

Sapidus Eraſmo ſuo ſalutem dicit.

Sapidus Beatum ſuum plurima ſalute impertit.

ALIA FORMA.

Saluus ſis Crito. Bene tibi ſit uir optime. RES. Et tibi melius. Pax tibi frater: Chriſtiana ſalutatio eſt, à Iudæis profecta, neque tamen repudianda. Similis eſt, Bona uita. Aue præceptor. RES P. Equidem malim habere, quàm auere. Χαῖρε. RES P. Memento te Baſileæ eſſe, non Athenis. RES P. Quur tu igitur audes Romanè loqui, quum Romæ non ſis?

BENE PRECANDI FORMVLAE.

Et bene precari ſalutationis genus eſt.

GRAVIDAE.

Faxit deus, ut feliciter parias: ut maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa uirgo mater, ut feliciter fias mater. Precor, ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non maiore molestia elabatur, quàm illa ipsum est, quicquid est hoc oneris, quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium.

CONVIVIS.

Sit felix conuiuium. Bene sit uniuerso cœtui. Precor omnia læta uobis omnibus. Deus bene fortunet uestrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit faustum ac felix. Seruet te deus. Sit salutiferum. Bene uertat Deus.

AVSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & faustum Reipub. Bono sit omnibus, quod instituis. Bene uertat, quod agis. Bene fortunet Deus tuos labores. Faueant superi tuis conatibus. Quæso, ut quod instituisti, superis bene fortunantibus, feliciter absoluas. Bene fortunet Christus Opt. Maxim. quod in manibus est. Feliciter cedat, quod instituisti. Feliciter exeat, quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor ut felix sit exitus, ac prosperum numen aspiret pulcherrimis cœptis. Christus bene cœpta secundet. Prosperè succedat, quod auspicatus es. Deum Opt. Maximumq; precor, ut istud consilium, quàm est honestum, tam sit & felix. Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat. Precor, ut bonis auibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem cursum, & recursum feliciorem. Faxit Deus, ut itinere hoc feliciter peracto, breui tibi prosperum redi

tum

tum gratulemur. Contingat tibi feliciter & nauigare, & renauigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Vtinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Vtinam tibi tam iucunda sit ista profectio, quàm nobis erit interim molestum tui desiderium. Bonis auspicijs soluas ancorã. Precor, ut ex utriusque uotis succedat hoc iter. Precor, ut hic contractus commodo, bonoq; sit utriusque. Precor, ut hoc matrimonium uoluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Iesus Optim. Maxim. Superi propitij te nobis incolumem restituant. Seruet deus animæ dimidium meæ. Opto tibi reditũ incolumem. Precor, ut hic annus tibi lætis auspicijs ineat, lætioribus procedat, lætißimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior. RESPON. At ego uicissim tibi multa secula felicißima precor, ne tu gratis sis nobis bene precatus. Precor, ut hic dies tibi candidus illuxerit. Precor, ut hic sol tibi felix surrexerit. RESPON. Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus huius diei, & sit utriq; nostrum prosperrimus. Opto tibi noctem prosperam pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det Deus placidam quietem. Det somnum absque somnijs. Faxit deus, ut aut placidè dormias, aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox. RESPON. At ego tibi, quando gaudere soles lucro, pro una fausta mille precor faustißimas.

VALE IN DIGRESSV.

Valete omnes. Bene uale. Cura ut quàm rectißimè ualeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene ualere. Iam me tempus aliò uocat, tu ualebis. Valeto quàm optimè. Vale pancraticè, aut, si mauis, athleticè. Vale ut

Pancraticè. Vide Eras. Chil. 2 centur. 8. prouerb. 86.

dignus es. Vale ut meritus. In hoc biduum ualebis. Si me dimittis, ualebis in crastinum. Num quid uis? Est aliud, quod me uelis? RESPON. Nihil, nisi ut prosperè ualeas. Da operam, ut sis prospera ualetudine. Age curam ualetudinis tuæ. Habe curam salutis tuæ. Fac ut proximo congressu te lætum ac nitidum uideamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da operam, ut totus ualeas, tum corpore tum animo. RESPON. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi uicissim precor prosperam ualetudinem.

SALVTARE PER ALIVM.

Frobenium iubebis meo nomine saluere plurimùm. Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quàm potes officiosissimè, ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis uerbis salutato. Vxori salutem ex me annuntiabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem adscribes. Mei uice salutabis affinem meum. Num quid tuis mandas per me? RESP. Vt rectè ualeant. Est'ne quod uelis ad tuos perferri me nuntio? RESPON. Multam salutem omnibus, sed præcipuè patri. Sunt quos per me tuo nomine uelis salutatos? RESPON. Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omnes mea gratia uicissim salutabis accuratè. In amicis salutandis sis quæso mihi uicarius. Salutassem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ uice fueris. Heus heus, quò properas? RESPON. Rectà

Louanium. Resiste paulisper, est quod tibi mandem. RESPON. Atqui pediti non conuenit sarcina. Quid rei est? RESP. Vt Goclenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumq; chorum trilinguem mihi salutes. RESP. Si nihil aliud imponis sarcinæ præter salutes, facilè perferam. Atqui ne gratis istud facias, precor uti tibi quoq; eunti ac redeunti Salus sit comes.

REDVCEM QVOMODO salutare oporteat.

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitem adesse uolupe est. Te nobis redditum esse uoluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quòd nobis incolumis redieris. Quò molestius fuit nobis tui desiderium, hoc redditus conspectus tui iucundoir est. Gratulamur & tibi, & nobis, quòd uiuus ac ualens nobis restitutus sis. Hòc reditus tuus est nobis iucundior, quò minus expectatus. RESPON. Ego uicissim lætor, quòd incolumis uos incolumes offenderim. Quòd te saluum repererim, uehementer gaudeo. Non uiderer mihi rediisse saluus, nisi uos saluos reperissem. Nunc demum mihi uideor sospes, cùm uos incolumes ac pulchrè ualentes conspicio.

PERCONTANDI FORMA, in primo congressu.

GEORGIVS, LIVINVS.

GEORG. Ex qua tandem corte aut cauea nobis ades? LIVI. Quid ita? GE. Quia malè saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis? LIV. È collegio Montis acuti. GEORG. Ergo ades nobis onustus literis. LIV. Imò pediculis. GE. Pulchrè comitatus

adue

aduenis. LI. *Sanè, nec tutum est nunc uiatorem ire incomitatum.* GE. *Agnosco satellitium scholasticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia?* LIV. *Illud in primis, quod, scio, tibi uidebitur incredibile: Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur.* GE. *Quid tu narras?* LI. *Hoc quod audis.* GE. *Quid ego audio?* LI. *Hoc quod narro.* GE. *Monstri simile. Oportet illic fungos & lapides esse auditores, ubi tales concionentur.* LI. *Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta.* GEOR. *Oportet igitur illic plurimùm sapere homines, si sapit Beta & Quercus.* LI. *Rectè coniectas.*

ALIA.

GE. *Vales'ne?* LIV. *Contemplare uultum.* GE. *Quin magis lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo, quid ualeas, nam facies ipsa loquitur te belle ualere: sed quomodo tibi placeas.* LIV. *Corpus quidem bellè habet, sed animo malè est.* GEORG. *At non ualet, qui isthac parte laborat.* LIV. *Sic res habent meæ: Corpus ualet, sed ægrotat crumena.* GEOR. *Facilè isti morbo medebitur mater. ut ualuisti usque?* LIV. *Variè, ut sunt res mortalium.* GEORG. *Satin' rectè uales? Saluá'ne res? Satin' salua res? Fuisti'ne semper prospera ualetudine?* LIV. *Prosperrima, gratia superis. Ego Dei beneficio perpetuò bellißimè ualui. Semper prospera ualetudine sum usus. Hactenus bona ualetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica ualetudine.* GEORG. *Faxint superi ut isthuc sit perpetuum ac proprium. Lætus isthuc audio. Voluptatem mihi nuntias. Est isthuc mihi auditu*

per

perquàm iucundum. Sermonem istum ex te audire supra modum gaudeo. Isthuc haud inuitus audio. Oppidò letor isthuc audire ex te. Vt idem semper facias, opto. Vt ad istum modum quàm diutissimè ualeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. LIVI. Equidem pulchrè ualeo, si tu uales. GE. Nihil interim molestiæ fuit? LIV. Nihil, nisi quòd uestra consuetudine frui non licuit. GEOR. Quo pacto uales? LI. Rectè, pulchrè, bellè, perbellè, bellissimè, perpulchrè, feliciter, commodè, minimè malè. Valeo ut uolo potius, quàm ut mereor, basilicè, pancraticè, athleticè. GE. Expectabam ut diceres etiam, taurice.

MALE VALERE.

GEOR. Recte'ne uales? LIVI. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunque ualeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando ut uolo, non licet. Vt soleo. Ita ut superis uisum est. Non optimè sanè. Sic ut antehac peius nunquàm. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent, quibus cum medicis res est. GEORG. Vt uales? LIVI. Secus quàm uellem. GEORG. Qua ualetudine es? LIVI. Haud sanè commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, aduersa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, uix mediocri, longè alia quàm uellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. GEORG. Rem mihi sanè quàm acerbam narras. Prohibeant superi. Auertat Deus. Bona uerba. Hic cupiam te uanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoq; sis animo. Multum iuuat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris

ris. Quid morbi est? quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? LIVIN. Nescio, & hoc laboro periculosius. GEORG. Verum. Nam ad sanitatem gradus est, nouisse morbum. Nullos'ne consuluisti medicos? LIVI. Et quidem permultos. GEORG. Quid respondent? LIVIN. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum, alius negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse. GEORG. Quàm pridem habet te hoc mali? Diu est quòd teneris isto morbo? Quantum temporis est, quòd te malum hoc corripuit? LIVI. Dies plus minus uiginti. Ferme mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculum uidetur, quòd ægrotare cœpi. GEORG. Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris. LIVIN. Iam nimiùm assueuit. GEORG. Num est hydrops?. LIVI. Negant. GEORG. Num dysenteria? LIVIN. Non arbitror. GEOR. Num febris? LIVIN. Opinor febris esse speciem, sed nouam: ut nunc noui subinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. GEORG. At plus satis erat ueterum. LIV. Ita uisum est naturæ nimium nouercæ. GE. Quoto die recurrit dolor? LIVI. Quoto die narras? imò quotidie sæpius, quàm Euripus. GE. Papæ, malum abominandum. Vnde contraxisti morbum? Vnde suspicaris hoc esse collectum mali? LIVI. Ex inedia. GEORG. At non soles usqueadeo superstitiosus esse, ut te ieiunio macerares. LIV. Non erat religio, sed inopia. GE. Quæ'nam? LIV. Quia non dabatur cibus. E' frigore natum arbitror. E' putribus ouis morbum ortum suspicor. E' uino plus satis diluto

luto. E' crudis malis cõtracta est stomachi cruditas. GE. Vide ne ex immodico aut intempestiuo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut uenere parum moderata. Quin accersis medicum? LIV. Timeo ne citius morbum augeat, quàm adimat. Metuo, ne pro remedio det uenenum. GEOR. Deligendus est igitur, cui tutò fidas. LIV. Si moriendum est, malo semel mori, quàm tot pharmacis excarnificatus. GEOR. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici uice Deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali, aut Franciscana reualuerunt. LIV. Idem fortassis euenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conducunt. GE. Fide igitur, ut reuiuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui diuo uotis. LIV. At ego cum diuis non paciscor. GE. Proinde tu uel à Christo cui fidis, pete sanitatis beneficium. LI. At ego an beneficium sit, nescio. GE. An non beneficium est liberari morbo? LI. Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut, quod scit optimum esse, mihi largiatur. GE. Sume, quod aluum deijciat. LIV. Iam sua sponte cita est. GEOR. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. LI. Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA.

GE. Fuit'ne tibi hoc iter faustum & commodum? LI. Sic satis: nisi quòd nihil usquam tutum est à latronibus. GE. Hic est belli ludus. LI. Est, sed sceleratissimus. GE. Pedes aduenis, an eques? LI. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. GE. Quo in statu sunt res Gallicæ? LI. Sanè turbulẽto. Magnæ bellorum

rum minæ sunt. Quid mali allaturi sint hostibus, nescio: certè Galli iam ipsi non dicendis malis affliguntur. G E. *Vnde proficiscuntur isti bellorum tumultus?* L I. *Vnde, nisi ex ambitione Monarcharum?* G E. *At horum prudentia conueniebat sedari rerum humanarum tempestates.* L I. *Sedant illi quidem, sed ut Auster mare. Persuadent sibi se deos esse, suaq; causa mundum hunc esse conditum.* G E. *Imò princeps reipublicæ gratia constituitur, non respublica principis causa.* L I V. *Imò non desunt Theologi qui frigidam suffundant, & ad hos tumultus classicum canant.* G E O R. *Istos ego statuerem in prima acie.* L I. *At illi sibi cauent post principia.* G E. *Ista publica fatis curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in statu sunt?* L I V. *Optimo, felici, mediocri, tolerabili.* G E. *Quo pacto se res habent tuæ? num ex uoto?* L I V. *Imò supra uotum, supra meritum, supra spem.* G E O R. *Satin' ex sententia? Satin' salua omnia? Satis'ne prospera omnia?* L I V. *Res in peiore statu esse non potest. Peiore in loco negotium non potest esse.* G E O R G. *Non cepisti igitur, quod captabas? non contigit præda, quam uenabaris?* L I. *Venabar equidem, sed irata Delia.* G E O R. *Nihil reliquum est spei?* L I V. *Spei permultum, sed rei nihil.* G E O R G. *Episcopus nihil ostendit spei?* L I V. *Tota plaustra, totas naues, sed prætereà nihil.* G E O R. *Nihil adhuc misit?* L I V. *Promisit quidem largiter, at ne teruncium quidem misit.* G E O R G. *Ergo spe alendus est animus.* L I V. *Sed hac non saginatur uenter. Qui spe aluntur, pendent, non uiuunt.* G E O R G. *Sed hoc eras ad iter expeditior, quòd nihil esset oneris in*

Tota plaustra. Ita Græci ἅλας ἁμάξας. Vide Chil. 1. cent. 7. Prouerb. 74.

Teruncius, quē Plinius triuncē uocat, nūmulus est, in uilitatis prouerbiū uersus, est quarta pars assis.

zona. L I. Fateor, atq; etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malim & onus, & periculum. G E. Nihil'ne tibi ademptum est in uia? L I. Mihi'ne? Quæso quid eripias nudo? Alijs citius periculum erat à me. Licuit mihi uacuo uiatori per totum iter canere & esurire. Num quid uis? G E. Quò nunc hinc abis? L I. Rectà domum, salutaturus penates, iandiu non uisos. G E. Precor ut illhic offendas omnia læta. L I. Vtinam ita uelint superi. Nihil interim extitit noui domi nostræ? G E. Nihil, nisi quòd reperies auctam familiam. Nam tua Catulla peperit tibi catulum absenti. Tua gallina pepererit tibi ouum. L I. Bene nuntias. Grata nuntias. At ego tibi pro isthoc nuntio polliceor Euangelium. G E. Quodnam? secundum Matthæum? L I. Non, sed secundum Homerum. En, accipe. G E. Tibi serua tuum Euangelium. Mihi saxorum satis est domi. L I. Ne sperne munusculum. Aëtites est, qui grauidis admotus in nixu, maturat partum. G E. Quid ais? Est mihi sanè gratißimum. Dißpiciam, unde poßim hoc donum pensare. L I. Abunde pensatum puta, si boni cõsulueris. G E. Imò nihil accidere potuit magis in tempore. Nam uxori meæ iampridem tumet uterus. L I. Illud igitur abs te stipulabor, ut si masculum ediderit, me susceptorem asciscas. G E. Polliceor, ac tuum indetur puero nomen. L I. Quod utriſq; bene uertat. G E. Imò nobis omnibus.

In zona. Illic milites gestabãt pecuniam.

Euangeliũ. Locus est ex ambigno. Nã Euangelium dicitur munus, qd' datur rem lætam nuntianti.

Mihi saxorũ. Nam Aëtites lapidis genus ab aquila nomen habens. Vide Plinĩ lib. 37. cap. 11.

Stipulabor. Stipulatur qui promissum accipit. Nam paciscitur & qui pmittit, & cui promittitur.

PERSONAE.

MAVRICIVS, CYPRIANVS.

M A V. Redisti nobis obesior solito. Redisti procerior. C Y. At equidem mallem prudentior, aut doctior. M. Imberbis

berbis abieras, redisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nõnihil senij. Quid sibi uult hic pallor? quid macies? quid frons caperata? C Y. *Vt est fortuna, sic est corporis habitus.* M A V. *Num aduersa?* C Y. *Nunquàm mihi quidem aliàs secunda, sed nunquàm quàm nunc reflauit odiosius.* M A V. *Doleo uicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid isthuc mali est?* C Y. *Vniuersæ pecuniæ naufragium feci.* M A V. *In mari?* C Y. *Non, sed in littore nondum nauem ingressus.* M A V. *Vbinam?* C Y. *In littore Britãnico.* M A V. *Bene habet, quòd ipse nobis uiuus enatasti. Præstat pecuniæ iacturam facere, quàm uitæ. Leuius est pecuniæ dispendium, quàm famæ.* C Y P. *Vitæ famæq; incolumi, perijt pecunia.* M A V. *Vitæ sarciri nullo pacto potest, famæ ægrè potest, pecunia facilè alicunde sarcietur. Quì, malùm, hoc accidit?* C Y P. *Nescio, nisi quòd sic erat in fatis meis. Sic uisum est superis. Sic libuit genio meo malo.* M A V. *Vides igitur doctrinã ac uirtutem tutissimas esse diuitias, quæ nec eripi possunt, nec grauant circunferentem.* C Y P. *Pulchrè tu quidem philosopharis: sed interim ego ringor.*

ALIA. PERSONAE,

CLAVDIVS, BALBVS.

C L. *Gratulor tibi reduci Balbe.* B A L. *Et ego tibi superstiti Claudi.* C L A V. *Gratulor tibi in patriam reuerso.* B A L. *Imò gratulare magis à Gallia profugo.* C L. *Quid ita?* B A L. *Quia illhic bellis feruent omnia.* C L A. *Quid Musis cum Marte?* B A L. *Atqui illhic ne Musis quidem parcitur.* C L A. *Tu igitur feliciter elapsus es.* B A L. *At non sine periculo.* C L. *Totus alius nobis redisti.* B A L.

Quì sic? C L. *Ex Hollando uersus es in Gallum.* B A L. *Quid? an capus eram, quum hinc abirem?* C L. *Vestis indicat te mutatum ex Bacauo in Gallum.* B A L. *Hanc metamorphôsin malim, quàm in gallinã. Sed ut cuculla non facit monachum, ita nec uestis Gallum.* C L. *Iam'ne calles Gallicé?* B A L. *Sic satis.* C L. *Quo pacto didicisti?* B A L. *A' magistris haudquaquam mutis.* C L. *Quibus?* B A L. *A' mulierculis quouis turture loquacioribus.* C L. *In tali ludo facile discimus loqui. Sonas'ne probè sermonem Gallicum?* B A L. *Imò & Latinum sono Gallicé.* C L A. *Nunquam igitur scribes bona carmina.* B A L. *Quur ita?* C L A. *Quia perijt tibi syllabarum quantitas.* B A L. *Mihi satis est qualitas.* C L A. *Quid, est'ne Lutetia immunis à pestilentia?* B A L. *Non est, sed pertetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit, nonnunquàm intermittitur, deinde recipit sese.* C L. *Non sat erat malorum ubi bellum est?* B A L. *Erat, nisi secus esset uisum superis.* C L A. *Annonæ caritatem isthic esse oportet.* B A L. *Imò penuriam. Omnium rerum illhic inopia est, præterquàm sceleratorum militum. Bonorum uirorum illhic est mira uilitas.* C L. *Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum Aquila?* B A L. *Quia mouet illos exemplum scarabei, qui non cessit aquilæ. In bello nemo sibi non uidetur Hercules.* C L. *Non te remorabor diutius. Aliàs latius nugabimur, quum erit utriq; cõmodum. Nunc aliò me uocant negotiola quædam.*

An capus. Iocus est ex ambigua uoce Gallus.

Metamorpho. Trãsformatio.

Bona car. Allusit ad hoc quòd uulgus Gallorũ perperã pronuntiat accentus.

DOMESTICA CONFABVLATIO.

Personæ, Petrus, Mida puer, Iodocus.

PET. *Heus heus puer, nemón' huc prodit?* M I D. *Hic*

opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidũ caput. Quid adfers mi Petre? P E. Me ipsum. M I. Næ tu rem haud magni pretij huc attulisti. P E. Atqui magno constiti patri meo. M I. Credo pluris, quàm reuendi possis. P E T. Sed Iodocus est'ne domi? M I D. Incertus sum, sed uisam. P E. Quin tu potius abi, & roga ipsum, an uelit nunc esse domi. M. Abi tu potius, sisq; tibijpsi Mercurius. P E. Heus Iodoce, num es domi? I O. Non sum. P E. Impudens, non ego audio te loquentem? I O. Imo tu impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi te non esse domi, & tu non credis mihi ipsi? P E. Aequum dicis, par pari relatum. I O D. Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero. P E. Sed tu mihi uidere cochleæ uitam agere. I O D. Quî sic? P E. Quia perpetuò domi latitas, nec usquam prorepis. Non secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. I O. Est quod agam domi, foris nihil est negotij. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset. P E T. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Videut blanditur. I O D. Si proambulare lubet, non recuso. P E T. Planè uidetur hoc utendum cœlo. I O D. Ascisendus est unus aut alter congerro. P E T. Fiet, modò dicas, quos uelis. I O D. Quid si Hugonem? P E. Haud multum interest inter Hugonem & nugonem. I O. Agè placet. P E. Quid si Alardum? I O. Homo minimè mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat. P E. Si uidetur, Neuium adiungemus. I O D. Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locum dispi

Nuper ancillæ Allusum est ad id quod Cicero refert de Eunio & Nasica.

Claudus sutor. Vide in Chil. 3 Cent. 2. prouerbio 20.

dispicias amœnum. P. *Ego uerò tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum uiorem, nec fontiũ uiuas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem.* I O. *Magnificè polliceris.* P E. *Nimiũ affixus es libris. Nimiùm assides libris. Immodico studio te maceras.* I O. *Malim studio macrescere, quàm amore.* P E. *At non ideo uiuimus, ut studeamus: sed ideo studemus, ut suauiter uiuamus.* I O. *Mihi uerò uel immori chartis dulce est.* P E. *Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio?* I O. *Me quidem uehementer oblectauit.*

ALIA. PERSONAE,

AEGIDIVS, LEONARDVS.

A E G. *Quò noster Leonardus?* L E. *Ad te ibam.* A E G. *Istud quidem facis insolens.* LE. *Quam ob rem?* A E. *Quia iam annus est, quòd nos non uiseris.* L E. *Malo in hanc peccare partem, ut desiderer, quàm ut obtundam.* A E G. *Imò boni amici nulla est apud me satietas. Imò quo crebrius uenies, hoc mihi uenies gratior.* L E. *Quid interim agitur donu tuæ?* A E G. *Multa sanè, quæ nolim.* L E. *Non miror. Sed iam'ne peperit uxor?* A E. *Iandudum, & quidem gemellos.* L E. *Quid ego audio?* A E G. *Sic res habet: atque illi iam denuo tumet uterus.* L E. *Isthoc pacto solet augeri familia.* A E. *Sed utinam fortuna sic augeret pecuniam, ut uxor familiã.* L. *Iam'ne elocasti filiam?* A E. *Nondum.* L. *Vide ne parũ tutũ sit uirginẽ tam grãdem detinere domi. Quærẽdus est gener aliquis.* A E. *Nihil opus. Iam proci complures illam ambiunt sponsam.* L E. *Quid igitur supereſt, nisi ut è multis deligas, qui tibi maximè sit ac-*

commodus? AEG. *Omnes eiusmodi sunt: ut nesciam quem cui præferam, sed abhorret a nuptijs filia.* LEO. *Quid ais? Atqui ni fallor, iandudum nubilis est. Iandudum est apta uiro, matura coniugio. Iampridem est tempestiua uiro.* AE. *Quid ni, annum egressa iam decimum septimum? Maior annis duodeuiginti. Annum iam agens undeuigesimum. Annos nata decem & octo.* LEO. *Cur abhorret igitur à matrimonio?* AEG. *Ait se uelle Christo nubere.* LEO. *Sanè multas habet ille sponsas. an malo genio nupsit, quæ castè uiuit cum marito?* AEG. *Mihi quidem non uidetur.* LE. *Quis deus hunc afflictũ afflauit filiæ?* AEG. *Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest.* LE. *Vide ne sint incantatores, qui instigent & allectent.* AE. *Noui ego istos plagiarios. Sedulò arceo hoc hominum genus ab ædibus meis.* LEO. *Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ?* AEG. *Equidem obluctabor, quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quòd si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne fortè uidear* θεομαχεῖν, *uel potius* μοναχομαχεῖν. LEO. *Religiosè tu quidem loqueris. Sed etiam atq; etiam fac explores uirginis cõstantiam, ne pòst facti pœniteat, cùm mutare non erit integrum.* AEG. *Equidem adnitar pro mea uirili.* LEO. *Quid rerũ gerunt filij?* AE. *Natu maximus iandudum maritus est, breui pater futurus. Minimum ablegaui Lutetiam. Nam hîc nihil aliud quàm ludebat.* LEO. *Quid eo.* AEG. *Vt magister nobis redeat stultior, quàm exierat.* LEO. *Bona uerba.* AE. *Medius iam cœpit initiari sacris.* LEO. *Precor ut bene uertat omnibus.*

Plagium furti genus, unde plagiarij dicuntur qui abducunt aliena mancipia aut liberos etiã.

θεομαχεῖν, id est cum deo pugnare.

μοναχομαχεῖν, cum monachis pugnare. Allusum est autem ad uocem μονομαχεῖν quod est singulari certamine congredi

Alia

ALIA. PERSONAE,

MOPSVS, DROMO.

MOP. *Quid fit? Quid agitur Dromo?* DRO. *Sedetur.* MOP. *Video. Sed quomodo seres habent tuæ?* DRO. *Vt solent ijs, quibus superi sunt parum propitij.* MOP. *Isthuc omnis auertat Deus. Quid agis?* DR. *Equidem otium ago. Id quod uides, nimirum nihil.* MOP. *Præstat otiosum esse, quàm nihil agere. Ego te fortassis occupatum serijs negotijs interpello.* DR. *Imò maximè uacuum. Iam enim me ceperat otij tædium, & congerronem desiderabam.* MOP. *Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negotia.* DRO. *Imò tædium otij discutis.* MOP. *Da ueniam, si te parum in tempore interpellarim.* DRO. *Imò ipso in tempore aduenis. Opportunè te huc attulisti. Optatus ades. Interuentus tuus est mihi uehementer gratus.* MOP. *Fortassis aliquid seriæ rei inter uos agitur, cui nolim esse impedimento.* DR. *Imò lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat.* MO. *Facilè crediderim, nam mihi huc uenienti mirè tinniebat auris.* DRO. *Vtra?* MOP. *Læua. Vnde conijcio nihil magnificè de me fuisse prædicatum.* DR. *Imò nihil non honorificum.* MOP. *Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei?* DRO. *Aiunt te uenatorem esse factum.* MOPS. *Imò am intra casses meos est præda, quam uenabar.* DRO. *Quænam?* MOP. *Lepida puella, quam perendie ducturus sum: uosq; oro, ut meas nuptias uestra præsentia dignemini honestare.* DRO. *Quænam est sponsa?* MOP. *Aloisia Chremetis filia.* DRO. *Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis adlubuit illa ni-*

Lupus in fabula? Vide Chil. 3. centu. 8. prouerb. 56.

gro capillitio, simis naribus, ore prælargo, uentre prominulo. M O. Desinite. Mihi eam duxi, non uobis. Non sat est, quòd suo regi pulchra est regina? Ita demum illa mihi placebit, si uobis non admodum placeat.

Suo regi pul. Vide prouerbiũ, Suum cuique pulchrum.

ALIA.

SYRVS, GETA.

S Y. Opto tibi multam felicitatẽ. G E. Et ego tibi cõduplicatũ opto, quicquid optas mihi. S Y. Quid agis rei? G E. Confabulor. S Y. Quid? confabulare solus? G E. Vt uides. S Y. Fortasse tecũ. Proinde tibi uidendum, ut cum homine probo fabuleris. G E. Imò cum lepidißimo cõgerrone cõfabulor. S Y. Quo? G E. Apuleio. S Y. Istud quidem nunquàm nõ facis. Sed amant alterna Camœnæ. Tu perpetuò studes. G E. Non est ulla studiorum satietas. S Y. Verum, sed est tamen modus quidam. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquam. Non abijcienda sunt, sed relaxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates commendat rarior usus. Tu nihil aliud quàm studes. Perpetuò studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquàm non studes. Aßiduus es in studio. Iugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finẽ, neq; modum. Nullã studijs tuis requiẽ intermisces. Nunquàm studendi laborẽ nec intermittis, nec remittis. G E. Agè, tuo more facis. Rides me, ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Salsè me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc planè ioco mecum agis. Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc me ludos delicias q; facis. Eadem opera assue mihi auriculas

asini

asini. Ipsi codices puluere, situq; obducti loquuntur, quàm sim immodicus in studio. SY. E moriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Loquor id, quod sentio. Quod res est, dico. Seriò loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quàm loquor.

CVR NON VISIS?

GE. Quid causæ est, quod tandiu nos non inuiseris? Quid rei est, quòd nos tam rarò uisis? Quid accidit, quòd tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi uult, quòd nos tandiu non conueneris? Quid obstitit, quo minus uisas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus feceris nobis tui uidendi copiam?

NON LICVIT PER OCCVPATIONES.

SY. Non licuit per otium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negotia. Hactenus non sinebant negotia, ut te uiserem. Non patiebantur undæ negotiorum, quibus inuoluebar, ut te salutarem. Occupatior fui, quàm ut potuerim. Tam uarijs distringebar curis, ut mihi non fuerit liberum adire te: uix mihi ipsi fuit copia mei, sic me totum molesta quædam negotia possidebant. Negotijs meis imputabis, non mihi. Non defuit uoluntas, sed uetuit necessitas. Hactenus non uacauit. Hactenus non contigit otium. Hactenus non fuit uacuum. Non licuit per ualetudinem. Non licuit per tempestatem. GE. Equidem accipio tuam excusationẽ, sed hac lege, ne sæpius utaris. Excusatio tua iustior est, quàm uellem, si quidem ualetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod factum est, officio sarcias: si superiorem cessationẽ crebra uisitatione pensες.

SY. *Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium uulgaria. Amicitia nostra firmior est, quàm ut sit officijs istis uulgaribus alenda. Satis crebrò uisit, qui constanter amat.*

GE. *Malè sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer istis negotijs, quæ talem amicum nobis inuident? Peßimè sit isti febri, quæ nos tam graui desiderio torsit tui. Malè pereat ista febris, te incolumi.*

MANDANDI AC POLLICENDI.

IACOBVS, SAPIDVS.

IA. *Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiam rogo, ut hoc negotium tibi sit curæ. Hac in re uelim, ut totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligẽter. Hac in re quæso, ut aduigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si uerè is es, quẽ semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa, quanti me facias.*

SAP. *Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Euẽtum præstare non possum: illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturũ. Curabo diligentius, quàm si mea res ageretur: quãquàm meam esse duco, quæ sit amici. Fac ut in me quiduis desideres citius, quàm fidẽ ac diligentiam. Tu fac in utranq; dormias aurem: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto: in me recipio pro uinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sedre præstabo, quicquid est amici synceri, & ex animo benevolentis. Nolim te lactare uana spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negotij mandatum amico.*

in utranq; dor. Vide Chil. 1. cẽt. 9. puer. 19.

SVCCESSVS.

SAPI. *Res succeßit opinione melius. Fortuna uotis utriusq;*

utriusq; fauit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse secũdior. Res tua & uentis, & amne sequundo processit. Vicit etiam uota nostra fortunæ fauentis afflatus. Opinor te litasse Rhamnusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetraui, quàm fuissem ausus optare. Ventis per omnia sequundis hic cursus nobis peractus est. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchrè nobis cecidit hæc alea. Opinor uolasse noctuam, adeò feliciter exijt nobis parum sapienter institutum.

Rhamnusiæ fortunæ cognomẽtum est à loco quẽadmodũ dicimus Paphiã & Cypridem. Litat autem, nõ quisquis sacrificat, sed cuius sacrum deo placuit.

Volas. noctuã. Vide prouerb. Noctua uolitat

GRATIA.

IAC. *Equidem & gratiam habeo, & habiturus sum, quoad uiuam, maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias uix possim, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neque enim tu quicquam noui feci sti, & hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par est, maximè. Quòd hac in causa præstiteris amicum minimè aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quòd meum negotium tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiam. Isthoc officio gratiã inisti apud me maximã. Pergratũ est, quòd causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officijs quæ tu plurima in me contulisti, hoc est longè gratissimum. Referre gratiam parem nequaquã possum, agere accuratius, inter nos superuacaneum sit: quod unum possum, habebo dum uixero. Isthoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctũ esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quàm unquam soluendo esse queã. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti, quàm ut possim dissoluere. Obligatiorem me tibi reddidisti, q̃ ut nomen meũ è tuo diario possim unquam expun-*

Vide Chiliad. Diarium, codicilli siue cõmẽtarioli rerũ actarum in singulos dies.

gere

gere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum mancipium æquè sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quàm ut unquàm æs alienũ possim resolucre. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quàm hoc. Pro mediocribus beneficijs agendæ sunt gratiæ, hoc maius est, quàm ut conueniat uerbis gratias agere.

RESPONSIO.

SAP. Auser mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abundè relatam gratiam arbitror, si gratum est, quod feci sedulò. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs non uulgaribus hoc officioli rependi. Equidem nihil laudis mereor, ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quàm id quod est maximè tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quòd nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accuratè gratias agis, quasi non multo maiora tibi debeam. Sibi bene facit, qui bene facit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod uoles.

ALIA IN CONGRESSV.

ARNOLDVS, CORNELIVS.

ARNOL. Salue multum Corneli iam toto seculo desiderate. CORNEL. Salue & tu sodalis exoptatissime.

ARN

ARNO. *Iam desperabamus reditum tuum. Vbi tandiu peregrinatus es?* COR. *Apud inferos.* ARN. *Non admodum ueri dissimile dicas: adeò nobis redisti squallidus, macilentus, ac pallidus.* CO. *Imò ab Hierosolymis adsum tibi, non à profundis manibus.* ARN. *Quis deus, aut quis uentus te illuc adegit?* COR. *Quæ res adegit alios innumeros?* AR. *Stultitia, ni fallor.* COR. *Igitur hoc conuicij non in me solum competet.* ARN. *Quid illic uenabare?* COR. *Vt miser essem.* ARN. *Isthuc licebat domi. Est'ne illhic, quod tu putes spectatu dignum?* COR. *Vt ingenuè fatear tibi, nihil. Ostenduntur quædam monumenta uetustatis, quorum mihi nihil non uidebatur commentitium, & excogitatum ad alliciendos simplices & credulos. Imò nec hoc arbitror illos scire, quo loco sita fuerit olim Hierosolyma.* ARNO. *Quid igitur uidisti?* COR. *Magnam ubiq; barbariem.* AR. *Nihilo sanctior redis?* COR. *Imò multis partibus deterior.* ARN *Nummatior ergo.* COR. *Imò nudior Leberide.* AR. *An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ?* COR. *Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiæ meæ sodales: nec pœnitet, quia frustra iam sit pœnitere.* ARN. *Nihil ergo fructus refers è tam difficili peregrinatione?* COR. *Multum.* AR. *Quid tandem?* COR. *Quia posthac uiuam suauius.* AR. *An quia iucundum est meminisse laborum actorum?* COR. *Est isthuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia.* ARNO. *Est'ne aliud præmium?* COR. *Est sané.* ARN. *Quod? effare.* COR. *Magna uoluptate, quoties libebit, & ipse me afficiam, & alios mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conciliabulis*

Profundis manib⁹. Allusit ad primũ Euripidis tragœdiæ, cui titulus Hecuba, ubi sic loquitur Polydorus: Adsum profectus è profundis manibus, id est, ab inferis.

Nudior lebe. Vide Chiliades.

Meminisse laborũ. Vide proverb. Actũ labores.

aut

aut in conuiuijs. ARN. *Profectò non tu procul aberras à scopo.* CORN. *Deinde non minus capiam uoluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt unquàm, nec uiderunt. Idq; faciunt tanta confidẽtia, ut quum narrent Siculis gerris uaniora, tamen sibi etiam persuadeant se uera loqui.* ARN. *Mira uoluptas. Non omnino tibi perijt oleum & opera, quod aiunt.* CORN. *Imò hoc arbitror aliquanto consultius, quàm quod faciunt isti, qui paulo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam.* ARNOL. *Sed illiberalis est uoluptas, ex mendacijs uoluptatem capere.* CORN. *Verum hoc aliquantò liberius, quàm obtrectatione uel delectare, uel delectari, aut alea tempus & rem perdere.* ARNOL. *Cogor equidem pedibus in tuam ire sententiam.* CORNEL. *Verùm est & alius fructus.* ARNOL. *Quis?* CORNE. *Si quis erit amicus egregiè charus, affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: ut nautæ solent cæcti naufragio, monere nauigaturos, quid periculi sit uitandum.* ARN. *Vtinam mihi monitor adfuisses in tempore.* CORN. *Quid? num similis morbus te quoque corripuit? Num afflauit & te huius mali contagium?* ARN. *Visi Romam & Compostellam.* CORN. *Deum immortalem quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium. Quæ Pallas isthuc tibi misit in mentem?* ARNOL. *Non Pallas, sed ipsa Moria, præsertim cum domi haberem uxorem integra adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur.* CORNEL. *Oportuit fuisse feriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis distraxer*

Siculis gerris. Vide Chiliad.

Oleum & ope. Vide Chil. 1. Centur. 4. prouerb. 61.

Quæ Pal. Allusit ad Homerũ, qui sæpe Pallas dem facit huic aut illi suggerẽ tem quid facto sit opus.

distraxerit. Narra *obsecro.* ARN. *Pudet dicere.* COR. Non *apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo.* AR. *Compotabamus aliquot uicini. Vbi uino incaluerat animus, erat qui prædicabat, sibi esse in animo salutare diuum Iacobum: erat alter qui diuum Petrum. Ilico non defuit unus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tandem uisum est, ut omnes irent simul.* Ego, *ne uiderer parum commodus compotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utrò potius iremus, Romam an Compostellam. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspicijs utrôque postridie proficisceremur omnes.* COR. O' *graue decretum, dignius quod uino inscriberetur, quàm æri.* AR. Ac *mox ingens obambulat patera, quam ubi suo quisque ordine ebibisset, uotum factum est inuiolabile.* COR. *Noua religio, sed non omnibus contigit reditus incolumis?* AR. *Omnibus præter quàm tribus, quorum unus in profectione moriens, mandauit nobis, ut suis uerbis salutem diceremus Petro & Iacobo. Alter perijt Romæ, iussitq; ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, ualetudinis planè deploratæ. Opinor iam esse apud superos.* COR. Adeo'ne *pius erat?* AR. Imò *nugator maximus.* COR. N. *Vnde igitur isthuc suspicare?* AR. *Quia peram habebat indulgentijs largißimis distentam.* COR. *Audio, sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum, ob latrunculos, qui obsident regionem aëris mediam.* ARN. *Verum, sed ille sat erat munitus diplomatibus.* COR. N. *Qua lingua descriptis?* AR. *Romana.* COR. N. *In tuto est igitur?* ARN. *Est, nisi fortè incidat in genium alicui,*

quem, qui Latinè nesciat. Tum esset illi redeundum Romam, & nouum diploma impetrandum. C O. Bullæ uenduntur illhic & mortuis? A R. Maximè. C O R. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius. Iam enim coryceis plena sunt omnia. A R. Ego uerò nihil eleuo indulgentias, sed combibonis mei stultitiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram, ut aiunt, ac puppim in membrana collocarit potius, quàm in correctis affectibus. Sed quando fruemur illa uoluptate, quam modò prædicabas? C O. Quum erit commodum. Adornabimus compotatiunculam aliquam, uocabimus nostri ordinis homines. Ibi certabimus mentiendo, nosq; affatim mutuis mendacijs oblectabimus. A R. Age fiat.

Coryceis, id est, obseruatoribus. Vide prouerb.

ALIA. PAMPHAGVS, COCLES.

P A M. Aut parum prospiciunt oculi, aut Coclitè ueterem compotorem meum uideo. C O. Imò nihil te fallunt oculi tui, uides sodalè ex animo tuum. P A. Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus, quæ te terrarum haberet regio. Sed unde, dic quæso? C O. Ab Antipodibus. P A. Imò ab insulis, opinor, fortunatis. C O. Gaudeo quòd agnoueris sodalè tuum: nam uerebar, ne sic domum redirem, quemadmodũ redijt Vlysses. P A. Quo nã pacto redijt ille? C O. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iam uetulus mota cauda dominũ agnouit. P A. Quot annos ille domo abfuerat? C O. Viginti. P A. Tu plures abfuisti, nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Vlysse? C O. Homerus. P. Oh: ille, ut aiunt, pater est omniũ fabularũ. Fortassis uxor interim asciuerat

taurum

taurum alium, & idcirco non agnouit Vlyssem suum. CO. *Imò nihil illa castius, sed Pallas addiderat Vlyßi se-nium, ne posset agnosci.* PAM. *Quî tandem agnitus est?* COC. *E tuberculo, quod habebat in digito pedis: id animaduertit nutrix iam admodùm anus, dum illi pedes lauat.* PAM. *O curiosam lamiam. Et tu miraris, si ego te agnoui ex isto tam insigni naso?* CO. *Nihil me pœnitet huius nasi.* PAM. *Nec est cur pœniteat, quum organum tibi sit ad res tam multas utile.* COC. *Ad quas?* PAM. *Primùm ad extinguendas lucernas erit cornu uice.* CO. *Perge.* PA. *Deinde si quid hauriendum erit è cauo profundiore, fuerit loco promuscidis.* CO. *Papæ.* PA. *Si manus erunt occupatæ, licebit uti uice paxilli.* COC. *Etiam'ne amplius?* PA. *Conducet excitando fóculo, si defuerit fóllis.* CO. *Belle narras. Quid prætereá?* PA. *Si lumen officiat scribenti, præbebit umbraculum.* CO. *Ha ha hæ, est prætereà quod dicas?* PAM. *In bello nauali præbebit usum harpagonis.* CO. *Quid in bello terrestri?* PAM. *Erit loco clypei.* COC. *Quid deinde?* PAM. *Findendis lignis erit cuneus.* CO. *Probé.* PAM. *Si præconem agas, erit tuba: si classicum canas, cornu: si fódias, ligo: si metas, falx: si nauiges, ancora: in popina fuerit fuscina: in piscando, hamus.* COC. *O me felicem, nesciebam me circunferre tam ad multa conducibilem supellectilem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit?* PAM. *Roma.* COC. *At quî fieri potuit, ut in tanta luce nemo te sciret uiuum?* PA. *Imò nusquã magis latent boni uiri, adeò ut sæpe clarißima luce neminem uideas in frequenti foro.* CO. *Redis igitur nobis onustus sacerdotijs.* PAM. *Ve-*

Taurũ alium: id est adulterũ. Hora. Quęrēti taurũ monstra. Vlyssem. sic appellat maritũ, q nimiũ diu abfuit. Nam Vlyssem reducẽ nullus agnouit prę ter canem.

Lamiæ, maleficæ mulieres, quæ oculos habent, quum foris sunt quibus perspiciunt omnia, domi cæ cutiunt.

Harpagones instrumẽta quibus iniectis attrahunt nauem commissuri bellum.

Delia uenandi dea.

natus equidem sum sedulò, at parum fauit Delia. Nam complures illhic piscantur hamo, quod dici solet, aureo. CO. Stultum piscandi genus. PA. Et tamen pulchrè succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea. CO. An non insigniter stulti sunt qui plumbum commutant auro? PA. Sed non intelligis in plumbo sacro uenas auri subesse. CO. Quid igitur? rediisti nobis nihil aliud quàm Pamphagus? PA. Non. CO. Quid igitur? PA. Lupus hians. CO. Felicius redeunt, qui asini redeunt sacerdotiorũ sarcina graues. Cur mauis sacerdotium, quàm uxorem? PA. Quia mihi placet otium. Arridet Epicurea uita. CO. At mea sententia suauius uiuunt, quibus est lepida puella domi, quam complectantur, quoties libet. PA. Sed adde, nonnunquam quum non libet. Amo uoluptatem perpetuã. Qui ducit uxorem, uno mense felix est: cui contingit optimum sacerdotium, in omnem usque uitam fruitur gaudio. CO. Sed tristis est solitudo, adeò ut nec Adam suauiter uicturus fuerit in Paradiso, nisi Deus illi adiunxisset Euam. PA. Non deerit Eua, cui sit opulentum sacerdotium. CO. Sed uoluptas non est uoluptas, quæ cum mala fama, malaq; conscientia coniuncta est. PA. Verum dicis, & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis tædiũ fallere. CO. Istis quidem sodalibus nihil iucundius. Sed redíne ad tuã piscationem? PA. Redeo, si liceat parare nouam escam. CO. Auream'ne an argenteam? PA. Vtramlibet. CO. Bono animo es, pater suppeditabit. PA. Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, quum intellexerit mihi sortem etiam periisse. CO. Verùm ista lex est aleæ. PA. Sed ille

Lupus hians. Vide Chiliad. Et allusum est ad nomẽ Pamphagus, quod Græcis sonat omnia comedentem.

non

non delectatur hac alea. CO. Si pernegabit ille, cõmonstrabo tibi, unde poßis quantum uoles pecuniæ sumere. PAM. Tu uerò mihi uoluptatem narras: agè monstra, iam cor mihi salit. CO. In promptu est. PA. Nactus es thesaurum aliquem? COC. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. PA. Si queam corradere centum ducatos, reuixerit spes. COC. At ego tibi commonstro, unde poßis haurire centum millia. PAM. Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca. Dic unde. COC. Ex Asse Budæi. Illhic reperias innumeras myriades, siue auream malis monetam, siue argenteam. PA. Abi quò dignus es cum tuo ioco. Illhinc tibi resoluam, quod debuero pecuniæ. COC. Resolues, sed quod illhinc tibi numeraro. PA. Agè noui nasum tuum. CO C. At mihi præ te nasus est nullus. Imò nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus. PAM. Ludis in re seria. Hac in re ringi poßim citius, quàm ridere. Res grauior est, quàm ut ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Ioco me tractas in re neutiquam iocosa. COC. Minimè rideo, id quod res est dico. Non rideo quidem, imò rem ipsam dico. Seriò loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. PA. Ita tibi semper stet in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domũ, cogniturus quo statu sint illhic omnia? CO. Offendes noua permulta. PA. Credo, sed utinam omnia ex animi sententia. CO. Isthuc optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. PA. Hoc quoque commoditatis adferet utriq; nostrum sua peregrinatio, quòd dulcior erit posthac domus. COC. Nescio, nam uideo

Ringit iratus, nõ ridet. Ricius igitur est diductio labiorum, sed præ dolore cum risus sit ex gaudio.

Stet in capite. Prouerbiũ est in eos, q diuersum sentiunt ab ijs, quæ dicũt, id est, præposterè stet pileum.

quosdam septies illò recurrere. Adeò scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

ALIA MILITARIA.

HANNO, THRASYMACHVS.

Thrasymach', id est, audax in pugna, nomen aptum militi.

Vulcanus fingitur claudus: Mercurius, alatus.

Manubiæ, pecunia è spolijs collecta.

Zonã inanem. uide prouerbiũ Zonam perdidit.

HAN. *Vnde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras?* THR. *Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras?* HAN. *Quia alatus uidebare, quum abires, nunc claudicas.* THRA. *Sic à bello rediri solet.* HAN. *Quid tibi cum bello, homo quouis dama fugacior?* TH. *Spes prædæ reddiderat fortem.* HA. *Multum igitur refers manubiarum?* TH. *Imò zonam inanem.* HA. *Tantò minus grauare sarcina.* TH. *Atqui sceleribus onustus redeo.* HAN. *Grauis profectò sarcina, si uerum dicit propheta, qui peccatum appellat plumbum.* THR. *Plus illhic scelerum uidi, & patrani, quàm unquàm antehac in omni uita.* HAN. *Ecquid igitur arridet uita militaris?* TH. *Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius.* HA. *Quid igitur in mentem uenit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter, quàm ad conuiuium?* THR. *Ego nihil aliud coniectare possim, quàm illos agi malis furijs, sesèq; totos malo dæmoni, ac miseriæ deouisse, nec aliud, quàm hic manes suos anticipare.* HA. *Ita quidẽ uidetur. Nam ad res honestas uix ullo pretio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit uictoria.* THR. *Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuũ tonitrua, hinnitus equorum, clamor uirorum, ut neque uidere potuerim quid gereretur, adeò ut uix scirem ubi essem ipse.* HA. *Vnde igitur cæteri qui ex bello ueniunt, sic*

sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores? THR. *Ego credo istos mentiri splendidè. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro.* HAN. *An'ne hoc quidè scis, unde tibi uenerit claudicatio?* TH. *Vix, ita me Mauors posthac malè amet: suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu.* HA. *At ego scio.* THR. *Scis? an tibi narrauit aliquis?* HAN. *Non, sed diuino.* TH. *Dic igitur.* HA. *Quum fugeres pauidus, collapsus humi offendisti in silicem.* TH. *Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeò ueri simile est, quod diuinasti.* HAN. *Abi domum, & uxori narra tuas uictorias.* THR. *Ille mihi occinet haud suaue encomium, qui nudus redeam.* HA. *Sed unde restitues, quod rapuisti?* THR. *Iampridem restitui.* HA. *Cui?* TH. *Scortis, œnopolis, & ijs qui me uicerunt alea.* HA. *Satis militariter. Par est, ut quod malè partũ est, peius dispereat. Verùm à sacrilegijs, opinor, temperatum est.* THR. *Imò illhic erat sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec sanis.* HAN. *Quo pacto sarcies?* TH. *Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illhic fit.* HA. *Iure belli fortissis.* TH. *Tenes.* HA. *At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum.* TH. *Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito.* HA. *Est aliquid insanire cum multis.* TH. *Concionator è suggesto pronuntiauit, bellum esse iustum.* HA. *Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut iustũ sit principi, nõ continuò iustum est tibi.* TH. *Audiui ex Rabinis, quòd licet sua cuiq; arte uiuere.* HA. *Præclara ars, incendere*

Solẽt encomio laudari, q̃ fortiter se gessissent in bello.

Nihil sacrum. Allusum est ad prouerbium, ἀφ' ἱερῶν ἐφέρου. tam etsi deflexit in alium sensum.

Suggestus ille, opinor utrũq; dici, sed suggestũ reperi apud Cicer. ex sugge sto.

quosdam septies illò recurrere. Adeò scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

ALIA MILITARIA.

HANNO, THRASYMACHVS.

Thrasymach', id est, audax in pugna, nomen aptum militi.

Vulcanus fingitur claudus: Mercurius, alatus.

Manubiæ, pecunia è spolijs collecta.

Zonã inanem. uide prouerbiũ Zonam perdidit.

HAN. Vnde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? TH. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? HAN. Quia alatus uidebare, quum abires, nunc claudicas. THRA. Sic à bello rediri solet. HAN. Quid tibi cum bello, homo quouis dama fugacior? TH. Spes prædæ reddiderat fortem. HA. Multum igitur refers manubiarum? TH. Imò zonam inanem. HA. Tantò minus grauare sarcina. TH. Atqui sceleribus onustus redeo. HAN. Grauis profectò sarcina, si uerum dicit propheta, qui peccatum appellat plumbum. THR. Plus illhic scelerum uidi, & patraui, quàm unquàm antehac in omni uita. HAN. Ecquid igitur arridet uita militaris? TH. Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius. HA. Quid igitur in mentem uenit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter, quàm ad conuiuium? THR. Ego nihil aliud coniectare possim, quàm illos agi malis furijs, seseq; totos malo dæmoni, ac miseriæ deuouisse, nec aliud, quàm hîc manes suos anticipare. HA. Ita quidẽ uidetur. Nam ad res honestas uix ullo pretio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit victoria. THR. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuũ tonitrua, hinnitus equorum, clamor uirorum, ut neque uidere potuerim quid gereretur, adeò ut uix scirem ubi essem ipse. HA. Vnde igitur cæteri qui ex bello ueniunt,

sic

sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores? THR. *Ego credo istos mentiri splendidè. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro.* HAN. *An'ne hoc quidē scis, unde tibi uenerit claudicatio?* TH. *Vix, ita me Mauors posthac malè amet: suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu.* HA. *At ego scio.* THR. *Scis? an tibi narrauit aliquis?* HAN. *Non, sed diuino.* TH. *Dic igitur.* HA. *Quum fugeres pauidus, collapsus humi offendisti in silicem.* TH. *Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeò uerisimile est, quod diuinasti.* HAN. *Abi domum, & uxori narra tuas uictorias.* THR. *Illæ mihi occinet haud suaue encomium, qui nudus redeam.* HA. *Sed unde restitues, quod rapuisti?* THR. *Iampridem restitui.* HA. *Cui?* TH. *Scortis, œnopolis, & ijs qui me uicerunt alea.* HA. *Satis militariter. Par est, ut quod malè partū est, peius dispereat. Verùm à sacrilegijs, opinor, temperatum est.* THR. *Imò illhic erat sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec sanis.* HAN. *Quo pacto sarcies?* TH. *Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illhic fit.* HA. *Iure belli fortasis.* TH. *Tenes.* HA. *At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum.* TH. *Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito.* HA. *Est aliquid insanire cum multis.* TH. *Concionator è suggesto pronuntiauit, bellum esse iustum.* HA. *Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut iustū sit principi, nō continuò iustum est tibi.* TH. *Audiui ex Rabinis, quòd licet sua cuiq; arte uiuere.* HA. *Præclara ars, incendere*

Solēt encomio laudari, q̄ fortiter se gessissent in bello.

Nihil sacrum. Alluſum est ad prouerbium, ὀδὸν ἤρεν. tam etsi deflexit in alium sensum.

Suggestus ille, opinor utrūq; dici, sed suggestū reperi apud Cicer. ex sugge sto.

quosdam septies illò recurrere. Adeò scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

ALIA MILITARIA.

HANNO, THRASYMACHVS.

'Thrasymach', id est, audax in pugna, nomen aptum militi.

Vulcanus fingitur claudus: Mercurius, alatus.

Manubiæ, pecunia è spolijs collecta.

Zonã inanem. uide prouerbiũ Zonam perdidit.

HAN. Vnde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? TH. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? HAN. Quia alatus uidebare, quum abires, nunc claudicas. THRA. Sic à bello rediri solet. HAN. Quid tibi cum bello, homo quouis dama fugacior? TH. Spes prædæ reddiderat fortem. HA. Multum igitur refers manubiarum? TH. Imò zonam inanem. HA. Tantò minus grauare sarcina. TH. Atqui sceleribus onustus redeo. HAN. Grauis profectò sarcina, si uerum dicit propheta, qui peccatum appellat plumbum. THR. Plus illhic scelerum uidi, & patraui, quàm unquàm antehac in omni uita. HAN. Ecquid igitur arridet uita militaris? TH. Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius. HA. Quid igitur in mentem uenit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter, quàm ad conuiuium? THR. Ego nihil aliud coniectare possim, quàm illos agi malis furijs, sese q; totos malo dæmoni, ac miseriæ deuouisse, nec aliud, quàm hìc manes suos anticipare. HA. Ita quidẽ uidetur. Nam ad res honestas uix ullo pretio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit victoria. THR. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuũ tonitrua, hinnitus equorum, clamor uirorum, ut neque uidere potuerim quid gereretur, adeò ut uix scirem ubi essem ipse. HA. Vnde igitur cæteri qui ex bello ueniunt,

sic

sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores? THR. *Ego credo istos mentiri splendidè. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro.* HAN. *An'ne hoc quidē scis, unde tibi uenerit claudicatio?* TH. *Vix, ita me Mauors posthac malè amet: suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu.* HA. *At ego scio.* THR. *Scis? an tibi narrauit aliquis?* HAN. *Non, sed diuino.* TH. *Dic igitur.* HA. *Quum fugeres pauidus, collapsus humi offendisti in silicem.* TH. *Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeò ueri simile est, quod diuinasti.* HAN. *Abi domum, & uxori narra tuas uictorias.* THR. *Illæ mihi occinet haud suaue encomium, qui nudus redeam.* HA. *Sed unde restitues, quod rapuisti?* THR. *Iampridem restitui.* HA. *Cui?* TH. *Scortis, œnopolis, & ijs qui me uicerunt alea.* HA. *Satis militariter. Par est, ut quod malè partū est, peius dispereat. Verùm à sacrilegijs, opinor, temperatum est.* THR. *Imò illhic erat sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec sanis.* HAN. *Quo pacto sarcies?* TH. *Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illhic fit.* HA. *Iure belli fortasis.* TH. *Tenes.* HA. *At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum.* TH. *Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito.* HA. *Est aliquid insanire cum multis.* TH. *Concionator è suggesto pronuntiauit, bellum esse iustum.* HA. *Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut iustū sit principi, nō continuò iustum est tibi.* TH. *Audiui ex Rabinis, quòd licet sua cuiq; arte uiuere.* HA. *Præclara ars, incendere*

Solēt encomio laudari, q̄ fortiter se gessissent in bello.

Nihil sacrum. Alludit ad prouerbium, ἀδὲν ἱερὸν. tam etsi deflexit in alium sensum.

Suggestus ille, opinor utrūq; dici, sed suggestū reperi apud Cicer. ex sugge sto.

domos, diripere templa, uiolare sacras uirgines, spoliare miseros, occidere innoxios. TH. *Lanij cõducũtur ad mactandũ bouẽ, quur nostra ars reprehenditur, quòd condu cimur ad mactandos homines?* HA. *Non eras solicitus, quoniam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere?* THR. *Non admodùm. Bona spes habebat animum meum. Nam diuæ Barbaræ me semel cõmendaram.* HA. *Receperat illa tutelam tui?* TH. *Sic mihi uisa est annuere capite aliquantulum.* HA. *Quando isthuc tibi uisum est? manè?* THR. *Non, sed à cœna.* HA. *Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi uisæ sunt ambulare.* TH. *Vt hic diuinat omnia. Sed præcipua spes erat in diuo Christophoro, cuius imaginem quotidie contemplabar.* HA. *In tentorijs? Vnde illhuc diui?* TH. *Carbone pinxeramus illum in uelo.* HA. *Nimirùm haudquaquam siculnum, ut aiunt, præsidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra iocum, non uideo quî posis expiari à tantis flagitijs, nisi te conferas Romam.* TH. *Imò noui uiam breuiorem.* HA. *Quam?* TH. *Ibo ad Dominicales, illhic paulo transigam cum commissarijs.* HA. *Etiam de sacrilegijs?* TH. *Etiam si Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam, tam largas habent indulgentias, & autoritatem componendi.* HA. *Bene habet, si uestram compositionem Deus ratam habuerit.* THR. *Imò magis metuo ne diabolus non habeat ratam. Nam Deus natura placabilis est.* HA. *Quem tibi sacerdotem deliges?* THR. *Cui cognouero quàm minimum esse frontis ac bonæ mentis.* HA. *Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum?* TH. *Quid ni? Postea*

quàm

quàm semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exonerauero sarcina: ipse uiderit, qui absoluit. HA. Quî scis an absoluat? TH. Scio. HA. Quonam indicio? TH. Quia manus imponit capiti, admurmurans nescio quid. HA. Quid si reddat tibi omnia peccata tua, quum manũ imponit, hæc admurmurans: Absoluo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio: & restituo te tuis moribus, talemq; dimitto, qualem accepi? TH. Viderit ille, quid dicat: mihi satis est, quòd me credo absolutum. HA. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo cui debes. TH. Vnde tu mihi obuius, qui mihi conscietiam è serena nubilam redderes? HAN. Felix occursus. Bona auis est obuius amicus, qui bene moneat. THR. Nescio quàm bona, certè parum suauis.

HERILIA.

RABINVS, SYRVS.

RA. Heus heus furcifer, iandudum rauceſco clamore, nec tu tamen expergiſceris: uidere mihi uel cum gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi fuste somnũ istũ excutiã. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet, somnium hominis, in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famuli, solent exortum solis anteuertere, curareq; ut herus surgẽs reperiat omnia parata. Vt ægrè diuellitur à nido tepefacto cuculus. Dum scalpit caput, dum distendit neruos, dum oscitat, tota abit hora. SYR. Vixdum diluxit. RA. Credo tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia. SY. Quid me iubes facere? RA. Fac ut luceat foculus, uerre pileum ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas

primùm intus purga scopis, mox foris. Déinde suffitum aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac ad ignem fumi expertem siccæ lotum. SYR. Fiet. RAB. Atqui moue te ocyus. Iam hæc feciſſe oportuit. SY. Moueo. RA. Video, ſed nihil promoues. Vt incedit teſtudo. SY. Non poſſum ſimul ſorbere, & flare. RA. Etiã ſententias loqueris carnifex? Tolle matulam. Compone lecti ſtragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentum. Verre sõlum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid ceſſas aſine? Annus eſt prius, quàm accendas candelam. SYR. Vix reperio ſcintillam ignis. RA. Sic heri condidiſti. SYR. Nec follem habeo. RAB. Vt reſponſat nebulo, quaſi qui te habeat, careat folle. SYRVS. Quàm imperioſum habeo dominum, uix huius iußis decem expediti famuli fecerint ſatis. RAB. Quid ais ceſſator? SY. Nihil, omnia rectè. RAB. Non ego te audio murmurantem? SY. Equidem precor. RA. Credo: pater noſter inuerſum. Precationem, opinor, Dominicam præpoſteré. Quid gannis de imperio? SYR. Precor tibi, ut fias imperator. RAB. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum uſque. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confuſa, ſuo quæq; loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc ſordida ſubmoueto ab oculis, fortaſſis inuiſent me quidam aulici. Si quid ſenſero prætermiſſum, uapulabis largiter. SYR. Hîc ſanè noui benignitatem tuam. RAB. Proinde caue, ſi ſapis. SYR. At interim de prandio nulla mentio. RAB. Vah, ut hic mentem habet furcifer. Non prandeo domi. Itaque ſub horam decim

Sorbere, & flare. uide Chilia. 2. centur. 2. prouerb. 80.

decimam ad me transcurrito deducturus me eò, ubi sum prandsurus. SYR. Tibi quidem prospectum, sed hîc interim nihil est quod edam. RAB. Si non est quod edas, est quod esurias. SYR. Nemo fit esuriendo satur. RA. Est panis. SY. Est, sed ater & furfuraceus. RA. Delicias hominis. Te quidem fœnum esse oportuit, si pabulũ detur te dignum. An postulas ut te asinũ tantũ placẽtis saginem? Si fastidis panẽ citra obsonium, adde porrũ, aut, si mauis, cepe.

ALIA.

RAB. Est tibi abeundum in forum. SYR. Tam procul? RAB. Non sunt nisi sex passus, tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negotia, tu supputa in digitos, ut memineris. Primùm deflectes ad uestiariũ, ac thoracem undulatũ, si iam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium ueredarium. Is plerunq; est in Ceruo, ibi potitat: rogabis si quid habet literarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium, rogabis meis uerbis, ne quid solicitus sit, quòd pecuniam non miserim ad diem præscriptum, numerabitur propediem. SY. Quando, ad Calendas Græcas? RAB. Rides ganeo, imò ante Calẽdas Martias. In reditu deflectes ad leuam, & ex bibliopolis disces, si quid aduectum sit nouorum libellorũ è Germania. Cognosce qui sint, & quãti uenales. Post hæc rogabis Goclenĩũ, ut mihi dignetur esse conuiua, alioqui cœnaturo soli. SYR. Etiam conuiuas uocas? non habes domi unde uel murem pascas. RA. Proinde tu confectis cæteris abi ad macellum, & eme nobis armum ouillum, eum curabis eleganter assum. Audin'

hæc? SYR. *Plura quàm uellem.* RAB. *At uide, ut memineris.* SYR. *Vix potero dimidium.* RAB. *Etiam hic stas cessator? Iam rediisse oportuit.* SYR. *Quis possit unus tot rebus obeũdis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à scopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgijs, à legationibus: postremò nõ uideor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.*

A iurgijs ridiculi gratia.

ALIA.

RA. *Profer ocreas, nã equitandũ est.* SY. *En adsunt.* RA. *Probè quidem abs te curatæ, totæ albẽt situ. Opinor nec exterſas, nec unctas hoc anno, adeò rigent præ ſiccitate. Exterge ſubuuido panno: mox unge ad ignem diligẽter ac macera, donec molleſcãt.* SY. *Curabitur.* RA. *Vbi calcaria?* SY. *Adſunt.* RA. *Verũ, ſed obducta rubigine. Vbi frænum & ephippia?* SY. *Sunt in promptu.* RA. *Vide ne quid deſit, aut nequid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis ſit in mora, quũ erimus in curſu. Propera ad ſellarium, & hoc lorum cura ſarciendũ. Reuerſus inſpice ſoleas, ſiue calceos equorum, num qui claui deſint, aut ua cillent. Quàm macilẽti ſunt equi, quamq; ſtrigoſi? Quoties abſterges, aut pectis illos in anno?* SY. *Imò quotidie.* RA. *Nimirùm res ipſa loquitur. Ieiunãt, opinor, nonnũquam totũ triduum.* SY. *Minimé.* RA. *Negas tu quidem, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat: quanquàm ſatis loquuntur ipſa macie.* SY. *Curo ſeduló.* RA. *Cur igitur tu habitior equis?* SY. *Quia nõ paſcor fœno.* RA. *Hoc igitur reſtat. Adorna manticam celeriter.* SYR. *Fiet.*

MONITORIA PAEDAGOGICA.

PAEDAGOGVS, PVER.

PAE.

PAE. Tu mihi uidere non in aula natus, sed in caula, adeò moribus es agrestibus. Puerũ ingenuũ decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiã, cui debes honorem, compone te in rectũ corporis statũ, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia tẽperatus: oculi uerecũdi, semper intẽti in eum cui loqueris: iuncti pedes, quietæ manus. Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorũ cõponatur, ut totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam & uerecundam indolem præ se ferat. PV. Quid si mediter? PAE. Fac. PV. Siccine satis? PAE. Nondum. PV. Quid si sic? PAE. Propémodum. PV. Quid si sic? PAE. Hem satis est. Isthuc tene, ne sis ineptè loquax, aut præceps. Nec uagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendũ, id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomẽto honoris gratia: atq; identidẽ modicè flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nunc agè specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quãtum temporis abfuisti à maternis ædibus? PV. Iam sex ferme menses. PAE. Addendum erat, domine. PV. Iam sex ferme menses domine. PAE. Non tangeris desiderio matris? PV. Nonnunquã sanè. PAE. Cupis eam reuisere? PV. Cupio domine, si id pace liceat tua. PAE. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Quum loqueris, caue ne præcipites sermonem,

aut

aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distinctè, clarè, articulatè cõsuescito proferre uerba tua. Si quẽ præteribis natu grãdem, magistratũ, sacerdotem, doctorem, aut alioqui uirum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, quũ præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis. In conuiuio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris quid deceat ætatem tuam: postremus omnium admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modestè: si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precator, sed ipse bibito modicé. Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone uultum, quasi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Si uideris conuiuium esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis conuiuis, subducito te à mensa. Vide ut horum memineris. P V. Dabitur opera mi præceptor. Nunquid aliud uis? P A E. Adito nunc libros tuos. P V. Fiet.

DE LVSV.

NICOLAVS, HIERONYMVS, COCLES, PAEDAGOGVS.

NI. Iandudũ & animus, & cœlũ, & dies inuitat ad ludendũ. HI. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor

plor non inuitat. NI. Subornandus orator quispiam, qui ueniam extorqueat. HIE. Aptè quidem dictum, extorqueat. Nam citius clauam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. NI. Verum, sed iam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad uerbera facilimus est & liberalis, hic parcissimus, idemq; difficilimus. HIE. Attamen protrudendus est aliquis legatus, non admodùm uerecundæ frontis, quem non ilico protelet suis sæuis dictis. NIC. Protelet, perturbet. Eat qui uolet, ego carere malo, quàm rogare. HIE. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quàm Cocles. NIC. Nemo profectò. Nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchrè callet. Perfrictæ frontis. Vide Chil. 1. cent. 7. prouerb. 47. HIE. I Cocles, ab omnibus nobis magnam initurus gratiam. COC. Equidem experiar sedulò. Verum si non successerit, non conferte culpam in oratorem uestrum. HIE. Bene ominare, si te satis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. COC. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salue præceptor. PAE. Quid sibi uult nugamentum hominis? COC. Salue præceptor obseruande. PAE. Insidiosa ciuilitas. Satis iam salueo. Dic quid uelis. COC. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi ueniam. PAE. Nihil aliud quàm luditis, etiam absq; uenia. CO. Scit tua prudentia uigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintil. PAE. Sanè ut isthuc tenes, quod pro te facit. Laxamento opus est ijs, qui uehementer laborant: uobis qui segniter studetis, & acriter luditis, fræno magis opus est, quàm laxatis habenis. CO. Admitimur

pro

pro uiribus. Et si quid hactenus cessatum est, pòst diligẽtia sarcietur. PAE. Oh sartores. Quis erit fideiussor aut sponsor isthuc futurum? CO. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. PAE. Imò culi periculo potius. Scio quàm non sit tutum tibi credere, tamen hìc periculum faciam, quàm sis bonæ fidei. Si dederis uerba, posthac nequicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne diuertant ad compotationes, aut alia nequiora. Maturè se recipiant domum ante solis occubitum. CO. Fiet. Exoraui, quanquàm ægrè. HI. O lepidum caput, omnes amamus te plurimum. CO. Sed interim cauendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret, fideiussi uestro omnium nomine. Quòd si quid accidat, non est quòd me posthac utamini legato. HI. Cauebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? COC. De hoc in campo consultabimus.

PILA.

NIC. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria, sed aptior hyemi, quàm æstati. HI. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendũ. NI. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. HI. Imò reticulum piscatoribus relinquamus, elegantius est palma uti. NI. Agè nihil moror: sed quanti certabimus? HI. Talitro, sic parcetur pecuniæ. NI. At ego malo frõti parci, quàm pecuniæ. HI. Et mihi frons carior est pecunia. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus. NI. Sic res habet, ut dicis. HI. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei uicta pendet sextam drachmæ partẽ: sed hac lege, ut quicquid è uictorijs collectum fuerit, insumatur

in con

in conuiuium, ad quod pariter uocentur omnes. NI. *Placet lex, & rata esto. Supereſt igitur ut ſortiamur partes. Nam ſumus ferme pares omnes, ut nõ admodùm referat, quis cui coniungatur.* HIE. *Tu tamen me longè peritior es.* NI. *Vt ſim, ſed tu felicior.* HI. *Etiam hìc ualet fortuna?* NIC. *Illa nuſquam non regnat.* HIE. *Agè fiat ſortitio. Euge, bene cecidit, contigere quos uolebam.* NI. *Et nos noſtræ ſodalitatis non pœnitet.* HI. *Agedum ſimus uiri. Amat uictoria curam. Suum quiſque locum gnauiter tueatur. Tu mihi conſiſte à tergo, excepturus pilam, ſi me tranſuolet. Tu iſthic obſerua, repulſurus huc ab aduerſarijs reuolantem.* NI. *Ne muſca quidem hàc præteruolarit impune.* HI. *Agite bonis auibus, mittite pilã in tectũ. Qui miſerit nihil præfatus, fruſtra miſerit.* NI. *Hem, accipe igitur.* HI. *Mittito. Si miſeris extra lineas, aut infra, ſupra'ue tectum, ueſtro damno fuerit, aut certè nobis fraudi eſſe nolim. Tu ſanè parum commodè mittis.* NI. *Tibi quidem, at nobis commodè.* HI. *Vt miſeris, ita remittam. Par pari referam. Sed præſtat ingenuè legitimeq; ludere.* NI. *In ludo pulchrum eſt arte uincere.* HIE. *Fateor, atque etiam in bello. Sed habet utraque pars ſuas leges. Et ſunt artes illiberales.* NIC. *Credo, plures ſeptem. Signa terminum teſtula, aut rudere, aut ſi mauis pileo tuo.* HIE. *Tuo malim.* NIC. *Rurſus accipe pilam.* HIE. *Mitte. Pone notam.* NIC. *Habemus duos terminos ſatis longinquos.* HIE. *Vtcunque, ſed tamen uincibiles.* NICO. *Planè uincibiles, ſi nemo repugnet.* HIER. *Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus præbete uos uiros: uiceramus & hìc, ſi tuo*

si tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. NI. *Non diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadraginta quinque.* HI. *Sestertia?* NI. *Non.* HI. *Quid igitur?* NI. *Numeros.* HI. *Quò pertinèt numeri, si nihil est quod numeres?* NI. *Noster hic ludus est.* HI. *Præproperè tu quidem, ante uictoriam canis triumphum. Vidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est ut Martis, ita lusus alea. Habemus triginta. Iam rursum pares sumus.* NI. *Nunc seriò res agitur. Euge succesit, habemus potiores.* HI. *Non diu habituri. Dixin'? Rursum æquali fortuna sumus.* NI. *Diu nutat fortuna, uelut anceps, utris uelit addicere uictoriam. O' fors fortuna, si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit uotum. Penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretaceam, ne excidat.* HI. *Iam appetit uespera, & sudatum est satis, præstat à ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum.* NI. *Nos euicimus tres drachmas, uos duas. Restat igitur una ad compotatiũculam. Sed interim quis soluet pretium pilarum?* HI. *Omnes ex æquo, pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est, quàm ut inde possit aliquid decidi.*

Appetit uespera: pro, instat, quoties est uerbum neutrale.

LVDVS GLOBORVM MISSILIVM.

ADOLPHVS, BERNARDVS.

AD. *Tu toties apud me gloriatus es te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Agè libet experiri, qui uir sies.* BE. *Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu planè, quod dici solet, in planitiem prouocas equum.* AD. *Et tu senties me non esse asinum.* BER.

Placet

Monomachia singulare certamen.

Placet'ne monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi? AD. *Malo μονομαχίαν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri.* BE. *Isthuc & ipse malo, ut laus in solidum sit mea.* AD. *Hi spectatores erunt & arbitri.* BE. *Recipio. Sed quod erit victori brauium, aut quæ victo pœna?* AD. *Quid si victo amputetur auricula?* BER. *Imò testium alter execetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus, decertemus pro suæ uterque gentis gloria. Si uicero, tu ter exclamabis, Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem uerbis celebrabo tuam Germaniam.* AD. *Agè placet conditio.* BER. *Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ.* ADO. *Nosti saxum illud prominens haud procul à porta?* BER. *Noui.* AD. *Ea erit meta, & hæc linea.* BE. *Esto, sed sint, inquam, pares globi.* AD. *Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis, elige.* BER. *Mitte.* AD. *Heus, tu mihi non brachium, sed balistam habere uideris, ita torques globum.* BE. *Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium, tandem mitte. Ò uires Herculeas, sed tamen uinco.* AD. *Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te.* BE. *Consiste in sphæræ tuæ uestigio.* AD. *Non utar dolo malo. Cupio uirtute, non fraude uincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene uertat.* BER. *Ingens profectò iactus.* ADO. *Ne ride prius, quàm uiceris. Adhuc penè sumus pares.* BER. *Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is uicerit.* ADO. *Vici, canta.* BER. *Sed definiendum erat, quoto ludo constaret uictoria*

ctoria. Nam primò nondum incaluerunt uires. ADOL. Definiant arbitri. AR. Tertio. BER. Placet. ADOL. Quid ais? Agnoscísne uictorem? BE. Tibi fortuna magis aspirauit, uiribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronuntiauerint, id sequar. AR. Germanus uicit, & hòc glorioſior est uictoria, quòd talem artificem uicerit. ADO. Nunc canta Galle. BE. Sum raucus. ADOL. Hoc Gallis nouum non est, sed tamen coccyssa. BE. Floreat Germania ter. AD. Imò ter hoc erat canendum. BE. Contraximus siticulam, eamus ad compotatiunculam, ibi perficietur cantio. ADOL. Non recuso, si ita uidetur arbitris. BER. Ita commodius est. Melius canet Gallus colluto gutture.

Sum raucus. Altusit ad Gallos gallinaceos, quibus natura adest uox rauca, quæ propriè dicunt coccyssare. Vnde & Galli uulgò uocant gallum coc.

Colluto. Ita Persius. Guttur Mobile colluerit. Solet enim medicamentis uox fieri mollior, quòd hîc fit uino.

LVDVS SPHAERAE PER ANVLVM FERREVM.

GASPAR, ERASMIVS.

GAS. Agè nos auspicabimur. Victo succedet Marcolphus. ER. Sed quod erit uictori præmium? GA. Victus ex tempore faciet, & recitabit distichon in laudem uictoris. ER. Accipio legem. GA. Visne sortiamur, uter prior incipiat? ER. Esto tu Prior, si libet. ego malim esse Abbas. GA. Hoc tua conditio potior est, quòd tibi nota est area. ER. Versaris in tua arena. GA. In hac exercitatior sum, quàm in libris. Tamen istud perquàm exigui momenti est. BER. Aequum est, ut tantus artifex, in hoc certamine mihi largiare nonnihil. GAS. Imò isthuc abs te peterem iustius, sed parum est honesta precaria uictoria. Is demum uincit, qui suo Marte uincit. Ita fumus pares, ut non melius commissus fuerit olim cum Bitho Bacchius.

ER.

ER. *Tua sphæra commodior est mea.* GAS. *Et tua uola uincit meam.* ER. *Ludito legitimè, absq; technis, ac dolo malo.* GAS. *Dices tibi rem esse cum homine probo.* ER. *Sed prius audire cupio huius sphæristerij plebiscita.* GA. *Quaternio ludum absoluit. Qui hanc lineam præterierit in damno est. Reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, perdit ius feriendi.* ER. *Intelligo.* GAS. *En occlusi tibi portam.* ER. *Sed isthinc te excutiam.* GAS. *Id si feceris, eodem tibi huius certaminis palmam.* ER. *Bona fide?* GAS. *Optima. Non enim potes alia uia, nisi sic mittas sphæram tuam in parietẽ, ut resiliat in meam.* ER. *Id experiar. Quid ais bone uir? Non'ne depulsus es?* GA. *Fateor, utinam tam sapiens esses, quàm es felix. Sed isthuc centies tentanti, uix semel successerit.* ER. *Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit, uinces. Sed interim redde pactum præmium.* GA. *Quodnam?* ER. *Distichon.* GA. *Reddam.* ER. *Et quidem ex tempore. Quid arrodis unguem?* GA. *Habeo.* ER. *Recita clarè.* GA. *Clarissimè.*

Plaudite uictori iuuenes hîc quotquot adestis,
Nam me qui uicit, doctior est nebulo.

Non'ne distichon habes? ER A. *Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.*

Sphæristerium locus in quo sphæris ludituꝛ. Habent autem quęq; peculiares tuas leges.

Doctior est nebulo. Philosophus qdã apud Laertium uidẽs quendã laetiua saltatiõe gestiẽtẽ, quò melius, inquit, feceris, hoc deterius facies. In re mala, quò melior es artifex, hòc uir es peior.

SALTVS.

VINCENTIVS, LAVRENTIVS.

VIN. *Libet'ne decertare saltu?* LA. *Ludus iste non conuenit pransis.* VINC. *Quam ob rem?* LAVR. *Quia uentris saburra grauat corpus.* VINC. *Non admodum sanè, qui pransi sint in pædagogio. Nam hi plerunque*

Ventris saburra Saburra onꝰ nauis, quo librꝰ aduersus fluctus. Et Plautus Saburratas appellat saturas.

cœnaturiunt prius, quàm absoluerint prandium. LAV. Quod igitur saliendi genus placet? VI. Auspicemur ab eo quod est simplicissimum, à saltu locustarum, siue mauis ranarum, utraq; tibia, sed iunctis pedibus. Qui longissimè promouerit cingulum, coronam feret. Huius ubi erit satietas, aliud atq; aliud genus experiemur. LAV. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis. VIN. Quid si certemus unica tibia? LAV. Iste ludus est Empusæ, ualeat. VIN. Hastæ annixum salire, cum primus est elegans. LAV. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Verg. proposuit & Aeneas. VI. Verum, sed idem proposuit & cæstuum certamen, quo non delector. LAV. Designa stadium. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit meta. VI. Sed utinam adesset Aeneas, qui proponat & præmia uictori. LAV. Victori abundè magnum præmium est gloria. VI. Victo potius dandum erat præmium, solatij gratia. LAV. Sit igitur victo præmium, ut lappa coronatus redeat in urbem. VI. Equidem non recusarim, si tu præcedas tibia canens. LAV. Est ingens æstus. VIN. Nec mirum, quum sit solstitium æstiuum. LAV. Præstiterat natare. VIN. Mihi non placet ranarum uita. Animal sum terrestre, non amphibion. LA. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. VI. Imò etiam utile. LAV. Ad quid? VI. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum ualent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. LA. Artem narras haudquaquam aspernandam. Neq; enim minus laudis est aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare.

Empusæ. Spectrum est apud Aristophanem, unica tibia, unde & Græci nomen dedere.

Stadium, aliàs certa magnitudo, est, alias locus in quo curritur.

Amphibion. Amphibia dicuntur, quæ simul & in aqua uiuūt, & in terra, ut Crocodilus, anates, & similia.

VI.

VI. Sum planè rudis & imperitus natandi, nec sine periculo uersamur in alieno elemento. LAV. Sed assuescere oportet: nemo nascitur artifex. VI. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. LA. Experieris primùm innixus suberi. VINC. Nec suberi fido magis quàm pedibus: si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quàm certator.

Suberi. Græcè φλοὸς cortícis genus semp fluitans, unde qui discunt natare, subijciunt pectori. Horatius: Nabis sine cortice.

CONFABVLATIO PIA.

ERASMVS, GASPAR.

ER. Vnde nobis prodis? E popina quapiam? GAS. Bona uerba. ER. A. E sphæristerio? GAS. Ne hoc quidem. ER. Ex œnopolio? GAS. Nequaquam. ER. Quando non assequor diuinando, dic ipse. GAS. Ex æde Virgini matri sacra. ER. Quid illhic tibi negotij est? GAS. Salutem dixi nonnullis. ER. Quibus? GAS. Christo, ac diuis aliquot. ER. Religiosior tu quidem es, quàm pro ætate. GA. Imò nullam ætatem non decet religio. ER. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi inijci cucullam. GAS. Atq; ego idem facerem, si quantum caloris adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. ERA. Aiunt uulgò pueros angelicos in satanam uerti, ubi consenuerint. GA. Sed ego prouerbium isthuc ab autore satana natum arbitror. Imò uix existimo senem esse uere pium, nisi qui à teneris annis assueuerit. Nihil felicius discitur, quam quod ab ipsa statim pueritia discitur. ERA. Quid igitur est religio? GAS. Est purus cultus numinis, & obseruatio præceptorum illius. ERAS. Quæ sunt illa? GASP. Longum est, sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. ERA. In quibus? GA. Primùm ut rectè pieq; sentiamus de Deo, de scriptu-

Religio quid

ris diuinis: atque ut illum non uereamur modò, tanquàm dominum, uerùm etiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentiß. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam: ea est, ne quem lædamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut seruemus patientiam. Ea præstat, ut mala nobis illata si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. ER. Næ tu probus es concionator. Sed præstas ista, quæ doces? GAS. Equidem adnitor pro mea uirili. ER. Quî potes pro uirili quum sis puer? GAS. Meditor pro uiribus, & quotidie mecum ineo rationem: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircunspectius, hoc taceri præstiterat, illud omissum. ER. Quando subducitur ista ratio? GAS. Ferme sub noctem, aut si quando magis uacat. ER A. Sed agè dic mihi, quibus studijs totum transigis diem? GAS. Nihil celabo tam fidum sodalem. Manè simul atque sum expergefactus, id ferè fit ad sextam, aut quintam, pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore. ER A. Quid deinde? GAS. Auspicor initium diei, In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. ER AS. Piè sanè. GAS. Mox paucis saluto Christum. ER. Quid illi narras? GAS. Ago gratias, quòd eam noctem mihi uoluerit esse prosperam, precorq; ut diem itidem illum totum mihi bene fortunet ad ipsius gloriam & animæ meæ salutem, ut'que is, qui est uera lux, occasum nesciens, Sol æternus, omnia uiuificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti meæ, ne usquam impingam in ullum peccatum

catum, sed ipsius ductu perueniam ad uitam æternam. ER. Haud inauspicatum diei exordium. GA. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primam debeo pietatem, quum tempus est, confero me ad ludum literarium, sed ut per templum, si commodum est, sit mihi transitus. ER. Quid illic? GA. Rursus tribus uerbis saluto IESVM, ac diuos diuasq; omnes, sed nominatim Virginem matrem, tum eos, quos habeo mihi peculiares. ER A. Næ tu mihi probè legisse uideris illud Catonis, Salutā libenter. Non sat erat manè salutasse, nisi mox denuo salutares? An non uereris ne molestus sis immodico officio? GAS. Amat CHRISTVS subinde appellari. ER. Sed ineptum uidetur alloqui, quem non uides. GA. Nec eam mei partem uideo, qua illi loquor. ER. Qua? GA. Animo. ER. Sed otiosum est salutare non resalutantem. GAS. Resalutat frequenter arcano afflatu. Denique abunde resalutat, qui dat, quod petitur. ER A. Quid hic ab illo flagitas? Nam uideo tuas salutationes esse petaces, cuiusmodi ferè sunt mendicorum. GAS. Sanè non procul aberras à scopo. Precor enim, ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores, cuiq; pater cœlitus emissa uoce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quum diceret, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite: quiq; est æterna sapientia summi patris, illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam. ER. Quos autem habes diuos tibi peculiares? GA. Ex apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex doctoribus Hieronymum, è uirginibus Agnetem. ER. Quæ

res istos tibi conciliauit, electio, an casus? G A S. Sortitò obuenerunt. ER. Atque istos nihil aliud quàm salutas? An ab his quoque mendicas aliquid? G A. Precor ut me suis suffragijs Christo commendent, efficiantq;, ut illius munere aliquando contingat in ipsorum uenire contubernium. E R A. Sanè rem non uulgarem petis. Quid tum postea? G A S. Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilij sit laturus, nisi gnauiter laboranti. At modis omnibus do operam, ne meritò uapulem, ne quid dicto, factó ue uel præceptorem offendam, uel sodales meos. E R. Probus es, quum ista cogitas. G A. Quum dimissus à ludo domum propero, rursus, si licet, per ædem sacram iter facio, rursusq; tribus uerbis saluto IESVM. Si quid est obsequij præstandum parentibus, obeo. Quòd si quid etiã supereſt temporis, mecum aut cum sodali repeto, quod prælectum est in schola. E R. Næ tu perparcus es temporis. G A. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multò pretiosissimæ, ita irrecuperabilis. ER. At Hesiodus docet, in medio parcendũ esse: in principio præproperam, in fine seram esse parsimoniam. G A. Rectè Hesiodus de uino, sed ætatis nulla est intempestiua parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. At ætas nũquàm nõ defluit, siue dormias, siue uigiles. ER. Fateor, sed quid deinde rei geritur? G A. Adornata parentibus mẽsa, recito consecrationem, deinde prandentibus ministro, donec iubeor, & ipse prandium sumere. Actis gratijs, si quid uacat, lusu quopiam honesto laxo animũ cum sodalibus,

donec

donec hora reuocat in ludum à lusu. ER. Ac rursum salutatur IESVS? GA. Salutatur, si commodum est. Sin est cur aut non uacet, aut non sit tempestiuum, tamẽ præteriens templum, cogitatiuncula saluto. Rursus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reuersus, idem ago quod ante prandium. A cœna suauibus fabulis memet oblecto, mox properam noctem precatus parentibus ac familiæ, maturè me cõfero ad nidum: illhic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studijs is dies peractus sit. Si quid est grauioris admißi, Christi clementiam imploro, ut ignoscat, polliceorq; meliora: si nihil est, ago gratias illius beneficentiæ, quòd me seruarit ab omni uitio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, ut me protegat ab insidijs mali genij, & ab obscœnis somnijs. His factis, lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me compono ad somnum. ER. Quo pacto te componis? GAS. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primùm lateri dextro innitens, brachijs ita transuersim seu decussatim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, læua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut excitet. ER. Sanctulus es, qui ista poßis. GA. Imò stultulus es, qui ista dicas. ER. Laudo institutum, si queam assequi. GA. Velis tantummodo. Na ubi assueueris pauculos menses, erunt hæc etiam suauia, adeò uertentur in naturam. ER. Sed nihil audio de sacris. GA. Nec hac parte mihi desum diebus præcipuè festis. ER. In his quomodo te geris? GAS. Primùm omnium excutio meipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. ER. Id si

comperias, quid tum? subducis te ab altari? GA. Nequaquam corpore, sed animo me submoueo, ac ueluti procul stans, nec audens attollere oculos ad patrem Deum, quem offendi: tundo pectus meum, dicens illud in Euangelio cum publicano: Domine, propitius esto mihi peccatori. Deinde si sensero quempiam offensum à me, eum curo placandum euestigio, si licet: sin minus, statuo in animo, mihi, quum primùm licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq; operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suum, & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, uindictam omnem Deo relinquo. ER. Isthuc durum est. GA. An hoc durum, condonare leuem noxiam fratri tuo, cuius ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus: quum Christus omnia commissa nostra, nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imò mihi uidetur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud Deum: perinde quasi conseruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, ut ipsi dominus cõdonet talenta decem. ER. Perpulchrè tu quidem philosopharis, si modò certum sit, quod ais. GAS. An postulas aliquid certius Euangelica cautione? ER. Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie missam, ut appellant, audierint. GAS. Horum institutum equidem non damno, præsertim in his qui abundant otio, qui'ue totos dies occupantur profanis negotijs. Tantùm illos non approbo, qui superstitiosè sibi persuaserunt diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa: & statim à sacro se conferunt, uel ad negotiationem, uel ad prædam, uel ad aulam, ubi si, quod per fas nefasq; gerunt, succesſe

succeſſerit, miſſæ imputant. ERA. *Sunt'ne qui ſic deſipiant?* GAS. *Magna pars hominum.* ERA. *Sed redi ad ſacrum.* GAS. *Si licet, adſto uicinus altari ſacro, quò percipere queam ea, quæ ſacrificus recitat, præſertim epiſtolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquandiu rumino.* ERA. *Nihil interim oras?* GAS. *Oro, ſed cogitatione magis quàm ſtrepitu labiorum. Ex his quæ recitat ſacerdos, arripio precandi occaſionem.* ER. *Dic iſtud explanatius, nã non ſatis aſſequor quid uelis.* GA. *Dicam: Finge recitari epiſtolam, Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Ad hæc uerba ſic mecũ loquor Chriſto: utinam uerè ſim azymus, purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu domine Ieſu, qui ſolus es ab omni malitia purus ac ſyncerus, largire, ut in dies & ipſe magis ac magis expurgem uetus fermentum. Rurſum ſi fortè legatur Euangeliũ de ſeminante ſemen ſuum, ſic oro mecum: Felix ille, qui meretur eſſe terra bona, precorq; ut me ex terra parum frugifera, ſua benignitate faciat terram bonam, ſine cuius beneficio nihil omnino bonum eſt. Sint hæc exempli cauſa dicta. Nam ſingula perſequi prolixum ſit. Sed ſi contingat ſacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adeſſe propius altari, ferè libellum paro, in quo deſcriptum ſit eius dici Euãgelium & epiſtola, inde ipſe aut pronuntio, aut oculis lego.* ERA. *Intelligo, ſed quibus cogitationibus potiſſimum tranſmittis hoc tempus?* GAS. *Ago gratias Ieſu Chriſto pro ineffabili charitate, quòd genus humanum ſua morte redimere dignatus eſt, & oro ne patia-*

Miſſa.

tur

tur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animum meum, suo sanguine uiuificet spiritum meum, ut paulatim adolescens uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius mystici, quod est ecclesia: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane, & porrecto poculo pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quòd si sensero uagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab euagando cohibeat. ERA. Habes in hoc psalmos certos? GAS. Habeo, sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animum meum, quàm illa psalmorum recitatio. ERA. Quid de ieiunando? GAS.

Ieiunium. Cum ieiunio mihi nihil est negotij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse ualetudinem atterendam ieiunijs, donec corpus ætate robur iustum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo, cœnoque parcius, quò me præbeam alacriorem studijs pietatis per diem festum.

Conciones. ERA. Posteà quàm cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? GAS. Optimè. Ad has non minus religiosè accedo, quàm ad sacram synaxin. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quòd si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Euangelium & epistolam, cum interpretatione Chrysostomi aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus

ctus interpres. ERA. Sed magis afficit uiua uox. GAS. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed non uideor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum, scripto loquentem audiero. ERA. Non opinor. Sed quid te delectat confessio? GAS. Magnopere: nam confiteor quotidie. ERA. Quotidie? Confessio. GAS. Sic est. ERA. Alendus est igitur tibi propriè sacerdos. GAS. Sed illi confiteor, qui uerè solus remittit peccata, cui est potestas uniuersa. ERA. Cui nam? GAS. Christo. ERA. An istud sat esse putas? GAS. Mihi quidem sat esse, si sat esset proceribus ecclesiæ & consuetudini receptæ. ERA. Sed quos tandem appellas ecclesiæ proceres? GA. Pontifices, episcopos, apostolos. ERA. Et inter hos annumeras Christum? GA. Is est omnium sine controuersia colophon. ER. Et huius receptæ confessionis autor? GA. Is quidem autor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu ecclesiæ, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero & idiotæ sufficit maiorum autoritas. Hæc est certè præcipua confessio: nec est facilè confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono, deploroq; si quid admisi grauius, clamo, lacrymor, ploro, meipsum execror, illius imploro misericordiã: nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum è medullis animi, & succederee tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atq; ubi tempus inuitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea quæ certò uidentur crimina

mina: aut eiusmodi, ut uehemens suspicio sit crimen esse. Neq; uerò protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur aduersus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imò uix arbitror crimen capitale, cui non sit adiuncta malitia, hoc est, peruersa uoluntas. ER. *Laudo quòd sic es religiosus, ut tamen superstitiosus nõ sis. Hic quoq; puto locũ esse*

Nec omnia. Chil. 1. cẽtu. 4. prouerb. 16.

prouerbio, Nec omnia, nec passim, nec quibuslibet. GA. *Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris.* ER. *Sthuc est sapere. Sunt permulti, quod compertũ est, qui quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & impudentes, qui percontantur à confitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem uerius quàm animum, quum nec dijdicent inter noxiam, & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere frequenter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum.* GAS. *Et ego nimium. Proinde deligo mihi uirum non indoctum, grauem, spectatæ integritatis, linguæ continentis.* ERA. *Profectò felix es, qui ista maturè sapere cœperis.* GAS. *Deniq; illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti.* ER. *Nihil melius, si quidem possis cauere.* GA. *Nobis quidem difficilimum est, sed auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona uoluntas. Eam mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco me ipsum pro uiribus ab improborum consortio, & sodali-*

Corrumpuet. Chil. 1. centur. 10 puerb. 74.

bus integerrimis me adiungo, quorum conuictu fiam melior. ERA. *Rectè tibi consulis. Corrumpunt enim mores*

bonos

bonos colloquia praua. GAS. Otium ceu pestem quandam fugio. ER. Nec mirum. nam nihil malorum non docet otium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus uiuat oportet, qui uelit abesse à malorum consortio. GA. Non omnino uanum est, quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui prouocant ad nequitiam, utor innoxijs. Comem me præbeo omnibus: sed familiarem non nisi bonis. Quòd si quando incidero in malos, aut corrigo blandè monendo, aut dissimulo, toleroq; si uideor non profecturus, certè quum primùm licet, memet ab illis suffuror. ER. Nunquam'ne titillauit animum tuum libido capiundæ cucullæ? GA. Nunquam, sed crebrò solicitatus sum à quibusdam ab hoc seculo, uelut à naufragio, ad portum monasteriorum uocantibus. ER. Quid ego audio? Captabant prædam? GAS. Miris technis adorti sunt & me, & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere me uel matrimonio, uel sacerdotio, uel instituto monachorum, aut ulli uitæ generi, unde post me non queam extricare, prius quàm mihi fuero pulchrè notus. ER. Quando isthuc erit? GA. Fortasse nunquàm. Sed ante annũ uigesimũ octauum nihil statuetur. ER. Quur ita? GAS. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quòd sese temere præcipitarint in seruitutem. ERA. Cautus es, qui capi nolis. GAS. Interim tria mihi curæ sunt. ERA. Quæ nam ista? GAS. Vt proficiam in probitate morum. Dein si id nequeam, certè tuear illibatam innocentiam, ac famam. Postremò paro mihi bonas literas,

ac disci

res istos tibi conciliauit, electio, an casus? G A S. *Sortitò obuenerunt.* ER. *Atque istos nihil aliud quàm salutas? An ab his quoque mendicas aliquid?* G A. *Precor ut me suis suffragijs Christo commendent, efficiantq; ut illius munere aliquando contingat in ipsorum uenire contubernium.* E R A. *Sanè rem non uulgarem petis. Quid tum postea?* G A S. *Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilij sit laturus, nisi gnauiter laboranti. At modis omnibus do operam, ne meritò uapulem, ne quid dicto, facto ue uel præceptorem offendam, uel sodales meos.* E R. *Probus es, quum ista cogitas.* Ga. *Quum dimissus à ludo domum propero, rursus, si licet, per ædem sacram iter facio, rursusq; tribus uerbis saluto* IESVM. *Si quid est obsequij præstandum parentibus, obeo. Quòd si quid etiã supersit temporis, mecum aut cum sodali repeto, quod prælectum est in schola.* E R. *Næ tu perparcus es temporis.* G A. *Nec mirum, si parcus sum rei, ut multò pretiosissimæ, ita irrecuperabilis.* ER. *At Hesiodus docet, in medio parcendũ esse: in principio præproperam, in fine seram esse parsimoniam.* G A. *Rectè Hesiodus de uino, sed ætatis nulla est intempestiua parsimonia. Dolium si finas, non exhauritur. At ætas nũquàm nõ defluit, siue dormias, siue uigiles.* ER. *Fateor, sed quid deinde rei geritur?* G A. *Adornata parentibus mẽsa, recito consecrationem, deinde prandentibus ministro, donec iubeor, & ipse prandium sumere. Actis gratijs, si quid uacat, lusu quopiam honesto laxo animũ cum sodalibus,*

donec

donec hora reuocat in ludum à luſu. ER. Ac rurſum ſalutatur IESVS? GA. Salutatur, ſi commodum eſt. Sin eſt cur aut non uacet, aut non ſit tempeſtiuum, tamẽ præteriens templum, cogitatiuncula ſaluto. Rurſus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus poſtulat. Domum reuerſus, idem ago quod ante prandium. A cœna ſuauibus fabulis memet oblecto, mox proſperam noctem precatus parentibus ac familiæ, maturè me cõfero ad nidum: illhic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus ſtudijs is dies peractus ſit. Si quid eſt grauioris admiſi, Chriſti clementiam imploro, ut ignoſcat, polliceorq; meliora: ſi nihil eſt, ago gratias illius beneficentiæ, quòd me ſeruarit ab omni uitio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, ut me protegat ab inſidijs mali genij, & ab obſcœnis ſomnijs. His factis, lectum ingreſſus, frontem ac pectus ſigno crucis imagine, ac me compono ad ſomnum. ER. Quo pacto te componis? GAS. Nec pronus cubo, nec ſupinus, ſed primum lateri dextro innitens, brachijs ita tranſuerſim ſeu decuſſatim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu ſiniſtro admota humero, læua dextro. Ita dormio ſuauiter, donec aut expergiſcar ipſe, aut exciter. ER. Sanctulus es, qui iſta poſis. GA. Imò ſtultulus es, qui iſta dicas. ER. Laudo inſtitutum, ſi queam aſſequi. GA. Velis tantummodo. Na ubi aſſueueris pauculos menſes, erunt hæc etiam ſuauia, adeò uertentur in naturam. ER. Sed nihil audio de ſacris. GA. Nec hac parte mihi deſum diebus præcipuè feſtis. ER. In his quomodo te geris? GAS. Primùm omnium excutio meipſum, num qua labe peccati ſit animus contaminatus. ER. Id ſi

comperias, quid tum? subducis te ab altari? G A. Nequa-quam corpore, sed animo me submoueo, ac ueluti procul stans, nec audens attollere oculos ad patrem Deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud in Euangelio cum publicano: Domine, propitius esto mihi peccatori. Deinde si sensero quempiam offensum à me, eum curo placandum eue-stigio, si licet: sin minus, statuo in animo, mihi, quum primùm licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq; operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suum, & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, uindictam omnem Deo relinquo. ER. Isthuc durum est. G A. An hoc durum, condonare leuem noxiam fratri tuo, cuius ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus: quum Christus omnia commissa nostra, nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imò mihi uidetur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud Deum: perinde quasi conseruus ex pacto remittat conser-uo tres drachmas, ut ipsi dominus cõdonet talenta decem. E R. Perpulchrè tu quidem philosopharis, si modò cer-tum sit, quod ais. G A S. An postulas aliquid certius Euan-gelica cautione? ER. Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie missam, ut appel-lant, audierint. G A S. Horum institutum equidem non damno, præsertim in his qui abundant otio, qui'ue totos dies occupantur profanis negotijs. Tantùm illos non ap-probo, qui superstitiosè sibi persuaserunt diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa: & sta-tim à sacro se conferunt, uel ad negotiationem, uel ad prædam, uel ad aulam, ubi si quod per fas nefasq; gerunt,

succesſe

succeſſerit, miſſæ imputant. ERA. *Sunt'ne qui ſic deſipiant?* GAS. *Magna pars hominum.* ERA. *Sed redi ad ſacrum.* GAS. *Si licet, adſto uicinus altari ſacro, quò percipere queam ea, quæ ſacrificus recitat, præſertim epiſtolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquandiu rumino.* ERA. *Nihil interim oras?* GAS. *Oro, ſed cogitatione magis quàm ſtrepitu labiorum. Ex his quæ recitat ſacerdos, arripio precandi occaſionem.* ER. *Dic iſtud explanatius, nã non ſatis aſſequor quid uelis.* GA. *Dicam: Finge recitari epiſtolam, Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Ad hæc uerba ſic mecũ loquor Chriſto: utinam uerè ſim azymus, purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu domine Ieſu, qui ſolus es ab omni malitia purus ac ſyncerus, largire, ut in dies & ipſe magis ac magis expurgem uetus fermentum. Rurſum ſi fortè legatur Euangeliũ, de ſeminante ſemen ſuum, ſic oro mecum: Felix ille, qui meretur eſſe terra bona, precorq; ut me ex terra parum frugifera, ſua benignitate faciat terram bonam, ſine cuius beneficio nihil omnino bonum eſt. Sint hæc exempli cauſa dicta. Nam ſingula perſequi prolixum ſit. Sed ſi contingat ſacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adeſſe propius altari, ferè libellum paro, in quo deſcriptum ſit eius dici Euãgelium & epiſtola, inde ipſe aut pronuntio, aut oculis lego.* ERA. *Intelligo, ſed quibus cogitationibus potiſſimum tranſmittis hoc tempus?* GAS. *Ago gratias Ieſu Chriſto pro ineffabili charitate, quòd genus humanum ſua morte redimere dignatus eſt, & oro ne patia-* Miſſa.

tur

tur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animum meum, suo sanguine uiuificet spiritum meum, ut paulatim adolescens uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius mystici, quod est ecclesia: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane, & porrecto poculo pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quòd si sensero uagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium, quod animum ab euagando cohibeat. ERA. *Habes in hoc psalmos certos?* GAS. *Habeo, sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animum meum, quam illa psalmorum recitatio.* ERA. *Quid de ieiunando?* GAS.

Ieiunium. *Cum ieiunio mihi nihil est negotij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse ualetudinem atterendam ieiunijs, donec corpus ætate robur iustum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo, cœnoque parcius, quò me præbeam alacriorem studijs pietatis per diem festum.*

Conciones. ERA. *Posteà quàm cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones?* GAS. *Optimè. Ad has non minus religiosè accedo, quàm ad sacram synaxin. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quòd si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Euangelium & epistolam, cum interpretatione Chrysostomi aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus*

ctus interpres. ERA. Sed magis afficit uiua uox. GAS. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed non uideor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum, scripto loquentem audiero. ERA. Non opinor. Sed quid te delectat confessio? GAS. Magnopere: nam confiteor quotidie. ERA. Quotidie? Confessio. GAS. Sic est. ERA. Alendus est igitur tibi propriè sacerdos. GAS. Sed illi confiteor, qui uerè solus remittit peccata, cui est potestas uniuersa. ERA. Cui nam? GAS. Christo. ERA. An istud sat esse putas? GAS. Mihi quidem sat esse, si sat esset proceribus ecclesiæ & consuetudini receptæ. ERA. Sed quos tandem appellas ecclesiæ proceres? GA. Pontifices, episcopos, apostolos. ERA. Et inter hos annumeras Christum? GA. Is est omnium sine controuersia colophon. ER. Et huius receptæ confessionis autor? GA. Is quidem autor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu eccle siæ, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero & idiotæ sufficit maiorum autoritas. Hæc est certè præcipua confessio: nec est facilè confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono, deploroq; si quid admisi grauius, clamo, lacrymor, ploro, meipsum execror, illius imploro misericordiã: nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum è medullis animi, & succederee tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atq; ubi tempus inuitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea quæ certò uidentur crimina

mina: aut eiusmodi, ut uehemens suspicio sit crimen esse. Neq; uerò protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur aduersus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imò uix arbitror crimen capitale, cui non sit adiuncta malitia, hoc est, peruersa uoluntas. ER. Laudo quòd sic es religiosus, ut tamen superstitiosus nõ sis. Hic quoq; puto locũ esse

Nec omnia. Chil. 1. cẽtu. 4. prouerb. 16. prouerbio, Nec omnia, nec passim, nec quibuslibet. GA. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. ER. Adhuc est sapere. Sunt permulti, quod compertũ est, qui quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & impudentes, qui percontantur à confitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem uerius quàm animum, quum nec dijdicent inter noxiam, & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere frequenter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum. GAS. Et ego nimiũm. Proinde deligo mihi uirum non indoctum, grauem, spectatæ integritatis, linguæ continentis. ERA. Profectò felix es, qui ista maturè sapere cœperis. GAS. Deniq; illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. ER. Nihil melius, si quidem possis cauere. GA. Nobis quidem difficillimum est, sed auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona uoluntas. Eam mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco me ipsum pro uiribus ab improborum consortio, & sodali-

Corrumpuet. Chil. 1. centur. 10 puerb. 74. bus integerrimis me adiungo, quorum conuictu fiam melior. ERA. Rectè tibi consulis. Corrumpunt enim mores

bonos

bonos colloquia praua. GAS. Otium ceu pestem quandam fugio. ER. Nec mirum. nam nihil malorum non docet otium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus uiuat oportet, qui uelit abesse à malorum consortio. GA. Non omnino uanum est, quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui prouocant ad nequitiam, utor innoxijs. Comem me præbeo omnibus: sed familiarem non nisi bonis. Quòd si quando incidero in malos, aut corrigo blandè monendo, aut dissimulo, toleroq; si uideor non profecturus, certè quum primùm licet, memet ab illis suffuror. ER. Nunquam'ne titillauit animum tuum libido capiundæ cucullæ? GA. Nunquam, sed crebrò solicitatus sum à quibusdam ab hoc seculo, uelut à naufragio, ad portum monasteriorum uocantibus. ER. Quid ego audio? Captabant prædam? GAS. Miris technis adorti sunt & me, & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere me uel matrimonio, uel sacerdotio, uel instituto monachorum, aut ulli uitæ generi, unde pòst me non queam extricare, priùs quàm mihi fuero pulchrè notus. ER. Quando isthuc erit? GA. Fortasse nunquàm. Sed ante annũ uigesimũ octauum nihil statuetur. ER. Quur ita? GAS. Quia audio passim tum multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quòd sese temere præcipitarint in seruitutem. ERA. Cautus es, qui capi nolis. GAS. Interim tria mihi curæ sunt. ERA. Quæ nam ista? GAS. Vt proficiam in probitate morum. Dein si id nequeam, certè tuear illibatam innocentiam, ac famam. Postremò paro mihi bonas literas,

ac disci

inuidebis, si me præbeam æmulum instituti tui? GA. *Imò isthoc nomine mihi futurus es multò charior. Scis enim similitudine morum cõglutinari familiaritatem ac beneuolentiam.* ER. *Verum, sed non inter competitores eiusdem magistratus, quum simili laborent morbo.* GA. *Nec inter eiusdem sponsæ procos, quũ pariter laborẽt amore.* ER. *Sed extra iocum, experiar imitari rationem istam.* GA. *Precor ut tibi uertat quàm optimè.* ER. *Fortassis assequar te.* GA. *Vtinam & præcurras. Sed interim non opperiar te, quin ipse quotidie meipsum superare cõtendo: sed tamen adnitere, si potes, ut anteuertas.*

VENATIO.

PAVLVS, THOMAS, VINCENTIVS, LAVRENTIVS, BARTHOLVS.

PA. *Trahit sua quenque uoluptas. Mihi placet uenatio.* TH. *Placet & mihi, sed ubi canes, ubi uenabula, ubi casses?* PA. *Valeant apri, ursi, cerui & uulpes, nos insidiabimur cuniculis.* VI. *At ego laqueos iniiciam locustis. Insidiabor gryllis.* LA. *Ego ranas captabo.* BA. *Ego papiliones uenabor.* LA. *Difficile est sectari uolantia.* BA. *Difficile, sed pulchrum: nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis.* LA. *Equidẽ malo insidiari piscibus, est mihi hamus elegans.* BA. *Sed unde parabis escam?* LA. *Lumbricorum ubique magna est copia.* BA. *Est, si tibi uelint prorepere è terra.* LA. *At ego mox efficiam, ut multæ myriades prosiliant.* BA. *Quo pacto? incantamentis?* LA. *Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos iuglandium summos cortices uirentes confractos immittito.*

Hac aqua perfunde sõlum. Nunc obserua paulisper. Vides emergentes? BA. Rem prodigiosam uideo. Sic olim, opinor, exiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris, & elegantioris sunt palati, quàm ut esca tam uulgari capiantur. LA. Noui quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. BA. Tu uide an posßis imponere piscibus, ego ranis facessam negotium. LA. Quomodo, reti? BA. Non, sed arcu. LA. Nouum piscandi genus. BA. At non iniucundum. Videbis, & fateberis. VI. Quid si nos duo micemus digitis? PA. Ignauum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis conuenit, quàm in campo uersantibus. VI. Quid si certemus nucibus? PA. Nuces admodùm pueris relinquamus, nos grandiusculi sumus. VI. Et tamen nihil aliud adhuc, quàm pueri sumus. PA. Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est equitare in arundine longa. VI. Tu igitur præscribito lusus genus, sequar, quocunq; uocaris. PA. Et ego futurus sum omnium horarum homo.

Omnium hor. Chil. 1. centur. 3. prouerb. 68.

EVNTES IN LVDVM LITERARIVM.

SYLVIVS, IOANNES.

SY. Cur adeò curris Ioannes? IOAN. Cur lepus, ut aiunt, pro carnibus? SY. Quid hoc prouerbij est? IOA. Quia nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea. SY. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modò præterita est quinta. Inspice horologium, maus

Lepus pro car. Chil. 1. centur. 1. prouerb. 86.

manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora equis spatijs dirimit. IO. At ego uix habeo fidem horologijs. Mentiuntur nonnunquàm. SY. At mihi fide, qui campanæ uocem audiuit. IO. Quid loquebatur? SY. Horam esse quintam. IO. Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim. SY. Communc periculum narras. Nam & ipse uix satis teneo. IO. Et nosti præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quàm si corium esset bubulum. SY. Verùm is non aderit in ludo. IO. Quem igitur uicarium constituit? SY. Cornelium. IO. Strabum illum? Væ nostris natibus. Is uel Orbilio plagosior est. SY. Verum dicis, & ideò non rarò sum illius brachio precatus paralysim. IO. Non est pium, imprecari præceptori. Nobis potius cauendum, ne incidamus in illius tyranni manus. SY. Reddamus inter nos uicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. IOAN. Pulchrè mones. SY. Fac præsenti sis animo. Nam metus officit memoriæ. IOAN. Facilè deponerem pauorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus animo? SY. Fateor, attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

Orbilium literatorem Horatius plagosum appellat.

ALIA.

CORNELIVS, ANDREAS.

CO. Scitè tu quidē pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. ANDR. Quæso ut appares mihi pennam hanc. COR. Deest mihi gladiolus scriptorius. AND. En tibi. COR. Hui, quàm

obtusius. AN. *Accipe coticulam.* CO. *Vtrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore?* AN. *Attempera ad manum tuam.* CO. *Ego molliore soleo.* AN. *Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorum.* C. *Græcas an Latinas?* A. *Latinas primùm conabor imitari.* CO. *Suppedita chartam.* AN. *Accipe.* CO. *Sed meum atramentum dilutius est subinde infusa aqua.* AN. *At meum linteolum prorsus exaruit.* CO. *Immunge, nisi mauis immeiere.* AN. *Imò potius rogabo alicunde.* CO. *Præstat habere domi, quàm rogare commodato.* AN. *Quid est scholasticus absque calamo & atramento?* CO. *Quod miles absque clypeo & gladio.* AN. *Vtinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis uocem scribendo assequi.* CO. *Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter. Sat citò, si sat bene.* AN. *Bellè, sed istum cantionem cane præceptori, quum dictat, Sat citò, si sat bene.*

AGENDI GRATIAS, FORMVLA.

PETRVS. *Gratum mihi feci sti, quòd aliquoties ad me scripseris. Habeo gratiam, quòd ad me crebrius scripsisti. Amo te, quòd interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quòd crebris literis me uiseris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando literis laceßiueris. Pergratum mihi feci sti, quòd nos dignatus sis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humanißimis ad me literis. Magni beneficij loco duco, quòd non es grauatus ad me scribere.*

RESP

RESPONSIO.

CHRISTIANVS. Imò meum est deprecari culpam impudentiæ, qui non ueritus sim tibi homini, tum occupatissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris. Verebar ne quid offendissent te meæ literæ, quòd nihil omnino responderes. Non est quòd agas gratias: mihi plus satis est, si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

NOVA ROGANDI FORMVLA.

PET. Nihil'ne nouarum rerum adfertur è patria? Num quid noui de nostratibus accepisti? Quid noui? Ecquid nouarum rerum apportas? Num quid noui fertur? Num quæ res nouæ è patria nuntiantur?

RESPONSIO.

CH. Noui quidem permultũ, at nihil ueri. Nouarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Noua permulta, at explorati nihil. Non parum noui, at ueri non multum. Nihil adfertur noui. Nouarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerũ nihil, firmi nihil. Si uana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mẽdaciorum adfero, quantum uix una nauis uehat. PE. Exonera te quàm primùm, ne succumbas tanto oneri. CH. Nihil habeo, præter ea quæ iactantur in tonstrinis, in uehiculis, & in nauibus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FORMVLA.

PE. Nihil'ne literarum accepisti? Num aliquas è patria

recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum aduolauit è Gallia?

RESPONSIO.

C H. *Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Nec uerbum quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi tandiu, quantum uides in oculo meo. Equidem pecunias, quàm literas malim. Argentũ accipere malim, quàm epistolas. Nummos recipere malim, quàm epistolia. Nihil moror literas, modò ueniat argentum. Equidem numerari malo mihi, quàm scribi.*

CREDO, FORMVLA.

P E. *Facilè credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacilè potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi nõ credat. Profectò habeo tibi fidem. Istius rei mihi facilè fidem facis. Credo tibi uel inuiato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatij literæ. At ego alterutrum malim, quàm neutrum.*

VTILITATIS FORMVLA.

C H. *Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad quid tandem inanes conducunt literæ? Quorsum ualent, ad quid conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt, literæ uacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono sunt otiosæ literæ? Quid iuuant? cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?*

Respon

RESPONSIO.

PE. Podici tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earũ, ad anum expurgandum ualent. Ad nates tergẽdas. Ad posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partẽ mundandam, quæ semet identidem inquinat. Valent cõuestiendis scombris. Inuoluendo turi sunt accommodæ. Quid, ualent'ne amiculi? Quid uxor agit tua? CH. Rectè, eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

Identidẽ, id est, subinde.

Alluſit ad prouerbium, τὸ ἀγαθὸν περιγινόμενον.

Persius. Nec scombros metuentia carmina, nec tus.

BENE PRECANDI.

PE. Bene & tibi, & illi uertat: tibi, quòd pater: illi, quòd mater futura sit. Adsit Deus. Vt utrique uestrũ faustum felixq; sit, precor, optoq;. Quæso, oro superos omnes, ut incolumis prolem uobis dignam pariat, & pulchra te faciat prole parentem. Laudo te, quòd uirũ te præstiteris. Gaudeo te uirum præstitisse. Gallum te esse declarasti, at non Cybeles. Abi, uirũ te iudico. CH. Ludis, idq; facis tuo more. Agè agè, est tibi ius apud me loquendi quælibet. Audio te patriam nuper reuisisse. PE. Sic est factũ. Nam diutiuscule iam abfueram, non ferebã tam diuturnum patriæ desiderium. Non poteram à parentũ cõspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorum desiderium. CH. Piè fecisti, humanus es, qui ista cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodã amore eius regionis, quæ nos aluit atq; edidit.

Nescio qua natale sõlum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Dic quæso, quonam in loco illic offendisti omnia.

NOVA OMNIA, FORMVLA.

PE. Nihil non nouum. Mutata omnia. Nouata singula. Vniuersa noua. Vide quàm repentè tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium uenire mundum. Vixdum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quàm Epimenides somniatorum princeps, uix tandem expergefactus. CH. Quænam ista est fabula? Quid isthuc est fabulæ? PE. Dicam equidem, si uacat. CH. Nihil fuerit iucundius. PE. Sellam igitur unà cum puluino mihi poni iube. CH. Rectè admones, nam sedens commodius mentieris. PE. Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbē egressus, cùm subita pluuiæ ui compellente in quandam spelunca ingressus obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit.

Epimenidis fabula.

NON CREDO, FORMVLA.

CH. Quid narras? incredibile dictu. Non ueri simile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile ueri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ uanitatis? Digna fabula quæ addatur ueris narratiōibus Luciani. PE. Imò rem narro à grauissimis proditā autoribus: nisi fortè tibi parum spectatæ fidei est Aulus Gellius. CH. Mihi uerò quæ scribit ille, fōlia Sibyllæ sunt omnia. PE. Quid tandē theologum tot annos somniasse reris? Nam theologum fuisse proditum est. CHR. Audire gestio.

RESPONSIO.

PE. Quid aliud quàm quæ postea prodidit Scotus, & huius farinæ sodales? Sed bene cum Epimenide actū est, qui uel tandem ad se redierit. Multi theologi nunquàm exper

expergiſcuntur à ſuis ſomnijs. CH. *Agè, facis ut poëta dignũ eſt, ſed perge mentiri.* PE. *Epimenides igitur ſomno ſolutus, è ſpelunca prodit, circunſpicit, mutata uidet omnia, ſyluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter nihil non nouũ. Accedit ad urbem, percõtatur, manet illhic aliquandiu, neq; nouit quenquam, neq; à quopiam agnitus eſt. Alius hominum cultus, nec idem uultus, mutatus ſermo, diuerſi mores. Nec miror hoc* Epimenidi *poſt tantum annorum euenisſe, quum mihi idem propémodum euenerit, qui pauculos annos abfuiſſem.* CH. *Quid uterq; parens, uiuunt'ne?* PE. *Viuunt ambo, & ualent utcunque, ſenio, morbo, deniq; bellorũ calamitate confecti.* CH. *Hæc eſt humanæ uitæ comœdia. Hæc eſt fatorum lex ineuitabilis.* PE. *Cœnabis hodie domi?* CH. *Foris cœnaturus ſum. Foris cœnandum eſt mihi.* PE. *Apud quem?* CH. *Apud ſocerum meum, apud generum meum, apud nurũ meam, apud affinem meum. Affines dicuntur qui non ſanguinis, ſed matrimonij cõiunctione copulati ſunt.* PE. *Quæ ſunt igitur uſitata uocabula affinitatũ?* CH. *Maritus & uxor, nota ſunt nomina.*

Socer	*uxoris meæ pater eſt mihi.*
Gener	*filiæ meæ maritus.*
Socrus	*uxoris meæ mater.*
Nurus	*filij mei uxor.*
Leuir	*mariti frater. Leuir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorem leuirum uocat, quòd eſſet nupta Paridi*
Fratria	*fratris mei uxor.*
Glos	*mariti ſoror.*

Vitricus	*matris meæ maritus.*
Nouerca	*patris mei uxor.*
Priuignus	*uxoris aut mariti filius.*
Priuigna	*filia alterutrius.*
Riualis	*qui amat eandem.*
Pellex	*quæ amat eundē: ut, Thraſo riualis eſt Phædriæ, & Europe pellex eſt Iunoni.*

CRAS MECVM PRANDEAS.

PE. *Ago gratias. Laudo te, in craſtinū igitur te ad cœnā uoco. Cras ergo ut mecum cœnes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi conuiuam uolo.*

TIMEO NE NON POSSIM.

CH. *At uereor, ne non licuerit. Vt poſsim, metuo. Veniā, ſi quidem licebit. At metuo, ne non queam.*

QVARE?

PE. *Cur non licebit? Quî ſic? Quid ita? Quamobrem? Quo pacto? Quid cauſæ? Quid obſtiterit, quo minus poſsis?*

DOMI ME ESSE OPORTET.

CH. *Tum quidem mihi domi manendū eſt. Vt domi nocte ſim neceſſe eſt. Tum certè foris eſſe non licebit. Cras mihi quoquam ire foras, liberū nō erit. A' prandio abeſſe mihi integrum non erit. Aliquot ipſe conuiuas eo die opperior. Aliquot amiculi cōſtituere ea nocte domi noſtræ cœnare. Ipſi mihi conuiuæ ſunt ea nocte tractandi, alioqui lubens uenirem. Ni id eſſet, haud grauatim facerē. Quod ni eſſet, haud me tibi difficilem præberem. Nō excuſarē, ſi liceret. Nō paterer bis rogari, ſi queam. Parce rogare, uel inuocatus adeſſem, ſi quo pacto liceret. Haud grauatè*

tibi

tibi obsequerer, si posim. Frustra rogas eum, cui non est liberum: frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc ut maximè cupiam, nõ possum: tunc superuacaneum esset rogare uolentem. PET. *Vel perendie apud me sis oportet. Saltem perendino die ad cœnam uenias, necesse est. Quarto abhinc die non grauaberis mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo non potes effugere, quin uenias.*

NON POSSVM PROMITTERE.

CH. *Non possum pollicori. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certum nequeo. Veniam ubi utriq; nostrum uidebitur commodissimum.*

DIEM DICERF DEBES.

PE. *Diem igitur mihi constituas uolo ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Dicm mihi dicas uelim.*

NOLO TE PRAESCIRE.

CH. *Equidem non soleo dicere diem amicis. Cum quibus mihi parum conuenit, ijs soleo diem dicere. Præscium te esse nolim. Præscire te nolo. De improuiso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non expectatus adsuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam ultroneus, & insperatus conuiua.*

PRAESCIRE VOLO.

PE. *Biduũ præscire uolo. Biduũ præscius esse cupio. Præmoneto biduo prius, q̃ uenias. Fac me biduo antè certiorẽ*

CH.

Sybariticum Chil. 1. Cent. 2. prouerb. 56.

CHR. *Si me urges, dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spatium.* PE. *Quid hoc uerbi est?* CH. *Sybaritæ conuiuas inuitabant in annum proximum, ut utrinq; esset iustus apparatus.* PET. *Valeant Sybaritæ cum suis molestis conuiuijs: ego congerronem uoco, non satrapam.*

TVO MALO OPTAS.

CH. *Equidem tuo detrimento. Tuopte quidem malo. In damnum tuum istud optas. In commodo istud precaris tuo.* PE. *Quid ita? Quam ob rem?* CH. *Ego instructus accedam. Ego munitus ueniam. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam, tu uide ut uulturē expleueris. Parabo uentrem, ac dentes exacuam, tu uide quibus modis lupum exatures.* PE. *Agè ad hoc certamen te prouoco. Agè fac pro uiribus, pro uirili, si quid potes.* CHR. *Veniam, sed non incomitatus.* PE. *Tanto uenies gratior. Sed quo comite uenies?* CH. *Vmbra.* PE. *Nec secus poßis, si modò luce uenias.* CHR. *Sed umbram adducturus sum dentatam unam atque alteram, ne tu me uocaris impune.* PE. *Agè ut libet, modò ne laruas adducas. Sed explana, si libet, quid sibi uelit umbræ uocabulum.* CH. *Apud eruditos umbræ uocantur, qui ipsi non uocati comitantur eum, qui uocatus est ad conuiuium.* PET. *Talium umbrarum adduc quantum uoles.*

Vmbræ.

EA LEGE PROMITTO.

CHR. *Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie eius diei uicißim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto, ut deinde mihi quoque sis conuiua. Ea lege cœnam condico, ut tu rursum mihi sis conuiua. Spondeo futurum,*

sed

sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas. PE. *Agè fiat. Esto. Sit ita ut uis. Si iubes, faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non uis gratis apud me cœnare, nisi uices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem conuiuia. Sic nascitur conuiuiorum longa periodus. Hac uicissitudine fiunt sine fine reciproca conuiuia.* CH. *Nihil suauius si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterùm ego te detineo, aliò fortassis iturum.* PETR. *Imò ego te, opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verùm crastino die plura nugabimur. Interim fac ualeas. Interim cura ut bene ualeas. Interim ualebis.*

QVO' IS? FORMVLA.

CH. *Quò tu nunc abis? Quò tu nunc properas? Quò tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quò nunc iter est?*

EO' DOMVM, FORMVLA.

PE. *Domum me recipio. Domum reuertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum uiro quodam grauissimo colloqui. Statui hac hora congredi cum uiro grauissimo.* CH. *Quonam?* PE. *Cum Curione multiloquo.* CH. *Precor igitur tibi præsentem Mercurium.* PE. *Quid opus Mercurio fauente?* CHR. *Quia res erit cum linguaci.* PE. *Atqui hac gratia magis conueniebat, mihi memoriam precari propitiam.* CH. *Quid ita?* PE. *Quia patientissimis auribus*

opus

Memoriam hîc pro dea posuit memoriæ.

opus erit potius quàm strenua lingua. At auris Memoriæ dicata est. C H. Quanam iturus es? Quò ibis? P E. Hàc ad sinistram, hàc, illhac, per forum. C H. Comitabor igitur te. Assectabor, ac deducam te ad diuerticulum usque. P E T. Nō patiar te circumagi. Nolim te tantū laboris mea causa capere. Ithuc officij serua, quum erit usus, nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias uiæ tuæ dispendium. C H. Mihi quidem compendium est, frui tantis per amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger, ni tibi sum molestius comes. P E. Nemo iucundior assecla. At non sinam, ut mihi claudas læuum latus: non admittam, ut mihi sinister ambules. C H. Hîc te superis commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

COMMENDANDI FORMVLA.

C H. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quàm commendatissimum facias. Me Curioni commendatum quàm diligentissime curato. Iube ut me sibi commendatiss. habeat. Ego me illi per te commendatū facio. Me tibi etiam atq; etiam commendo. Me tuæ humanitati quàm possum diligentissimè commendo. Recommendo pro commendo, barbaris relinquito. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

OBSEQVII.

P E. Vis me tibi morē gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita uis, faciam libentissimè. Ne sis mihi diutius in mora, imo ne uterque alteri. C H. Sed prius quàm abeas, quæso te, ne graueris me docere quo pacto his sit utendū,

in

in mora, in causa, in culpa, qui soles elegantiæ studiosus esse. Quare agè, doce obsecro, dissere amabò.

IN CVLPA, IN CAVSA, IN MORA.

PE. *Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non est culpa in te. Mora est in te. In te causa est: grammaticè quidem dicitur, at multo elegantius*

IN CVLPA.

Non sum in culpa. Culpa nõ est mea. Vaco culpa. Quòd nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, nõ pater tuus. In culpa omnes estis. Vtriq; in culpa estis. Vtriq; culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius uitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in uitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temere licet inuertere. Damnum in illo est, uitium in illo est.

In uitio, in crimine, in damno esse.

IN CAVSA.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quòd rarius ad te scripserim, mea negotia in causa fuerunt, nõ negligẽtia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego nõ sum in causa. Quòd nullas à me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quòd tam macilentus es, amor, nõ studium in causa est. Hoc est causæ.

IN MORA.

Non ero uobis in mora. Quidnam uobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas,

petebas, tuũ est memoriæ insculpere. Habes affectatiunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. CH. Vale in crastinum & tu mi Petre.

IN OCCVRSV.

CH. Salue multum iucundißime Augustine. AV. Salue tantundem mi humanißime Christiane. Felix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? CH. Suauiter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ uis. AV. Meritò te amo. Amo te. Amandus es. Benignè dicis. Comis es. Habeo gratiam.

IRASCOR TIBI, FOR.

CHR. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil est, uel habeo, quod tibi succenseam.

QVA CAVSA? FOR.

AVG. Quidnam est istud obsecro? Quid ita? Quam ob rem tandem oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui?

Promereri. Commereri. Demereri.

Promereor bona, aut laudem: Commereor mala, aut pœnam: illud in bonam, hoc in malam partẽ sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

QVIA NON CVRAS ME.

CHR. Quòd nulla mei tibi cura sit. Quòd nihil nos respicis. Quòd tam rarò nos reuisas. Quòd nihil nos cures. Quòd me planè negligis. Quòd nostri curam uideris abiecisse. AV. At nihil est causæ, cur succenseas. At præter meritum meum. At immeritò succenses. Neque enim mea culpa accidit, quòd te rarius uisam. Dabis ueniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quotics

tis cupio te reuisere. C H. *Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me cœnes. Ea conditione purgatus mihi eris, si uesperi ad cœnam uenias.* A V G. *Haud iniquas pacis leges præscribis Christiane, quare haud inuitus faciam. Equidem faciam uolens. Istud quidem fecero perlubenter. Haud grauatè faciam. Hìc sanè non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti.* C H. *Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus.* A V. *Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum. an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?*

NE FALLAS ME, FOR.

C H. *Agè, at caue ne me deluseris. Caue fallas. Caue spem frustra foueam. Caue luseris expectantem. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me uana spe lactes.* A V. *Nihil opus iureiurando. In cæteris, in alijs time perfidiam, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue quicquam paraueris præter quotidiana: mea causa diem festum nolo. Scis me conuiuam minimè edacem, bibacem multò minus. Nosti enim me conuiuam non multi cibi, sed ioci plurimi.* C H. *Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna excipiam, aut fortasse frugaliore.* A V G. *Imò Diogenica, si me delectare uoles.* C H. *Certe Platonica cœna te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum, cuius uoluptas duret etiam in posterum diem: alioqui qui prolixè fuerit acceptus fortassis eo die suauiter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam uoluptatem capiebat ex apparatu facili,*

Pythagorica.

Diogenica cœna.

Platonica cœna.

fabulisq; philosophicis: alteram postridie, quòd nec capitis grauedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebant etiam suauiter ex condimento cœnæ pridianæ. AVG. Placet, fiat ut mones. CH. Tu uide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas: Et, ut inquit Iuuenalis,

Protinus ante meum, quicquid dolet exue limen.

AV. Quid, literas mecum uenire non uis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. CH. Tetricas Musas unà cum negotijs domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepôres, ridicula omnia tecum adducito. AVGVS. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum uultum faciemus, & erimus boni socij: inelegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. CH. Quò nunc properas? AVG. Ad generum meum. CH. Quid illhuc? quid eò? quid illò? AVG. Audio nescio quid turbæ inter eos natum, ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. CH. Benignè facis, quanquàm nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. AVG. Fortassis & induciæ iam indictæ sunt, noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud uis? CH. Vocabo te per puerum meum. AVG. Vbi uoles, domi ero. Bene uale. CH. Bene sit tibi. Fac hîc ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, cœnam condixit. PE.

Bonum uultum facere.

Eo. Salue poëta. Cœna iandudum parata est, te herus expectat domi, ubi uoles, accedas. AVG. Venio. Salue mi Christiane. CHR. Bene factum, quòd uenisti. Gaudeo te aduenisse. Gratulor mihi, quòd uenisti. Nondum quinta sonuit credo. PE. Imò iandudum præterita est. Haud longè sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies. AV. Parui refert an post quintam uenerim, nec ne, modò ne post cœnam. Nam post festum uenire, miserum est. At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulæ? Num me lupum existimas? Num tibi lupus uideor? Num me uulturem putas? CH. Non uulturem, sed tamen nec cicadam, ut rore uiuas. Nihil est luxus. Mundities mihi semper placuit, sordes detestor. Nec Apitius mihi placet, nec Diogenes. Præstat aliquid superesse, quàm deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo forte illapsa in ollam conderet legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata uarietas. AVG. Non tu metuis leges sumptuarias? CH. Imò peccaui frequenter in diuersum. Nihil nobis opus lege Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas. AV. Haud ita conuenerat. Longè aliter pollicitus es. CH. Agè inepte, nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lauemus ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam. quid cessas? Laua Augustine. AV. Laua tu prior. CHR. Bona uerba. Hoc anno perpetuò illotus cœnare mallem. AVG. Ridiculum: non honoratiori, sed turpiori ante alios lauandum est. laua igitur ut immundior. CH. Tu es

Post festum. Chil. 1. cent. 9. prouerb. 32.

urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Huiusmodi ceremonias ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lauetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum, sumat sibi quisque quem uolet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hîc sedeat. Agitè, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, uel stans cœnabo, si lubeat, uel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. A v. *Viuamus nunc, curemusq; cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis liuor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus.* C H. *Qui'nam sunt*

Stoici. *isti Stoici atq; Epicurei Augustine?* A v. *Stoici, philosophorum quoddam genus est, triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bonum honesto, nescio quo, metiun-*

Epicurei. *tur. Epicurei his longè diuersi felicitatem hominis, uoluptate terminant.* C H. *Tu igitur cuiâs es tandem, Stoicus an Epicureus?* A v. *Zenonem laudo, at Epicurum uiuo.* C H. *Quod tu ioco dicis Augustine, id serio factitant hodie non pauci, pallio tantùm & barba philosophi.* A v. *Imò isti uel Asotos superant luxu.* C H. *Heus Dromo, ades*

Consecratio mensæ. *huc. Tuo munere fungere: consecra cœnam.* P v. *Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen.* C H. *Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare?* A v.

Ego

Ego Herculem præstabo, ac belluam hanc conficiam. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus? CHR. Vtrum uis, nihil mea refert. A V. In hoc genere alis primæ partes tribuuntur, in cæteris poplites lautiores putat uulgus. C H. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi restituas. A V. Ita'ne agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serua: ego enim sum impudentior, quàm cui ministrari quicquam debeat. C H. Probè facis. A V G. Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem inuitas? C H. At ieiunas, non cœnas. A V G. Imò me uno nihil edacius. C H. Imò mendacius nihil. Proinde agito, ac si domi sis tuæ. A V. Istud iam planè mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. C H. Quid tibi hoc uinum placet? Quid hoc uilli delectat? A V. Mihi quidem perplacet. Me certè uehementer iuuat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuuat. C H. Vtrum mauis rubrum an candidum?

NON REFERT QVO SIT COLORE.

A V. Equidem utroque iuxtà delector. Nihil refert quo sit colore, modò sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat uinum, modò palatum iuuet. Nihil me mouet aspectus, si sapor placeat. Parui refert, quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatum iuuare possit. Nihil moror colorem, modò gratus sit sapor. C H. Credo. At qui sunt cœnaticæ philosophiæ cum primis

iuxtà, aduersum, æquè. sonat

periti, qui negant uinum esse probandũ, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, sapore: auribus, fama & nomine. AV. Ridiculum, quid fama conducit ad potum? CH. Tantum, ut multi non stupidi palati uehementer probarint uillum Louanio uernaculum, quum crederent esse Belnense. AV. Fortasse iam larga potatione palatum obsurduerat. CH. Imò nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi. AV. Album nostrates rubro præferunt, quòd rubrum paulò sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, &, ut arbitror, salubrius. CH. Habemus & subrubrum, & flauum, & purpurcum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit uetustas. Habemus & quadrimum: sed iam uapescit ac desipiscit senio. Actate uigor euanuit. AVG. Luculli diuitias audio. CHR. Heus puer, ubi cessas? Nos hic plane negligis, non uides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine quid habes, quòd parum es hilaris? Quid accidit tibi, quòd minimè gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis, Melissa tibi opus est. AVGV. Quam hic mihi fabulam narrat? CHRISTIAN. Chrysippus adeò fertur intentus fuisse suis argutijs logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. AVGVSTIN. Ille uerò indignus erat, qui seruaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placetq; conuiuium uocalius, est quo id efficias. CH. Memini. Rectè admones: liberalius bibendum: largius

Chrysippus sophista.

largius, copiosius, meracius oportet bibere.

REM ATTIGISTI.

AV. *Rem acu tetigisti. Rectè iudicas. Scopũ attigisti. Nã Fœcundi calices, quem non fecere disertum?*

CH. *Perdoctè tu quidem Augustine, ut omnia: sed quoniam in sermonem uinarium, quando in mentionem incidimus uinorum, libet interrogare, quonam consilio ueteres illi Bacchum, quem uini autorem uideri uolebant, poëtarum Deum dixerint. Quid enim illi temulento Deo cum poëtis Musarum uirginum cultoribus?* AV. *Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna: uerùm quorsum tuæ quæstiones spectant, satis intelligo.* CR. *Quorsum amabo?* AVGVS. *Astutè de uino disputationem iniicis Gallica techna, quam dediciſſe Parisijs te suspicor, nimirùm quo minus interim absumatur uini. Abi, uirum te iudico, non frustra in tanta schola uersatus es.* CHRI. *Accipio tua dicta, referam paria scommata, ubi erit commodum. Sed ad rem.* AVG. *Dissoluam ubi bibero. Si quidem absurdum fuerit sicco palato de quæstione uinosa disputare. Præbibo tibi Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum.* CHRI. *Accipio abs te libenter. Sit saluti. Profit.* AVG. *Iam accingor, ut me missum facias. Ego meo more præposterè faciam. Quòd Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterij, quòd uinum potum curas, & solicitudines animis nostris eximit, hilaritatemq; quandam inducit. Quare senibus quoq; ipsis iuuentam quandam reddere uidetur, dum & hilariores facit, & formosiores. Id quod Horatius cùm multis in locis, tum præcipuè his uersibus apertè testatur:*

Bacchus poëtarum Deus.

Bacchus puer.

Ad mare quum ueni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe diuite mânet
In uenas animumq; meum, quod uerba ministret,
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.
Nam quòd huic poëtæ dicarunt Deo, id significatum uoluisse suspicor, quòd uinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat, quæ duo poëtæ sunt aptissima. Vnde frigent carmina quæ scribuntur aquæ potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis Nymphis redditur temperantior. Habes quod quærebas? C H. *Nihil unquam audiui uerisimilius dici ab homine poëta. Dignus es qui bibas gẽma. Heus puer, tolle hãc patinam, atq; appone cætera.* A V. *Puerum habes admodum inurbanum.* C H. *Est ueterator nequissimus.* A V G. *Cur non instituis alio pacto?* C H. *Difficile est canem uetulum loris assuescere. Difficilimũ est ueteratoris mutare mores.* Vetulus canis non facilè assuescit loro. *Me quidem dignus est. Dignum patella operculum..*

Dignum patel. Chilia. 1. cent. 20. prouer. 72.

SI COGNOSCEREM QVID te oblectet, tibi ministrarem, Formula.

A V G V. *Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si, quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio.* C H. *Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cuius singulari peritia testatur Satyricus.*

Ostrea

Ostrea callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti dicebat littus echini.

A V. Et tu mihi Christiane, ut par pari referam, ipsum audiuisse Epicurum, aut in schola Catiana institutus uideris. Quid enim tua gula aut sapientius, aut fastidiosius? C H. Si oratoriam æquè artem, ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me uinceret. A V. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam, quàm rhetoricam mallem. C H. Subscribo tuo iudicio. grauiter, acutè, uereq; iudicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quòd dures otiosas inani uoluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum uentrem, tum totum hominem, quantus est, pascit, ac reficit. Concedat laurea linguæ, inquit Cicero: at utraq; concedat culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad suum, nescio quod honestum referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non potest, quantò Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse uidetur. A V G. Ego Stoicos cum suis ieiunijs contemno. Epicurum magis laudo, ac probo, quàm Diogenem illum Cynicum, qui crudis olcribus, ac simplici aqua uictitabat. Quare nihil miror, si Alexander rex fortunatißimus se Alexandrum, quàm Diogenem esse maluit. C H. Nec ego sanè quamlibet uilis homuncio cum Diogene meam philosophiam commutarem, fortaßis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, uiuendo ipsum etiam Epicurum uincunt. At ego quidem rem in primis præclaram philosophiam puto, si parcè adhibeatur. Nimium philosophari

Catius inducit apud Horatiũ, cœnaticæ philosophiæ adun guem doctus.

non laudo. Est enim res perquàm ieiuna, sterilis atque tristis. Vbi in calamitatem, aut ægritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Vbi conualui, rursum illi uale renuntio. A V. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salue igitur philosophe, non è Stoa, sed è culina. CHR. Quid tandem habes Erasmi, quòd parum sis hilaris? Quid sibi uult corrugata frons? quid silentium? An mihi succensés, quòd te frugaliore cœna acceperim? ER. Imò tibi sum iratus, quòd tantum impendij mea causa sit factum. interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres, uis nos posthac redire nunquàm. Nam talem cœnam dare solent ij, qui unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem conuiuas uideris accepisse? Non amiculis, sed satrapis cœnam parasse uideris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem. CHRI. Etiam tu pergis esse Demea? Cras ut lubet disputa, hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrij disputabimus, nunc nil nisi meras nugas audire libet. A V. Christiane, utrum de bubulis an de ouillis carnibus manuis? CHR. Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut perniciosissima quæque appetant uchementiùs. AVG. Galli suillas carnes mirum in modum amant. CHRIST. Galli amant quæ paruo constant. AVGVST. Hac una in re Iudæus sum: nam nihil æquè odi atque carnes suillas. CHR. Nec iniuria, quid enim insalubrius? ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudæis sentio. ER. At ego ouillas pariter amo, & suillas, sed diuersa ratione. Nam ouil-

Stoa porticus Athenis, unde dicti Stoici.

lis

lis, quòd amem, libenter ueſcor. Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. CHRIST. *Bellus homo es Eraſmi ac feſtiuus. E quidem mirari mecum ſoleo unde tanta in palatis humanis diuerſitas. Nam ut Horatiano carmine utar:*

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire uidentur,
Poſcentes uario multum diuerſa palato.

ER. *Quanquàm, ut ait Comicus, Quot homines, tot ſententiæ, & ſuus cuique mos, tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingenijs ineſſe uarietatis quàm palatis. Ita uix duos reperias, quos eadem iuuent. Permultos uidi, qui butyri ac caſci ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauſeæ ſint: alius elixis, alius aßis abſtinet. Multi aquam uino præferunt. Et quod incredibile eſt, uidi hominem, qui nec pane, nec uino uteretur.* CHRI. *Et quibus tandem miſer ille uictitabat? Quibus ueſcebatur?* ER. *Cæterorum nihil faſtidiebat, non carnes, non piſces, non olera, non poma.* CH. *Vis ut iſtud tibi credam?* ER. *Si lubet.* CH. *Credo, at ea lege, ut uicißim mihi mentienti fidem ſis habiturus.* ER. *Agè faciam, modò uerecundè mentiaris.* CH. *Quaſi uerò ſit quicquam tuo commento impudentius.* ER. *Quid dicet frons tua ſi hominem tibi commonſtrem?* CH. *Macilentum quempiam ac monogrammum eſſe oportet.* ER. *Imò diceres athletam.* CHR. *Polyphemum potius.* ER. *Hoc tibi mirum uideri demiror, quum multi ſint, quibus piſces uento durati ſint panis loco: nonnullis hoc præſtent herbarum radices, quod nobis panis.* CHRIST. *Credo, ſed perge mentiri.* ER. *Quendam in Italia, quum illic agerem, uidere memini, qui nullo*

Monogrammi dicuntur homiuces prætenues ac puſilli, à picturis, in quib⁹ unica linea notantur homunculi, uelut procul apparentes.

nullo neque cibo, neq; potu adiutus, somno saginabatur. CH. *Vt nihil pudet. Non possum illud Satyricum non dicere:*

Tunc immensa caui spirant mendacia folles.

Tu poëtaris. Tu nunc poëtam agis.

Nam mentiris dicere, mihi religio est. ER. *Mentiar, si non Plinius autor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno murum in modum saginari, quo tamen ita alte premutur, ut ne uulneribus quidem queat excitari. Imò quò magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus ursorum carnes coctas quoq; si asseruẽtur, reuiuiscere.* CH. *Vereor ne Parmeno ille Terentianus ista non contineat. mihi facilè fidem facis. Ministrarem tibi de ceruinis carnibus, si satis essem urbanus.* ER. *Vnde tibi nunc uenatio? Vnde ferina?* CH. *Midas homo hominum, qui uiuunt, liberalissimus, nostriq; amantissimus, mihi misit dono: dono quidem, sed sic, ut ego minoris emã sæpenumero.* ER. *Quì sic?* CH. *Quia famulis plus dandum, quàm daretur in macello uendenti.* ER. *Quæ res cogit hoc facere?* CH. *Tyrannus omnium uiolentissimus.* ER. *Quis iste?* CH. *Mos.* ER. *Profectò tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus.* CH. *Idem suo more nudiustertius hunc ceruum uenatus est. Quid tu, qui soleas istius studij esse amantissimus?* AVG. *Equidem hoc studio plane relicto iam præter literas nihil uenor.* CH. *At mihi uidentur literæ quouis ceruo fugaciores.* AV. *Duobus tamen potissimum canibus assequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & admirari plurimum discendi ardorem ministrat,*

& ut

& ut facundissimus poëta scripsit:

-Labor omnia uincit Improbus.

CH. Amanter admones Augustine, ut soles: propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor, donec consequar. A V. Carnes ceruinæ sunt nunc admodùm temperatiuæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. C H. Quidnam obsecro? A V G. Quoties erexere aures acerrimi esse auditus: at contrà quum remisere, surdos. C H. Istud ipsum mihi sæpenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritũ. Hìc enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo: ubi de numerando uerba fiunt, ilico demitto. A V. Laudo te, facis ut te decet. C H R. Vis de his leporinis clunibus? A V. Tibi sumito. C H R. An de tergo mauis? A V G. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetẽdum. C H. Vidisti'ne unquam leporem candidum? A V. Sæpenumero. Plinius in Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus niuem pro cibatu esse sit creditum. An uerum sit, Plinius ipse uiderit. Quòd si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. C H. Mibi ueri simile non fit. A V. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem utranq; uim singulis inesse testatur maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æquè gignere. Istud ipsum multi asseuerant, præsertim uenandi studiosi. C H. Est ita ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi Nymphæ, si propius aßiderem. Augustine istius tibi uicinæ curam age, si libet: calles enim quo gestu sit ministrandum istis Veneribus. A V. Teneo quid dicas

Plí. lib. 8. c. 32. Hist. natur.

Lepores candidi. Plin. lib. 8. cap. 55.

dicas nasute. CHR. Quid te anserinæ carnes delectant? AV. Me quidem non mediocriter iuuant, ut sum minimè fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto, nihil me iuuat: nihil enim in uita uidi siccius, siccior est pumice, aut etiam nouerca Furij illius, in quem Catullus multùm iocatur. Ligneus mihi uidetur. Et mehercule, quantum suspicor, ueteranus miles immodicis excubijs sese macerauit. Aiunt enim anserem inter omnia animalia longè esse uigilantissimum. Et profectò, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui canibus unà cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt. CH. Verisimile (ita me Deus amet) dicis: nam ex eo seculo relictum arbitror. AV. Hæc quoq; gallina aut parcum saginatorem habuit, aut amauit, aut certè zelotypa uixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maximè laborat. Hic capus longè melius pinguit. Vide curæ quid faciant. Quòd si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capum, multò citius pingueseceret. TH. Non sum gallus. AV. Fateor, non es Gallus Cybeles, neque gallus gallinaceus, at fortè Gallus Gallaceus. CH. Quid hoc uerbi est? AV. Hoc ænigma tibi coniectandum relinquo, ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. CHR. Dic mihi bona fide Augustine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihil'ne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? AV G. Nihil, nihil sané. CH. Tantò es nequior. AV. Sed cum Gallabus nonnihil. CH. Libet'ne de iecore anserino, quod apud ueteres in delicijs cum primis habebatur? AV G. Non sum reiecturus, quod à tua manu uenerit. CH. Non est quòd expectes Romanas delicias.

liàs. AV. Quas? CH. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera. AVG. Istis omnibus ego uel rapam præferam. Liberalis es, benignus es Christiane. CH. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies ieiunij ab ecclesia indicti, aduersus hanc esuriem munite uos. Onerate saburra nauim aduersus imminentem tempestatem. Bellum instat, instruite uentrem commeatu. AV. Vtinam isthuc uerbi tacuisses, hilariores surrexissemus à cœna. Miseros nos reddis ante tempus. CH. Quid ita? AV. Quia minus anguem odi, quàm pisces. CH. At non tu solus. AV. Quis hoc tædij nobis inuexit? CH. Quis commonstrauit aloën, absynthium, & scammonium dare in remedijs? AV. Sed ista dantur ægrotis. CH. Sic hæc dantur nimium rectè ualentibus. Aliquando præstat ægrotare, quàm plus satis ualere. AV. At mihi uidetur minus oneris olim impositũ Iudæis. Equidem ab anguillis & porcis facilè temperarim, modò liceat capis & perdicibus expleri. CH. In plerisq; non res, sed animus nos discernit à Iudæis. Illi manum abstinebant à certis cibis, uelut ab immundis & animum inquinaturis. Nos quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lasciuiẽti, uelut equo ferocienti pabulum subducimus, quò magis dicto sit audiens spiritui. Nonnũquam immoderatum suauiũ rerum usum abstinẽtiæ molestia castigamus. AV. Audio, sed cadẽ opera defendi posset circũcisio præputij. Moderatur & illa coitus pruritũ, & cruciatũ adfert. Si omnes itidẽ abhorrerẽt à piscibus atq; ego, uix à parricida tam atrox supplicij exigerẽ. CH. Quorũdã palato gratior est piscium, q̃ carnium esus. AV. Congruũt igitur his qui gulæ seruiunt, Ieiunium.

non

non ualetudini. CHR. Equidem audiui quondam apud Aesopos, & Apitios præcipuum luxum in piscibus fuisse. AV. Quì conueniunt igitur deliciæ cum supplicio? CH. Non omnibus sunt murænæ, aut scari, aut acipenseres. AV. Ergo tenues soli diseruciantur, quibus satis malè est, etiam quum uesci licet carnibus. Fit enim non rarò, ut quum licet uesci per ecclesiam, non liceat per crumenam. CH. Durum mehercle interdictum. AV. Quòd si interdictus carnium esus diuitibus uertitur in delicias, & si pauperibus sæpe non licet uesci carnibus, etiam quum licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, cui igitur bono erit interdictum? CH. Omnibus: nam tenuibus cochleis, aut ranis licebit uesci, aut cepe, porrum'ue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs. Quòd si quid diuites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent ecclesiæ constitutionem. AV. Pulchrè dixti, sed interim à tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut βουλιμίαν magis. Atqui si quid Homero credimus, longè miserrimum mortis genus est perire fame. CH. Sic uisum est Homero cæco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. AV. Esto sanè. Sed tamen durum est à quoquam exigere, ut moriatur. CHR. Nec hoc animo pontifices interdicunt esum carnium, ut intereant homines, sed ut uel affligantur moderatè, si deliquerunt: uel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum. AV. Isthuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. CH. Sed in tanta corporum

Aesopi, & Apitij luxus multorum literis nobilitatus est: festiuiter autē mutato numero luxuriosos uocat Aesopos & Apitios, quēadmodum effœminatos dicim⁹ Sardanapalos.

Muræna, Scarus, Acipenser, pisces sūt, olim carissimi, & in deliciis diuitū habiti.

Βουλιμία est ingens fames, λιμὸς enim fames, & βοῦς, syl, laba auger, quasi totos boues esuriat aliquis.

rum uarietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. A v. Sunt & pisces, qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. C H. Sed in genere plus alunt carnes. A v. Agè dic mihi, si quò tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem ac sublasciuum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem deijciat in terram? C H. Quorsum istud? A v. Quia piscium esus corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut iam spiritui non possint subseruire. C H. Quibus morbis? A v. Podagræ, febri, lepræ, morbo regio. C H. Quî scis? A v. Credo medicis, id malim quàm experiri. C H. Id fortassis in paucis accidit. A v. Equidem arbitror in pluribus. Porrò quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, uitiatis instrumentis non potest, ut uult, exerere uim suam. C H. Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum, sed secus usum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. A v. Religiosum erat & olim, non uiolare sabbatum: sed prius erat, seruare hominem sabbato. C H. Suæ quisque saluti consulat. A v. Imò, si Paulo uolumus auscultare, nemo quæ sua sunt quærat, sed quisque quæ alterius. C H. Sed unde hic nouus Theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac subitus Magister noster? A v. Quia mihi male conuenit cum piscibus. C H. Quid igitur? An non abstines à carnibus? A v. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. C H. Charitas omnia suffert. A v. Verũ, sed eadem quàm minimum exigit. Si suffert omnia, quur non ferunt nos his uesci cibis, quos indulsit libertas Euange-

lica? Quur hi, à quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam à Christo, nec per se necessariam? CHR. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis uigor, cessat & uoluntas nomothetæ. AV. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremò non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus agere animam? Serò morienti porriguntur carnes. An quum totum corpus habet epialus? Non tanti erat ciborum delectus. CHR. Quid igitur tu uelles præscribi? AV. Scio, si quis mihi credat ecclesiasticæ rei dictaturam. CH. Quid isthuc uerbi est? AV. Si summus essem pontifex, hortarer omneis ad perpetuam uitæ sobrietatem, sed præcipuè sub diem festum. Cæterùm ius facerē cuique uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderatè & cum gratiarum actione: daremq; operam, uti hoc quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret ad studium ueræ pietatis. CHR. Nimirùm istud, mea quidem sententia, tanti est, ut te faciamus pontificem. AV. Rides, sed tamen ceruix hæc sufficeret uel triplici coronæ sustinendæ. CHR. At interim uide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. AVG. Imò quicquid dictum est, scribetur in uino, sicuti par est, dicta inter pocula. Sed satis iam Theologiæ in conuiuio. In cœna sumus, non in Sorbona. CHRIS. Quid uetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur? AVG. Sorbeamus igitur, non disputemus,

Nomothetæ, i. legis autoris: νομοθέτης.

Ἰχθυοφάγος. i. qui nesciunt piscibus. Est populus inde nomen habens.

Epialus, febris genus uehemēs ominis causa sic dicta Epialus, quasi placidè assiliens, quem admodū furiæ dicuntur Eumenides, quū nulli bene uelint.

mus, ne nobis à sorbis dicatur sorbona, non à sorbendo. CH. Agitè hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram licet tenuem, æqui, boniq; consulatis. Præbete uos hilares, ac lubentes, quamuis conuiuium tenue sit & frugale: ego uestra facilitate fretus, familiariter uos uocare sum ausus. Et est sanè uester mihi aduentus, conspectusq; non modò gratissimus, uerùm etiam iucundissimus. CONVIVAE. Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans, lautaq; nobis uidetur. Quod excusas, id unum habet accusandum. Nam magnificentior fuit, quàm sat est. Siquidem hoc conuiuium opiparum in primis ac lautum iudicarim, quod primùm simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, iocis, salibus sit conditum, quæ omnia nostro conuiuio non defuerunt. CH. Verùm de conuiuarũ numero hic mihi quiddam in mentem uenit, quos neque pauciores tribus, neque plures nouem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, Gratiæ humanitatis, ac benuolentiæ præsides, & nouem sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hic decem conuiuas esse uideo, uirginibus exceptis. AV. Nihil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulò sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tãquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia à nouem Musarum choro Apollo abesse nunquàm credendus est, iure decimum adiecimus conuiuam. CH. Poëticè dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerẽ, fieresq; poëta laureatus. AV. Si malua coronatus essem, maluatus. Tantũ honoris mihi nõ arrogo. Honor hic maior est quàm ut mihi cõueniat. Haud equidem tali me dignor honore. CH. Vultis'ne

Sorbum, pomi genꝰ acerbitate constringens fauces, ut quædam occidant etiam.

Conuiuarum numerus.

Poëta laureatus.

singuli tantundem mea causa facere, quantum uestra sum facturus? C O. Volumus, ac libentes quidem. C H. Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem, à me exemplũ capietis. Tibi hoc primum propino Mida. M I. Accipio abs te libenter. Pro quo uulgus, præstolor dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. C H. Tu deinde cæteris propina. M I. Eraſmi, præbibo tibi dimidiatum pateram. E R. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat, durius dicitur. C H. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos uinum. Vbi sunt oculi tui furcifer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos. P V E R. Eraſmi salue, quidam pro foribus te conuentum expetit. E R A. Quis nam est? P V. Mori famulum se dicit, horum eius ex Britannia aduenisse, cupere ut se uisas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. E R. Christiane, subducatur ratio, nam mihi quidem abeundum. C H R. Rationem Eraſmi doctißime huius cœnæ ego confecero. Non est, quòd calculum frustra teras. gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auocarite molestum est, nondum peracta fabula. E R. Quid supereſt, niſi ut dicam, ualete, & plaudite? C H R. Agè boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicißimos properas. E R A S. Ego pariter tibi gratias ago, quòd pro tua humanitate ad hoc conuiuium longè suauißimum me uocaris. Valete sodales optimi. Bibite nõ segniter, & uiuite suauiter. C H. Heus Dromo. Sedetis iandudũ otioſi omnes. Libet ne cuiquam quicquam amplius? C O N V I V A E. Nihil omnino. Strenuè munus nostrum

admi

dministrauimus. CHR. *Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas, atq; orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pira uino perfunde. Adsunt mora præcoqua, etiam domi nostræ nata.* CO. *Tantò erunt suauiora, quòd uernacula.* CHR. *En pruna cerea, en Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus, cuius matrem ego hisce manibus consecui. Nuces castaneæ, omne deliciarum, quas horti nostri benignè effundunt, genus.* AVG. *Sed flosculi desunt.* CH. *Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam meam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium.* AVG. *Non apud Gallos tantùm reperies quibus ea placeant, quæ minimo cõstant.* CH. *Sed heus tu Augustine, num tu credis te hîc immunẽ bibisse? Ego'ne te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes.* AVG. *Is iandudum me missum fecit. Is mihi huius debiti gratiam fecit.* CH. *Vnde ille sibi uindicat tantum autoritatis? Vix Romanus pontifex hoc uinculi relaxet. Nosti priscam cõuiuiorum legẽ,* ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι. AVG. *Remittendi iurisiurandi ius habet, cui factum est, & cuius intererat seruari.* CH. *Sed omniũ conuiuarũ interest, seruari leges inuiolabiles.* AVG. *Agè quando hæc est Germanorum religio, exorbebo quod reliquũ est. Sed quid tibi rei mecum est?* CH. *Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne uerere, perfacilè poteris. Fac quod sæpe fecisti, ut aliqua elegãtia doctiores à cœna surgamus. Neq; enim clam te est ueteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Agè igitur, quibus & quot modis hæc*

Id est, aut bibe, aut abi.

oratio poteſt enuntiari, Indignum auditu?

INDIGNVM AVDITV, FOR.

AV. *Dixti pulchrè per poſterius ſupinum. Auditu minimè eſt dignum. Indignum eſt audiri. Haud dignum eſt quod audiatur. &, Vt audiatur indignũ. Leuius eſt, quàm quod audiri debeat. Vix operæpretium eſt referre. Non tanti eſt, ut audiatur. Ineptius eſt, quàm quod audiatur, Non eſt operæpretium narrare.* CHR. *Quot modis hæc ſententia uerti poteſt, Magno mihi conſtat?*

VARIANDI RATIO HANC *orationem, Magno mihi conſtat.*

AV. *His uerbis, impendo, inſumo, impertio, conſtat: ut, Multum in te docendo inſumpſi laboris. Plurimum ea in re operæ inſumpſi. Non minus pecuniæ, quàm curæ in eã rem impendi. Non parum inſumpſi pecuniæ, tẽporis per multum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi cõſtat, multo ſudore, multa opera, plurimo labore, ſumptu ingẽti, pecunia magna. Pluris mihi conſtat, quàm credas. Minoris mihi conſtat uxor, quàm equus meus.* CH. *At quid ſibi uult Auguſtine, quòd uerbo iſti, conſtat, modò ablatiuum, modò genitiuum caſum apponis?* AV. *Quæſtionẽ perutilem ac latè patentem mouiſti. Verùm ne conuiuas loquacitate mea premam, pauciſſimis abſoluam. Sed cupio ſingulorum hac de re audire ſententiam, ne cuiquam, ut dixi, ſim moleſtus.* CH. *Quid ni cupiant idẽ uel puellæ?* AV. *Illæ ſanè nihil aliud quàm audiẽt. Accingar igitur grammatica bene fortunante. Scis uerba emendi, ac uendendi, aliaq; eſſe conſimili ſignificatu, quibus apponantur*

nantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunque: at ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraque in ablatiuum casum uertuntur. Quòd si pretium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuũ substantiuè positum, in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. C H. Quænam uerba sunt, de quibus præcipis? A V. Hæc ferè sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captũ, aut perditum: uendo, uenũdo: reuendo, id est, rursus uendo quod mihi uenditum erat. Veneo, id est, uendor, cuius præteritum ueniui uel uenij: supinum, uenũ: hinc uenalis. Ab illo, id est, uẽdo, uendibilis manat. Mereo, pro inseruio & stipẽdium facio. Comparo, id est, emo uel cõmitto. Cõmuto, muto, permuto. Cambire penitus barbarũ in hoc sensu. Aestimo, taxo, indico pro æstimo, censeo. Liceor, liceris: licitor, licitaris: addico. Distrahor, id est, circũferor, ut uenea. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Cõducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio. C H. Da exemplum.

Verba emendi ac uendendi.

VENDENDI ET EMENDI FORMVLAE.

A V. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus: Vigenis libris Francicis. Hui, nimio locas. Imò locaui olim multò pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, percam. Imò iam uicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multò meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti poßide. Quid liceris, uel licitaris, quũ nihil sis empturus? Quanticun

non ualetudini. CHR. Equidem audiui quondam apud Aesopos, & Apitios præcipuum luxum in piscibus fuisse. AV. Quî conueniunt igitur deliciæ cum supplicio? CH. Non omnibus sunt muræna, aut scari, aut acipenseres. AV. Ergo tenues soli diſcruciantur, quibus satis malè est, etiam quum uesci licet carnibus. Fit enim non raro, ut quum licet uesci per ecclesiam, non liceat per crumenam. CH. Durum mehercle interdictum. AV. Quòd si interdictus carnium esus diuitibus uertitur in delicias, & si pauperibus sæpe non licet uesci carnibus, etiam quum licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, cui igitur bono erit interdictum? CH. Omnibus: nam tenuibus cochleis, aut ranis licebit uesci, aut cepe, porrum'ue arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs. Quòd si quid diuites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent ecclesiæ constitutionem. AV. Pulchrè dixti, sed interim à tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab omnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut βουλιμίαν magis. Atqui siquid Homero credimus, longè miserrimum mortis genus est perire fame. CH. Sic uisum est Homero cæco, at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. AV. Esto sanè. Sed tamen durum est à quoquam exigere, ut moriatur. CHR. Nec hoc animo pontifices interdicunt esum carnium, ut intereant homines, sed ut uel affligantur moderatè, si deliquerunt: uel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum. AV. Isthuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. CH. Sed in tanta corporum

Aesopi, & Apitij luxus multorum literis nobilitatus est: sic siquidem autè mutato numero luxuriosos uocat Aesopos & Apitios, quèadmodum effœminatos dicimꝰ Sardanapalos.

Muræna, Scarus, Acipenser, pisces sût, olim carissimi, & in delicijs diuitũ habiti.

βουλιμία est ingens fames. Λιμὸς enim fames, & βοῦς, syl, laba auger, quasi totos boues esuriat aliquis.

ma uarietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. A v. Sunt & pisces, qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. C H. Sed in genere plus alunt carnes. A v. Agè dic mihi, si quò tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem ac sublaſciuum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem deijciat in terram? C H. Quorsum istud? A v. Quia piscium esus corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut iam spiritui non possint subseruire. C H. Quibus morbis? A v. Podagræ, febri, lepræ, morbo regio. C H. Quî scis? A v. Credo medicis, id malim quàm experiri. C H. Id fortassis in paucis accidit. A v. Equidem arbitror in pluribus. Porrò quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, uitiatis instrumentis non potest, ut uult, exercere uim suam. C H. Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum, sed secus uisum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. A v. Religiosum erat & olim, non uiolare sabbatum: sed prius erat, seruare hominem sabbato. C H. Suæ quisque saluti consulat. A v. Imò, si Paulo uolumus auscultare, nemo quæ sua sunt quærat, sed quisque quæ alterius. C H. Sed unde hic nouus Theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac subitus Magister noster? A v. Quia mihi male conuenit cum piscibus. C H. Quid igitur? An non abstines à carnibus? A v. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. C H. Charitas omnia suffert. A v. Verũ, sed eadem quàm minimum exigit. Si suffert omnia, quur non ferunt nos his ueſci cibis, quos indulsit libertas Euange-

lica? Quur hi, à quibus Christus toties amoremi sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam à Christo, nec per se necessariam? CHR. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis uigor, cessat & uoluntas nomothetæ. AV. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremò non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit ichthyophagus agere animam? Serò morienti porriguntur carnes. An quum totum corpus habet epialus? Non tanti erat ciborum delectus. CHR. Quid igitur tu uelles præscribi? AV. Scio, si quis mihi credat ecclesiasticæ rei dictaturam. CH. Quid isthuc uerbi est? AV. Si summus essem pontifex, hortarer omneis ad perpetuam uitæ sobrietatem, sed præcipuè sub diem festum. Cæterùm ius facerè cuique uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderatè & cum gratiarum actione: daremq; operam, uti hoc quod detraberetur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret ad studium ueræ pietatis. CHR. Nimirùm istud, mea quidem sententia, tanti est, ut te faciamus pontificem. AV. Rides, sed tamen ceruix hæc sufficeret uel triplici coronæ sustinendæ. CHR. At interim uide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. AVG. Imò quicquid dictum est, scribetur in uino, sicuti par est, dicta inter pocula. Sed satis iam Theologiæ in conuiuio. In cœna sumus, non in Sorbona. CHRIS. Quid uetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur? AVG. Sorbeamus igitur, non disputemus,

Nomothetæ, i. legis autoris: νομοθέτης.

ἰχθυοφάγος, i. qui nescit piscibus. Est populus inde nomen habens.

Epialus, febris genus uehemẽs ominis causa sic dicta Epialus, quasi placidè assiliens, quem admodũ furiæ dicuntur Eumenides, quũ nulli bene uelint.

nus, ne nobis à sorbis dicatur sorbona, non à sorbendo. CH. Agitè hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram licet tenuem, æqui, boniq; consulatis. Præbete uos hilares, ac lubentes, quamuis conuiuium tenue sit & frugale: ego uestra facilitate fretus, familiariter uos uocare sum ausus. Et est sanè uester mihi aduentus, conspectusq; non modò gratissimus, uerùm etiam iucundissimus. CONVIVAE. Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans, lautaq; nobis uidetur. Quod excusas, id unum habet accusandum. Nam magnificentior fuit, quàm sat est. Siquidem hoc conuiuium opiparum in primis ac lautum iudicarim, quod primùm simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, iocis, salibus sit conditum, quæ omnia nostro conuiuio non defuerunt. CH. Verùm de conuiuarũ numero hîc mihi quiddam in mentem uenit, quos neque pauciores tribus, neque plures nouem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, Gratiæ humanitatis, ac beneuolentiæ præsides, & nouem sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hîc decem conuiuas esse uideo, uirginibus exceptis. AV. Nihil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulò sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tãquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia à nouem Musarum choro Apollo abesse nunquàm credendus est, iure decimum adiecimus conuiuam. CH. Poëticè dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerẽ, fieresq; poëta laureatus. AV. Si malua coronatus essem, maluatus. Tantũ honoris mihi nõ arrogo. Honor hic maior est quàm ut mihi cõueniat. Haud equidem tali me dignor honore. CH. Vultis'ne

Sorbum, pomi genꝰ acerbitate constringens fauces, ut quædam occidant etiam.

Conuiuarum numerus.

Poëta laureatus.

singuli tantundem mea causa facere, quantum uestra sum facturus? C O. Volumus, ac libentes quidem. C H. Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem, à me exemplũ capietis. Tibi hoc primum propino Mida. M I. Accipio abs te libenter. Pro quo uulgus, præstolor dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. C H. Tu deinde cæteris propina. M I. Erasmi, præbibo tibi dimidiatum pateram. E R. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat, durius dicitur. C H. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos uinum. Vbi sunt oculi tui furcifer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos. P V E R. Erasmi salue, quidam pro foribus te conuentum expetit. E R A. Quis nam est? P V. Mori famulum se dicit, herum eius ex Britannia aduenisse, cupere ut se uisas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. E R. Christiane, subducatur ratio, nam mihi quidem abeundum. CHR. Rationem Erasmi doctißime huius cœnæ ego confecero. Non est, quòd calculum frustra teras. gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auocari te molestum est, nondum peracta fabula. E R. Quid supereſt, nisi ut dicam, ualete, & plaudite? C H R. Agè boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicißimos properas. ERAS. Ego pariter tibi gratias ago, quòd pro tua humanitate ad hoc conuiuium longè suauißimum me uocaris. Valete sodales optimi. Bibite nõ segniter, & uiuite suauiter. CH. Heus Dromo. Sedetis iandudũ otiosi omnes. Libet'ne cuiquam quicquam amplius? C O N V I V A E. Nihil omnino. Strenuè munus nostrum

admi

administrauimus. CHR. *Tolle igitur hæc, ac bellaria apponе. Muta quadrulas, atq; orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pira uino perfunde. Adsunt mora præcoqua, etiam domi nostræ nata.* CO. *Tantò erunt suauiora, quòd uernacula.* CHR. *En pruna cerea, en Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali nouum genus, cuius matrem ego hisce manibus conseui. Nuces castaneæ, omne deliciarum, quas horti nostri benignè effundunt, genus.* AV. *Sed flosculi desunt.* CH. *Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam meam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium.* AVG. *Non apud Gallos tantùm reperies quibus ea placeant, quæ minimo cõstant.* CH. *Sed heus tu Augustine, num tu credis te hìc immunè bibisse? Egó ne te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes.* AV G. *Is iandudum me missum fecit. Is mihi huius debiti gratiam fecit.* CH. *Vnde ille sibi uindicat tantum autoritatis? Vix Romanus pontifex hoc uinculi relaxet. Nosti priscam cõuiuiorum legẽ,*

ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι. AV. *Remittendi iurisiurandi ius habet, cui factum est, & cuius intererat seruari.* CH. *Sed omniũ conuiuarũ interest, seruari leges inuiolabiles.* AV. *Agè quando hæc est Germanorum religio, exorbebo quod reliquũ est. Sed quid tibi rei mecum est?* CH. *Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne uerere, perfacilè poteris. Fac quod sæpe fecisti, ut aliqua elegãtia doctiores à cœna surgamus. Neq; enim clam te est ueteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Agè igitur, quibus & quot modis hæc*

Id est, aut bibe, aut abi.

oratio poteſt enuntiari, Indignum auditu?

INDIGNVM AVDITV, FOR.

AV. Dixti pulchrè per poſterius ſupinum. Auditu minimè eſt dignum. Indignum eſt audiri. Haud dignum eſt quod audiatur. &, Vt audiatur indignũ. Leuius eſt, quàm quod audiri debeat. Vix operæpretium eſt referre. Non tanti eſt, ut audiatur. Ineptius eſt, quàm quod audiatur, Non eſt operæpretium narrare. CHR. Quot modis hæc ſententia uerti poteſt, Magno mihi conſtat?

VARIANDI RATIO HANC orationem, Magno mihi conſtat.

AV. His uerbis, impendo, inſumo, impertio, conſtat: ut, Multum in te docendo inſumpſi laboris. Plurimum ea in re operæ inſumpſi. Non minus pecuniæ, quàm curæ in eã rem impendi. Non parum inſumpſi pecuniæ, tẽporis per multum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi cõſtat, multo ſudore, multa opera, plurimo labore, ſumptu ingẽti, pecunia magna. Pluris mihi conſtat, quàm credas. Minoris mihi conſtat uxor, quàm equus meus. CH. At quid ſibi uult Auguſtine, quòd uerbo iſti, conſtat, modò ablatiuum, modò genitiuum caſum apponis? AV. Quæſtionẽ perutilem ac latè patentem mouiſti. Verùm ne conuiuas loquacitate mea premam, paucißimis abſoluam. Sed cupio ſingulorum hac de re audire ſententiam, ne cuiquam, ut dixi, ſim moleſtus. CH. Quid ni cupiant idẽ uel puellæ? AV. Illæ ſanè nihil aliud quàm audiẽt. Accingar igitur grammatica benè fortunante. Scis uerba emendi, ac uendendi, aliaq; eſſe conſimili ſignificatu, quibus apponantur

nantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunque: at ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraque in ablatiuum casum uertuntur. Quòd si pretium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuũ substantiuè positum, in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. C H. Quænam uerba sunt, de quibus præcipis? A V. Hæc ferè sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captũ, aut perditum: uendo, uenũdo: reuendo, id est, rursus uendo quod mihi uenditum erat. Veneo, id est, uendor, cuius præteritum ueniui uel uenij: supinum, uenũ: hinc uenalis. Ab illo, id est, uẽdo, uendibilis manat. Mereo, pro inseruio & stipẽdium facio. Comparo, id est, emo uel cõmitto. Cõmuto, muto, permuto. Cambire penitus barbarũ in hoc sensu. Aestimo, taxo, indico pro æstimo, censeo. Liceor, liceris: licitor, licitaris: addico. Distrahor, id est, circũferor, ut uenea. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Cõducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum facio. C H. Da exemplum.

Verba emendi ac uendendi.

VENDENDI ET EMENDI FORMVLAE.

A V. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus: Vigenis libris Francicis. Hui, nimio locas. Imò locaui olim multò pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, percam. Imò iam uicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multò meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti posside. Quid liceris, uel licitaris, quũ nihil sis empturus? Quanti-

ticunque addixeris, soluam optima fide.

ALTERVM EXEMPLVM.

Congrum istum Syra quanti uendis? Decem obolis. *Nimio turpissima.* Imò minimo, *nulla tibi uendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certè non multo minoris. Mentiris uenefica, quoniam duplo uis uendere, aut triplo. Et centuplo, si queam: sed fatuos non inuenio. Quid si liciter te ipsam? Quanti æstimas te? Vt lubet. Quanti te liceris? Quanti indicas te? Dic quanti te taxas? Quanti te ipsam inscribis?* Decem scutatis. Hui, *tanti? Eho, an tu minoris me æstimas?* Ego olim non semel pluris in unam noctẽ sum conducta. *Credo, at nunc non paulò minoris æstimo, quàm piscem. Abi in malam rem ganeo, tantidem te æstimo, quanti tu me. Qui te teruncio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non uẽdar. Si magno uænire cupis, larua tibi opus est: nam rugæ istæ non sinunt, ut carius uendaris. Ei qui tanti me nolit, non sum uenalis.* Ego *ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.*

TERTIVM EXEMPLVM.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum uectigalia. Quanti tandem? Decem millibus. Hui, *tanti? Ne mireris, erant qui multò pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt uectigalia? Chremeti uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed diuina, quanti sunt addicta.* Decem. Imò *quindecim.* Deus bone. Ego *mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuam duplo emptam cupit. Animaduertisti'ne in his orationibus, ubicunque adsit substantiuum pretij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in genitiuo positis*

aut

ut in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquàm audisti sine substantiuis, exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus supra loquuti, non admodũ dissimilia, sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idem ferè significant: fio itidem. Iunguntur autẽ his ferè genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, huius, & si qua sunt his similia. C H. Da exempla.

AESTIMANDI FORM.

A V. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti uirtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, literæ nihili, siue pro nihilo ducũtur. Aurũ minoris habeo, quàm credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quòd doctus sis. Minoris hîc fies, quòd mentiri minimè calleas. Hîc multi fiunt, qui nigrũ in candida uertunt. Hoc mihi pluris es, quòd literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum posidebis. Tanti ubiq; habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quãti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inueniuntur & alia uerba cum genitiuis & ablatiuis, quæ natura sua non significant emptionẽ, aut aliquid simile. Petrus osculum puellæ scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quãti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertijs cœnasse legimus: at Galli sæpenumero liardo cœnitant. Faustus quanti docet? paruo.

At pluris quàm Delius. Quanti igitur? Vndeuiginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem, & seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quàm alij loquebantur. Acqui boniq; consulas oro. Est & aliud uerborum genus, quæ accusatiuum unà cum genitiuo aut ablatiuo casum exigunt: quæ sunt, Accuso, id est, obijcio crimen, aut culpo etiam absentem: Incuso, culpo extra iudicium: Arguo, reprehendo, insimulo, impingo suspicionem culpæ: Postulo, in ius uoco: Accerso, defero: Damno, condemno, pronuntio illum esse in culpa, admoneo, commonefacio. C H. *Exempli causa.*

ACCVSANDI FORMVLAE.

A V. *Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auaritiæ, malè audies. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso uocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacio Lepidum promissi. Sunt pleraque quæ accusatiuum geminum admittant. Doceo te literas. Exorat te ueniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hîc eius rei mihi admonendus es, quòd in his secundum accusatiuum etiam passiua obtinent, in alijs genitiuus manet. A' me doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrilegij. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satis factum. Quando enim tantus elegantiarum helluo satietur? Sed conuiuis parcendum est, quos hæc non*

omnes

omnes perinde delectant. A' cœna inter deambulandum, id, quod rationi deerit, persoluemus, nisi quid aliud censes. CHR. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde pauliſper deambulaturi. MI. Pulchrè dicis. Nihil enim hoc ueſpertino cœlo amœnius, nihil ſalubrius. CHR. Petre adeſdum. Tolle ſuo quæque ordine, ac uinum cyathis infunde. PET. Iubes ne agi gratias? CHR. Age. PE. Græcè mauis, an Latinè? CH. Vtroq; modo. PET. Gratias agimus tibi pater cœleſtis, qui tua ineffabili potentia condidiſti omnia, tua inſcrutabili ſapientia gubernas uniuerſa, tua inexhauſta bonitate cuncta paſcis, ac uegetas, largire filijs tuis, ut aliquando tecum bibãt in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promiſiſti, ac præparaſti uerè diligentibus te, per IESVM Chriſtum. Amen. CH. Dic eadem Græcè, ne cæteri, quod dicas, intelligant. PET. Εὐχαριστοῦμέν σοι πάτερ ἅγιε, ὁ τῇ ἀφράτῳ σε δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξιχνιάστῳ σε σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σε χρηστότητι ἔκτισα τρεφόμενός τε καὶ αὐξάνων χάριζε τοῖς ἰδίοις σε, τὸ μετά σε ὄντι πιεῖν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχε καὶ ἡτοίμασας τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἑνὸς σε, τοῦ κυρίου ἡμῶν τοῦ μετὰ σοῦ ζῶντος, καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἀεί, εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν. CHR. Habeo uobis hoſpites candidiſſimi gratiam, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati ſitis, oro æqui, boni'que conſulatis. CON. Nos uicißim gratiã referre uolumus, non tantùm habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius ſurgamus, & expaticmur. A V. Ducamus nobiſcum uirgines,

Gratiarũ actio poſt degustatio nem.

nes, nam cò minus molesta erit deambulatio. CH. Rectè sentis. Ne desint nobis flosculi, si fortè locus flores non habebit. Vtrum mauis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem expatiari? AV. Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, uerum eam uoluptatem matutinis deambulationibus serua. At sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modum iuuat. CH. Antecede igitur Augustine, ut poëta dignum est, latus tuum claudam. AVG. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus. Dici non potest Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes mihi uidear. CH. Agè nunc promissum præsta. Solue quod recipisti. AV. Quid me potissimum uis dicere? CH. Ego quondam in Pollionis oratione cùm multa, tum illud in primis solebam admirari, quòd tam facilè, tam crebrò, tam uenustè orationē uerteret, quæ res non modò singularis ingenij, uerum etiam multi usus mihi uidetur. AV. Haud iniuria istud in Pollione admiratus es Christiane. Ille enim tũ hac in re diuinam quãdam uim obtinet, quam quidem ille cùm ingenij dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi, & legendi, & scribendi usu cõtigisse opinor, potius quàm ratione aliqua, aut præceptione. CH. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, expecto. AV. Ita, ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere uideo uelle, quantum potero, morem geram, easq; ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi usus sum animaduertere, ut potero, reddam. CH. Agè percupio.

BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO.

AV. Accingor. Principiò res ipsa puris, electis ac Latinis uer

nis uerbis efferẽda est: quod ipsum posse, nõ mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & uarietatẽ orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint aptè explicare. Isti tanquã semel balbutisse sit parũ, balbutiem suã alijs atq; alijs modis reddũt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut quàm barbarissimè dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam cõgerunt, adeò interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur, quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quàm hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit uestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam propinis ostentare? At nihilo minus ridiculi uidentur isti uarietatis affectatores: qui quũ barbarè semel dixerint, repetunt idem multò barbarius, demum iterum atq; iterum indoctius. Hoc est nõ oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis, atq; electis uerbis est explicanda. Deinde mutatorijs uerbis utendũ, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficiẽt, trãslatitijs erit utendum, si modò uerecunda sit translatio. Ea quoque ubi decrunt, si per actiua dixisti, ad passiua reuertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. Postea uerba, si licebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia commutabimus. Postremò, ubi modò aduerbia in nomina, modò nomina in alias atque alias parteis commutauerimus, per contrarium dicemus: aut affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorsum, aut certè quod pronũtiatiuè dictum, per

Vertendi orationem ratio.

per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hãc sententiam sumamus,

LITERAE TVAE MAGNOpere me delectarunt.

LITERAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimùm, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

DELECTARVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, iucũdissimæ, &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. CHR. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirificè nos exhilarauit. AV. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies. ut, Dici non possit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia uerba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi uoluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum uoluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hîc non inficeret mutare in passiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitatè dicitur. Capiebatur à me uoluptas,

allatum

latum est gaudium, non perinde usitatè dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis scriptis incredibili sum affectus uoluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

PER SVM, ET NOMINA ADIECTIVA.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sanè quàm gratissima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN NEGATIONEM.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Quanquàm hac ratione aliquoties iam usi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quotics, multum, plurimum, singulariter significare uolumus, per contrarium uerbum idem efficiemus. ut, Vehementer te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multum me iuuat uinum: haud parum iuuat. Est uir singulari ingenio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus: Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit: Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquàm non usu ueniunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi orationum genere

ticunque addixeris, ſoluam optima fide.

ALTERVM EXEMPLVM.

Congrum iſtum Syra quanti uendis? Decem obolis. Nimio turpiſſima. Imò minimo, nulla tibi uendet minoris. Emoriar, ſi non tanti mihi conſtat, aut certè non multo minoris. Mentiris uenefica, quoniam duplo uis uendere, aut triplo. Et centuplo, ſi queam: ſed fatuos non inuenio. Quid ſi liciter te ipſam? Quanti æſtimas te? Vt lubet. Quanti te liceris? Quanti indicas te? Dic quanti te taxas? Quanti te ipſam inſcribis? Decem ſcutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me æſtimas? Ego olim non ſemel pluris in unam noctẽ ſum conducta. Credo, at nunc non paulò minoris æſtimo, quàm piſcem. Abi in malam rem ganeo, tantidem te æſtimo, quanti tu me. Qui te teruncio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non uẽdar. Si magno uænire cupis, larua tibi opus eſt: nam rugæ iſtæ non ſinunt, ut carius uendaris. Ei qui tanti me nolit, non ſum uenalis. Ego ne culmo quidem te emero. Conſtiti pluris.

TERTIVM EXEMPLVM.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus ſum uectigalia. Quanti tandem? Decem millibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multò pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta ſunt uectigalia? Chremeti uxoris tuæ ſummo & maximo amico. Sed diuina, quanti ſunt addicta. Decem. Imò quindecim. Deus bone. Ego mihi hominem ipſum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuam duplo emptam cupit. Animaduertiſti'ne in his orationibus, ubicunque adſit ſubſtantiuum pretij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in genitiuo poſitis

aut

cui in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquàm audisti sine substantiuis, exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus supra loquuti, non admodũ dissimilia, sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idem ferè significant: fio itidem. Iunguntur autẽ his ferè genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, huius, & si qua sunt his similia. C H. Da exempla.

AESTIMANDI FORM.

A V. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti uirtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, literæ nihili, siue pro nihilo ducũtur. Aurũ minoris habeo, quàm credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quòd doctus sis. Minoris hîc fies, quòd mentiri minimè calleas. Hîc multi fiunt, qui nigrũ in candida uertunt. Hoc mihi pluris es, quòd literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum posside bis. Tanti ubiq; habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quãti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inueniuntur & alia uerba cum genitiuis & ablatiuis, quæ natura sua non significant emptionẽ, aut aliquid simile. Petrus osculum puellæ scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quãti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertijs cœnasse legimus: at Galli sæpenumero liardo cœnitant. Faustus quanti docet? paruo.

At pluris quàm Delius. Quanti igitur? Vndeuiginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem, & seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quàm alij loquebantur. Acqui boniq; consulas oro. Est & aliud uerborum genus, quæ accusatiuum unà cum genitiuo aut ablatiuo casum exigunt: quæ sunt, Accuso, id est, obijcio crimen, aut culpo etiam absentem: Incuso, culpo extra iudicium: Arguo, reprehendo, insimulo, impingo suspicionem culpæ: Postulo, in ius uoco: Accerso, defero: Damno, condemno, pronuntio illum esse in culpa, admoneo, commonefacio. C H. *Exempli causa.*

ACCVSANDI FORMVLAE.

A V. *Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auaritiæ, malè audies. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso uocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacio Lepidum promissi. Sunt pleraque quæ accusatiuum geminum admittant. Doceo te literas. Exorat te ueniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hìc eius rei mihi admonendus es, quòd in his secundum accusatiuum etiam passiua obtinent, in alijs genitiuus manet. A' me doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrilegij. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satis factum. Quando enim tantus elegantiarum helluo satietur? Sed conuiuis parcendum est, quos hæc non*

omnes

omnes perinde delectant. A' cœna inter deambulandum, id quod rationi decrit, persoluemus, nisi quid aliud censes. CHR. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde pauliſper deambulaturi. MI. Pulchrè dicis. Nihil enim hoc ueſpertino cœlo amœnius, nihil ſalubrius. CHR. Petre adeſdum. Tolle ſuo quæque ordine, ac uinum cyathis infunde. PET. Iubes'ne agi gratias? CHR. Age. PE. Græcè mauis, an Latinè? CH. Vtroq; modo. PET. Gratias agimus tibi pater cœleſtis, qui tua ineffabili potentia condidiſti omnia, tua inſcrutabili ſapientia gubernas uniuerſa, tua inexhauſta bonitate cũcta paſcis, ac uegetas, largire filijs tuis, ut aliquãdo tecum bibãt in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promiſiſti, ac præparaſti uerè diligentibus te, per IESVM Chriſtum. Amen. CH. Dic eadem Græcè, ne cæteri, quod dicas, intelligant. PET. Εὐχαριστοῦμέν σοι πάτερ ἅγιε, ὁ τῇ δυνάμει σου πάντα κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξιχνιάστῳ σου σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σου χρηστότητι ἔκτισε τρεφόμενός τε καὶ αὐξάνων χορίζε τοῖς υἱοῖς σου, τὸ μετά σου ποτὲ πιεῖν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχου καὶ ἐπαγγελίαις τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, σὺν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ υἱῷ σου, τῷ κυρίῳ ἡμῶν τῷ μετὰ σοῦ ζῶντι, καὶ βασιλεύοντι ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἀεί, εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν. CHR. Habeo uobis hoſpites candidiſſimi gratiam, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati ſitis, oro æqui, boni'que conſulatis. CON. Nos uiciſſim gratiã referre uolumus, non tantùm habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius ſurgamus, & expaticmur. A V. Ducamus nobiſcum uirgines,

Gratiarũ actio poſt deguſtationem.

nes, nam cò minus molesta erit deambulatio. CH. Recte sentis. Ne desint nobis flosculi, si fortè locus flores non habebit. Vtrum mauis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem expatiari? AV. Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, uerum eam uoluptatem matutinis deambulationibus serua. At sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modum iuuat. CH. Antecede igitur Augustine, ut poëta dignum est, latus tuum claudam. AVG. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus. Dici non potest Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes mihi uideor. CH. Agè nunc promissum præsta. Solue quod recipisti. AV. Quid me potissimum uis dicere? CH. Ego quondam in Pollionis oratione cùm multa, tum illud in primis solebam admirari, quòd tam facilè, tam crebrò, tam uenustè orationē uerteret, quæ res non modò singularis ingenij, uerum etiam multi usus mihi uidetur. AV. Haud iniuria istud in Pollione admiratus es Christiane. Ille enim tū hac in re diuinam quādam uim obtinet, quam quidem ille cùm ingenij dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi, & legendi, & scribendi usu cōtigisse opinor, potius quàm ratione aliqua, aut præceptione. CH. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, expecto. AV. Ita, ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere uideo uelle, quantum potero, morem geram, easq; ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi usus sum animaduertere, ut potero, reddam. CH. Agè percupio.

BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO.

AV. Accingor. Principiò res ipsa puris, electis ac Latinis uer

nis uerbis efferēda est: quod ipsum posse, nō mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & uarietatē orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint aptè explicare. Isti tanquā semel balbutisse sit parū, balbutiem suā alijs atq; alijs modis reddūt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut quàm barbarissimè dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam cōgerunt, adeò interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur, quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quàm hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit uestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam propobus ostentare? At nihilo minus ridiculi uidentur isti uarietatis affectatores: qui quū barbarè semel dixerint, repetunt idem multò barbarius, demum iterum atq; iterum indoctius. Hoc est nō oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis, atq; electis uerbis est explicanda. Deinde mutatorijs uerbis utendū, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficiēt, trāslatitijs erit utendum, si modò uerecunda sit translatio. Ea quoque ubi deerunt, si per actiua dixisti, ad passiua reuertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis constabant. Postea uerba, si licebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia commutabimus. Postremò, ubi modò aduerbia in nomina, modò nomina in alias atque alias parteis commutauerimus, per contrarium dicemus: aut affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorsum, aut certè quod pronūtiatiuè dictum, per

Vertendi orationem ratio.

per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hã sententiam sumamus,

LITERAE TVAE MAGNOpere me delectarunt.

LITERAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum mirandum in modum, supra modum, plurimùm, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum Christianum.

DELECTARVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitißimæ fuerunt, iucũdißimæ, &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. CHR. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirificè nos exhilarauit. AV. Verte actiuum in paßiuum, alia erit facies. ut, Dici non poßit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia uerba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi uoluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum uoluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non iteliceret mutare in paßiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitatè dicitur. Capiebatur à me uoluptas, allatum

latum est gaudium, non perinde usitatè dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis scriptis incredibili sum affectus uoluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

PER SVM, ET NOMINA ADIECTIVA.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sanè quàm gratissima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN NEGATIONEM.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Quanquàm hac ratione aliquoties iam usi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quoties, multum, plurimum, singulariter significare uolumus, per contrarium uerbum idem efficiemus. ut, Vehementer te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multum me iuuat uinum: haud parum iuuat. Est uir singulari ingenio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus: Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit: Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquàm non usu ueniunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi orationum

genere

genere uti, modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro ualde grato: non uulgariter, pro singulariter, rectè & uenustè dicimus.

MODESTIAE CAVSA.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ sum opinionem consecutus. Semper curaui, ut in literaria gloria non postremas parteis tenerem. De amplificatione superiora sunt exempla, nunc ad nostra reuertamur. Nihil tua epistola unquam euenit gratius. Nulla res maiori unquam uoluptati fuit, quàm tua scripta. Nulla unquam ex re tantundem cepi uoluptatis, quantum ex tuis literis amantißimis. Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt uariari per interrogationem. Quid tuis literis in uita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit unquam, ut proximæ tuæ literæ? Hoc modo rursum singulas ferè orationes uariare licebit. C H. Quid deinde fiet? A V. Iam paulò liberius totam orationem uertemus, ut unam dictionẽ pluribus uerbis circunloquamur. C H. Dic exempli causa. A V. Quod modò per nomen incredibile, modò per aduerbium incredibiliter, dictum erat, unam dictionem aliquot uerbis commutabimus. Literis consequi nequeam, quantũ tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsum nequeo, quàm sim tuis literis gauisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem, & per interrogationem, postremò per infinitas orationes uariauimus. Nunc per

subiun

subiunctiuas siue conditionales uariabimus, hoc modo: Moriar, si unquam quicquam fuit tuis literis, aut optatius, aut dulcius. Peream, si ulla res maiori uoluptati fuit, quàm tuæ literæ. Ita me Deus amet, ut nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. CH. Quid deinde? AV. Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est.

TRANSLATIO EST IN HIS.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ deliciæ tuæ mihi scriptæ uidentur. Meræ uoluptas sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauendum ne obsoletis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud: Iuppiter hybernas cana niue conspuit Alpes.
Et quale est illud: Cœna tuorum scriptorum me suauissimis epulis refecit.

COMPARATIO A SIMILI.

Tua scripta omni uel ambrosia, uel nectare suauiora fuere. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & siliquam omnem, & mel Atticum, & saccarum omne, nectar ambrosiamq; deorum longè superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO.

Nunquàm adducar, ut credam Herô Leandri sui literas aut maiore uoluptate, aut pluribus osculis accepisse, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem euersa Carthagine, aut Paulum Aemilium capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego, simul ac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi

tum ex fabulis, tum ex historijs infinita possunt inueniri. E' physica uerò sumuntur rerum similitudines, quarum quàm plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM,
tui ero immemor.

Semper dum uiuam, tui meminero. Quoad uiuam, nunquàm me tui capiet obliuio. Prius uiuere desinam, quàm tui meminisse.

PER COMPARATIONES.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

PRAETEREA PER ἀντίφρασιν. AVT
more poëtico per contraria.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit. Ante leues ergo, &c. quæ nõ est multi negotij excogitare. Verùm ne immodici uideamur, his in præsentia contenti simus. Aliàs, si uoles, copiosius hac de re colloquemur. C H. *Egò te Augustine iam planè exhaustum putabam: sed tu præter expectationem nouum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox antè occupauerit, quàm tibi eadem de re desint uerba.* AVGVS. *Si ego hoc mediocri & doctrina, & ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum ualuisse credis, qui cum Roscio histrione certasse legitur? Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imitari auiculas, tectoq; ac lecto nos condere. Proinde uale mi Christiane suauissime in crastinum.* C H. *Tu itidem bene ualeas Augustine omnium doctissime.*

Conui

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

EVSEBIVS, TIMOTHEVS, THEOPHILVS, CHRYSOGLOTTVS, VRANIVS.

EV. Cùm omnia nunc uernent & rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur. TI. Non omnes capiuntur aspectu florum, aut pratorum uernantium, aut fontium amnium'ue: aut si capiuntur, est aliud quod magis iuuet. Ita uoluptas uoluptate, ueluti clauus clauo pellitur. EVS. Tu mihi fortasse fœneratores narras, aut his similimos negotiatores auaros. TIM. Istos quidem, sed non solos, ô bone, imò cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui ferè quæstus gratia malunt in urbibus, ijsq; frequentißimis uersari, dogma sequuti, non Pythagoricum aut Platonicum, sed cæci cuiusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominũ, quòd diceret illhic esse quæstum, ubi esset populus. EV. Valeant cæci cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. TI. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quòd esset discendi cupidus, & urbes haberent, unde disceret: in agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterùm nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. EVS. Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam mea sententia, non est muta rerum natura, sed undiquaque loquax est, multaq; docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ uernantis facies, quàm opificis Dei sapientiã bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu, quàm multa docet Phædrum suum, ac uicißim ab eo discit. TI. Si tales

Eusebius, pius.
Timothe⁹, charus deo, uel charũ habẽs Deũ.
Theophilus, amans Dei.
Chrysoglottus auream habens linguam.
Vranius, cœlestis.

adessent aliquot, nihil esse posit amœnius rusticatione. EV. Libet igitur huius rei periculũ facere? Est mihi prædiolum suburbanum, non amplum, sed nitidè cultum, eò uos in crastinum diem ad prandium uoco. TI. Plures sumus. Exederemus totum prædium tuum. EV. Imò totum conuiuium apponetur herbaceum, ex dapibus, ut inquit Flaccus, inemptis apparatum. Vnum ipse locus suppeditat: pepones, melones, ficos, pyra, mala, nuces, ipsæ penè arbores porrigunt, quemadmodum fit in insulis fortunatis, si Luciano credimus. Accedet fortasis è corte gallina. TIMOT. Agè, non recusamus. EV. At suam quisq; umbram secum adducat, quam uolet. Ita cum sitis quatuor, æquabimus numerum Musarum. TIM. Fiet. EVS. Vnum illud uos præmonitos uolo, sibi quisq; condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam. TIM. Quod condimentum narras, piper an saccarum? EVS. Imò aliud uilius, sed suauius. TIM. Quodnam? EVS. Fames. Eam dabit hodie cœna tenuis, cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verùm ad quam horam libet prandere? TI. Ad decimam, prius quàm inualescat æstus solis. EVS. Curabitur. PV. Here, adsunt conuiuæ pro foribus. EVS. Bonæ fideiiest, quòd uenistis: sed bis gratum est, quòd uenistis maturè unà cum umbris uestris longè gratissimis. Sunt enim quidam inciuiliter ciuiles, qui conuiuatorem mora sua torquent. TIM. Eò maturius uenimus, ut esset otium lustrandi, uisendiq; regiam istam tuam, quam audimus undique miris delicijs uariam, nusquam non testari domini sui ingenium. EVS. Regiam spectabitis tali dignam

Corscortis, spatium circum uillam septũ, unde cortis aues, & militũ cohors, quòd ex agris legi soleant.

Vmbra nõ ipse uocat, sed quẽ adducit comitem uocatus.

dignã rege. Mihi certè nidulus est, quauis regia gratior. Et si regnat, qui liberè uiuit ex animi sui sententia, hic planè regno. Sed præstat, opinor, interim dum culinæ præfecta parat holusculum, & adhuc moderatus est solis calor, uisere hortos nostros. TIM. Est alius præter hunc? Nam hic sanè nirè cultus blandißimo aßpectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. EVS. Hinc igitur decerpat sibi quisque flosculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pædor. Non idem odor æquè gratus omnibus, Quare sibi quisq; deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, penè publicum esse patior. Neque enim unquam clauditur ostium huius uestibuli, nisi noctu. TIM. En tibi in ostio Petrus. EVS. Hunc ego malo ianitorem, quàm Mercurios, Centauros, aliáque portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. TIMOT. Isthuc homine Christiano dignius est. EVS. Nec mutum habeo ianitorem, tribus linguis alloquitur ingredientem. TIM. Quid loquitur? EVS. Quin ipse legis? TIM. Interualum aliquantò longius est, quàm ut prospectus oculorum assequatur. EVSEB. En tibi perspicillum, quod te uel lynceum reddet. TIMOTH. Latina uideo. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, Matthæi capit. 19. EVSEB. Nunc lege Græca. TI. Græca uideo quidem, at illa non uident me, quare lampadem hanc trado Theophilo, qui nunquàm non cantillat Græca. TH. μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε, πρὸς τὸ τοῦ τρίτου. CHR. Hebræa mihi sumam, יְצִירִיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה EVS. An uobis uidetur incomis ianitor, qui statim monet, ut auertamur à uitijs, & conuertamus nos ad studium pietatis? Deinde uitam

Non uidet me id est, nõ intelligo. Nolũt enim uidere, quẽ nõ agnoscunt. Lampadem tradere, est alteri tradere negotiũ uide prouerb.

יְצִירִיק &c. id est, Iustus autẽ in fide sua uiuet: Abacuc 2. Et Gal. 3.

non contingere ex operibus Mosaicis, sed per fidem Euangelicam? Postremò seruandis Euangelicis præceptis iter esse ad immortalem uitam? TIM. *Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit sacellum perquàm elegans, In altari* IESVS CHRISTVS *suspiciens in cœlum ad patrem & spiritum sanctum illhinc prospicientes, atque eôdem dextrã porrigens, læua uelut inuitat & allectat præterecũtem.* EV. *Nec is elinguis nos excipit: uides Latina, Ego sum uia, ueritas & uita. Græca,* Ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα, καὶ τὸ ω. *Hebraicè,* לְבוֹ בָּנִים שִׁמְעוּ לִי וְאָה יְחוָה אֲלַבְּוֹרְכֶם TIM. *Læto nimirùm omine nos salutauit dominus* IESVS. EV. *Sed ne uideamur inciuiles, fortassis par est ut illũ resalutemus, precemurq́, ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inæstimabili bonitate non sinat nos unquam aberrare à uia salutis, sed abiectis umbris Iudaicis, & huius mundi præstigijs, per ueritatem Euangelicam perducat nos ad uitam æternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se.* TI. *Aequissimum est, & ipsa loci species inuitat ad precandum.* EVS. *Multos hospites allicit huius horti amœnitas, sed ita ferè apud omnes inualuit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hunc ego uice fœdissimi Priapi, custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quæ possideo, deniq; corporis pariter atque animi. Adest, ut uidetis, fonticulus saluberrimus aquis non inamœnè scatens, utcunque repræsentans unicum illum fontem, qui cœlesti latice refocillat omnes laborantes & oneratos, & ad quem anhelat anima delassata malis huius mundi, non aliter, quàm iuxta Psalmistam; Ceruus æstuans siti,*

Id est, Venite filij, obedite mihi, timorem domini docebo uos. Psal. 34.

gustatis

gustatis serpentium carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli & religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis, sed religionis causa. Video uos inuitos auelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, ut uisamus hunc cultiorem hortum, quem in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Siquid erit uisendum intus, à prandio spectabimus, quum solis æstus nos, ueluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. TI. *Papæ. Epicureos hortos mihi uidere uideor.* EVS. *Totus hic locus uoluptati dicatus est, sed honestæ, pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Vnumquodque genus suas habet areas.* TIMO. *Nec herbæ mutæ sunt apud te, quantum uideo.* EVS. *Probè dicis, alij domus habent opulentas, ego loquaciſsimam habeo, ne quando solus uideri possim: id magis etiam dices, ubi totam uideris. Vt herbæ sunt uelut in turmas digestæ, ita singulæ turmæ singula habent uexilla cum inscriptione. Velut amaracus hic, Abstine, inquit, sus, non tibi spiro. Cùm enim sit suauiſsimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore uehementer offenduntur. Itidem singula genera habent suos titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem eius herbæ uim pertinet.* TIMOTHEVS. *Nihil adhuc uidi hoc ſonticulo festiuius, qui medius uelut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur aduersus æstum. Sed alueolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatijs hortum dirimens, in quo sese utrinque herbæ uelut in speculo contemplari gestiunt,*

Abſtine ſus. Suibus amaracinum unguentum ex amaraco factum, uenenum eſt.

num marmoreus est? EVS. Bona uerba, unde huc marmor? è contusis cæmentis factitium marmor est, coloris candor additus est incrustamento. TIMOTH. Quò tandem sese condit tam amabilis riuus? EVS. Vide inciuilitatem humanam. Posteà quàm hìc satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam, eiusq; sordes secum defert in cloacam. TIMOT. Crudele, ita me Deus bene amet. EVS. Crudele, ni & in hunc usum paraſſet æterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, quum fontem diuinæ scripturæ longè hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum conspurcamus uitijs nostris, prauisq; cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in uarios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis. TIMOT. Verissima sunt quæ narras, sed cur tibi uirent etiam horti septa manu facta? EVSEB. Ne quid hìc non uireat. Quidam rubra malunt, quòd is color additus uirentibus gratiam adiungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuique sententia, etiam in hortis. TIM. Sed horti per se amœnissimi iucunditatem propémodum obscurant ambulacra tria. EV. In his uel studeo, uel obambulo solus, aut cum amiculo confabulans, uel cibum capio, si uidetur. TI. Columnæ paribus interuallis sustinentes ædificium innitens, miraq; colorum uarietate blandientes, sunt'ne marmoreæ? EVS. Ex eodem marmore, quo factus est hic alueus. TIMOT. Lepidà profectò impostura. Vel deieraſſem esse marmor. EVS. Quare caue, ne uel credas, uel deieres quicquam temere. Non rarò fallit species. Quod opibus deest, arte sarci-

mus

mus. TI. Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam exactus, nisi pingeres insuper alios hortos? EVS. Non capiebat omneis herbarum species unus hortus. Praterea bis delectamur, quum pictum florem cum uiuo decertantem uidemus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium: in utroque benignitatem Dei, qui in usum nostrum largitur hæc omnia nulla in re non mirabilis pariter & amabilis. Postremò non semper uiret hortus, non semper uiuunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma uiret & adblanditur. TI. At non spirat. EVS. Sed rursum non eget cultura. TI. Tantùm pascit oculos. EV. Verum, sed hoc perpetuò facit. TI. Habet suum & pictura senium. EVS. Habet, nobis tamen est uiuacior, & illi ferè gratiam addit ætas, quam nobis detrahit. TI. Vtinam hìc uanus esses. EV. In hoc ambulacro, quod spectat Occidentem, sole fruor orientem: in hoc quod spectat Orientem, apricor interdum: in hoc quod spectat Austrum, sed patet ad Septentrionem, recreor ab æstu solis. Obambulabimus, si uidetur, quò spectetis propius. Enuernat ipsum etiam solum. Habent enim & tessellæ colorum gratiam, & flosculis pictis adblandiuntur. Hoc netus quod uidetis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi uarium spectaculum. Primùm quot uidetis arbores, tot uidetis arborum genera, singulis ad natiuam imaginem non pessimè expressis. Quot cernitis aues, tot uidetis auium species, præcipuè si quæ sint rariores, & insigni re quapiam nobiles. Nam anseres, gallinas, & anates quid attinet pingere? Infernè sunt quadrupedum species, aut earum auium, quæ uiuunt humi, more quadrupedum. TI.

Mira uarietas, nec quicquam est otiosum. Nihil est quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, penè latitans sub frondibus? EVS. *Atticè loquitur Attica.* σωφρόνει, *inquit,* ὦ πᾶσιν ἐπίσημε. *Iubet nos consultò agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila discerpit leporem frustra obtestante scarabeo. Adstat scarabeo trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ.* TI. *Hæc hirundo quid gerit ore?* EVS. *Herbam chelidoniam. Nam hac restituit pullis exoculatis uisum. Agnoscitis herbæ figuram?* TI. *Quodnam hoc nouum lacertæ genus?* EV. *Non est lacerta, sed chamæleon.* TI. *Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon? Belluam esse credidi leone maiorem, quem uincit etiam uocabulo.* EVS. *Hic ille est semper hians, & semper ieiunus chamæleon: hæc arbor est caprificus, apud quam solam sæuit, aliàs innoxius. Nam uenenum habet, ne contemnas hiantem bestiolam.* TI. *At non mutat colorem.* EVS. *Verum, quia non mutat locum: ubi mutarit locum, uidebis & colorem alium.* TIMO. *Quid hic sibi uult tibicen?* EVS. *Non'ne uides in proximo chamelum saltantem?* TIMO. *Video nouum spectaculum, chamelus cinædus est, & simius choraules.* EVS. *Sed his singulatim ac per otium contemplandis aliàs dabitur uel totum triduum, nunc satis erit, ueluti per transennam uidisse. In hac regione depictum est ad natiuam effigiem, quicquid est insignium herbarum: quodq; iure miremini, hic uenena quantumuis præsentanea, tutò non solum spectantur, uerumetiam contrectantur.* TIMOT. *En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Ittiliæ*

Id est, prudens esto, non omnibus uolo. Vide prouerb. de noctua Atheniensium.

Trochilus auicula, natura aquilis infensa.

lie. Quanquam color mihi parum respondere uidetur in pictura. EVS. Quî sic? TIM. Quia magis nigrent apud Italos, istic pallidior est. EVS. An non agnoscis herbam in cuius folium incidit? TIM. Non satis. EV. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. Aconitum est. Ei ueneno tanta uis est, ut scorpius ad huius contactum stupescat, pallescatque, sescq; uinci patiatur. Sed offensus ueneno, à ueneno petet remedium. Videtis in propinquo utrunque genus hellebori. Si scorpius sese potuerit explicare à folio aconiti, & album helleborum contingere, recipiet pristinum uigorem, diuersi ueneni contactu soluente torporem. TI. Actum est igitur de isto scorpio. Nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic scorpij? EV. Et quidem Græcè. TIM. Quid ait? EVS. Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρὸν. Hîc præter herbas uidetis omne serpentium genus. En uobis basiliscus, oculis igneis, ipsis etiam nocentissimis uenenis formidabilis. TIM. Et is loquitur aliquid. EVS. Oderint, inquit, dum metuant. TIM. Planè regia uox. EVS. Imò nihil minus regium, sed tyrannica uox est. Hîc pugnat lacerta cum uipera. Hîc dipsas insidiatur, tecta putamine oui struthiocameli. Hîc uidetis politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos uocat Hebræus ille sapiens, atque etiam Flaccus noster. Hîc uidetis formicas Indicas, quæ aurum egerunt, ac seruant. TIM. Deum immortalem, cui possit obrepere tædium in hoc theatro uersanti? EV. Aliâs, inquam, licebit uel ad satietatem usque spectare. Nunc procul tantùm spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes & maria, & in his quicquid

Id est, Reperit Deus nocentē.

quid est insignium piscium. Hîc est Nilus, in quo delphinum illum uidetis, hominum amatorem, cum crocodilo pugnantem, quo non alius hostis homini capitalior. In ripis ac littoribus uidetis ea quæ sunt ἀμφίβια, ut caneri, phocæ, fiber. Hîc est polypus captator captus à concha.

Id est, captans capior.

TI. Quid loquitur? αἰξῶν αἰξόμενος. Mirè pictor fecit aquã pellucidam. EV. Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat alijs oculis. In proximo est alter polypus, summa æquoris aqua uelificans, liburnicarum gaudens imagine. Videtis torpedinem prostratam in arena concolori, quam hîc tutò uel manu contigeris. Sed aliò properandum est. Hæc pascunt oculos, at uẽtrem non explent, properemus ad reliqua. TIMOTH. Etiam'ne amplius? EV. Mox uidebitis, quid nobis præbeat posticum. Hîc uidetis hortum satis spatiosum, in duas diuisum partes: in altera est quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant uxor & famula mea: in altera, quicquid est medicarum, præsertim insignium. Ad lævam est pratum liberum, præter uirorem graminum nihil habens, septum est sepe perpetua, è spinis implexis, sed uiuis contexta, Illhic nonnunquam uel ambulo, uel lusito cum sodalibus. Ad dexteram est pomarium, in quo, cũ erit otium, uidebitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere. TI. Papæ, næ tu uincis uel ipsum Alcinoum. EV. Hîc auiarium est in confinio adhærens ambulacro superiori, quod uidebitis à prandio, uidebitis formas uarias, uariasq; linguas audietis. Nec minus uaria sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est & mutuus amor, inter nonnullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem

autem omnes adeò cicures, & mansuetæ, ut si quando eæ willhic aperta fenestra, deuolent in mensam, cibumq; uel è manibus capiant. Siquando ingredior, in porticulo pensili, quem uidetis, fabulans cum amico, aßident, auscultant, insident humeris aut brachijs, adeò dedidicerunt timere, quia sentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum est. Nec illud sanè spectaculum inamœnum. In præsentia non sinam uos amplius contemplari, quò sit quod uos posthac reuocet tanquam ad nouum spectaculum. A' prandio cætera uobis ostendam. PV. Vxor & famula clamitant corrumpi prandium. EVS. Iubeto illas esse æquanimes, nos iam accurremus. Lauemus amici, ut puris manibus & animis ad mensam accedamus. Etenim si ethnicis quoq; religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandã illius sacrosancti conuiuij, quod dominus Iesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, ut si quid odijs, liuoris, aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id eijciat antè, quàm accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defæcato. TI. Istud uerißimum esse credimus. EIV. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab hymno cibum auspicaremur (nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus illum benedixisse, aut gratias egisse patri prius, quàm cibum frangeret:) & rursum hymno finiremus: si uidetur, recitabo uobis hymnum, quem diuus Chrysostomus miris laudibus prædicat in Homilia quadam, dignatus etiam interpretari

tari. TIM. Imò ut uelis, rogamus. EVS. Benedictus Deus qui me pascis à iuuentute mea, quia cibũ præbes omni carni, replc lætitia & gaudio corda nostra: ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto spiritu in omne æuum. TIMO. Amen. EVS. Nunc accumbite, ac suam quisq; umbram sibi adiungat. Canitiei tuæ debetur primus locus Timothee. TI. Verbo dignitatem uniuersam meam complexus es. Hoc solo nomine sum cæteris anteponendus. EVS. Cæterarum dotium æstimator est Deus, nos ea sequimur, quæ uidemus. Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt læuum. Vranius & Nephalius, quod supereſt. Ego hunc angulum tuebor. TI. Non patiemur. hospiti debetur primus locus. EV. Tota domus hæc mea est, simulq; uestra: quòd si mihi permittitur ius in regno meo, is locus debetur hospiti, quemcunque sibi delegerit. Nunc utinam Christus ille exhilarator omnium, & sine quo nihil uerè suaue est, dignetur huic nostro interesse conuiuio, suaq; præsentia exhilarare animos nostros. TIMOT. Spero dignabitur. Sed ubi sedebit, iam omnibus locis occupatis? EVSEB. Vtinam ille se misceat omnibus & patinis, & poculis, ut nihil illum non sapiat, sed potißimum illabatur animis nostris. Id quò magis dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum è sacra lectione, sed ita, ut interim nihilo secius admoueatis manus ouis & lactucis, si libet

Sophronius, temperans.
Eulalius, bene loquens.
Theodidactus, diuinitus doctus.
Nephalius, sobrius.

libri. TIMO. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. EVS. Is mos mihi multis nominibus uidetur amplectendus, quòd hac ratione uitentur inanes fabulæ, præbeaturq; materia confabulationis frugiferæ. Multùm enim ab illis dissentio, qui putant non esse lætum conuiuium, nisi quod scateat ineptis ac lasciuis fabulis, quod perstrepat obscœnis cantiunculis. Vera hilaritas nascitur è pura syncerâq; conscientia, atq; hi sermones uerè læti sunt, quos semper & dixisse iuuet, aut audisse, & semper delectet meminisse: nõ quorum mox pudeat, quiq; conscientiam pœnitudine discrucient. TIMOT. Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quàm sunt uera. EV. Hæc præter quàm quòd certam & insignem habent utilitatem, etiam iucunda fiunt, ubi uel mensem unum assueueris. TIMOTH. Nihil igitur consultius, quàm optimis assuescere. EVS. Recita puer distinctè, & clarè. PV. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu domini, quocunq; uoluerit inclinabit illud. Omnis uia uiri recta sibi uidetur, appendit autem corda Dominus. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm uictimæ. EVS. Sit hoc satis. Præstat enim pauca auidè discere, quàm multa cum tædio deuorare. TIM. Præstat sanè, sed non hîc tantùm. Plinius scripsit, Officia Ciceronis nunquàm de manibus deponenda, & sunt sanè digna quæ cum ab omnibus, tum præcipuè ab his qui destinati sunt administrandæ Reip. ad uerbum ediscãtur, mea quidem sententia: sed hunc Prouerbiorum libellum semper dignum arbitratus sum, qui semper nobis circumferatur. EVSEB. Quoniam sciebam prandium fore dilutum, & insi Prouerb. 21.

insipidum, idcirco hanc procuraui nobis conditurã.

Betas. Allusit ad illud Martialis: Vt sapiãt fatuæ fabrorũ prandia betæ.

TIMOT. *Nihil hic est non lautißimum, & tamen si nihil esset præter betas absque pipere, uino & aceto, talis lectio condiret omnia.* EVS. *Mihi tamen plus addaret gratiæ, si quod audio, penitus intelligam.*

O quàm sæpe petet uina piperis coquus.

Atque utinam adesset aliquis uerè Theologus, qui ista non intelligeret solùm, uerùm etiam saperet. Nobis idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari. TIMOT. *Ego uerò puto uel nautis esse fas, modò absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus qui pollicitus est sese adfuturum, ubicunque duo conuenirent de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis.* EVS. *Quid si igitur partiamur inter nos nouem, tres sententias?* CO. *Non displicet, modò à conuiuatore incipiat ordo.* EVS. *Non detrectarem prouinciam, sed uereor ne hìc uos peius accipiam, quàm cibis accipio. Agè necubi uidear difficilis conuiuator, omißis uarijs coniecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes, mihi uidetur hic esse sensus moralis: alios mortales posse flecti monitis, increpationibus, legibus ac minis: regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis iritari. Et idcirco quoties principes uehementer contendunt aliquid, suo animo relinquendos, non quòd semper uelint optima, sed quòd illorum stultitia malitiáue Deus nonnunquam abutatur ad emendandos eos, qui deliquerunt. Quemadmodum uetuit resisti Nabuchodonosor, quòd illius ministerio decreuisset castigare populum suum. Fortaßis illud est quod ait Iob: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Atque huc fortasse pertinet, quod ait Dauid,*

Hiere. 27. & 28 Iob 34.

Psal. 50.

deplorans

deplorans peccatum suum: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Non quòd reges non peccent ingenti populi malo, sed quòd non habeant hominem, cuius autoritate condemnentur, cùm Dei iudicium nemo quamlibet potens possit effugere. T I. Non displicet interpretatio. Sed quid sibi uolunt diuisiones aquarum? E V. Adhibiti est similitudo, quæ rem explanet. Violentares & impotens est regis animus cõcitatus, nec huc aut illhuc duci potest, sed impetu suo fertur, uelut œstro diuino percitus: quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, ædificijs, & quicquid obstat: alicubi se condit sub terras: cuius impetum si coneris inhibere, aut aliò deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, ueluti fabulæ quoq; narrant de Acheloo. Minus autem mali capitur, si commodè obsequundes, quàm si uiolenter repugnes. T I. Nihil igitur remedij aduersus malorum regum impotentiam? E V. Fortasse primum fuerit leonem in ciuitatem nõ recipere: proximum sic autoritate senatus, magistratuum ac ciuium moderari potẽtiam illius, ut non facilè erumpat in tyrannidem. Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se principem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus illius. Prosunt & preces ac monita, sed blanda ac tempestiua. Extrema ancora est, uotis fatigare Deum, ut regis animum inclinet ad ea, quæ Christiano rege digna sunt. T I. Quid ais idiota? Si baccalaureus eßẽ Theologiæ, minimè puderet istius interpretationis. E V. An uera sit nescio, mihi satis est, quòd sensus non sit impius, aut hæreticus. Morem gessi uoluntati uestræ. Nunc ut decet

Sicut fremitus leonis, ita & regis ira. Prouerbiorum. 19.

in conuiuijs, uicißim audire cupio. T I. *Si quid defertis his quoq; canis, mihi uidetur hoc dictum & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse.* E V. *Credo, & audire cupio.* T I. *Rex intelligi potest uir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo diuini spiritus impetu ducitur. Porrò qui sit huiusmodi, hunc non conuenit fortaßis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo domino, cuius spiritu agitur, relinquendus est, nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum utcunque prouehitur ad ueram pietatem: sed si quid secus facit, di-*

Roma. 14. 1. Corint. 2. *cendum est cum Paulo: Dominus adsumpsit illum, domino suo stat, aut cadit. Item illud: Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse uerò à nemine iudicatur. Talibus igitur nemo præscribat, sed dominus qui perscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui regis in manu sua, & quocũq; uoluerit, inflectit illud. Quid enim opus est præscribere illi, qui suapte sponte præstat meliora quàm exigunt humanæ leges? aut quæ temeritas sit illum hominem constitutionibus astringere, quem certis argumẽtis constat diuini spiritus afflatu gubernari?* E V. *Tu uerò Timothee non solùm canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canitie uenerabile. Atq; utinam inter Christianos, quos omnes oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed iam satis est ouatum, & holeribus prælusum. Iubete hæc tolli,*

Supplicatio, & ouatio sunt infra triumphũ. alluſum eſt aũt ad oua appoſita. *& apponi quod supererit.* T I. *Nobis affatim satisfactum est hac ouatione, etiam si nihil præterea succesſerit uel supplicationis, uel triumphi.* E V. *Verùm quoniam aspirãte Christo, sicut opinor, succeßit res in prima sententia*

tatia, uelim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi uidetur aliquanto obscurior. S O. *Si boni uoletis cõsulere quicquid dixero, sedulò dicam quod mihi uidetur. Alioqui quî fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat umbra?* E V. *Equidem recipio futurum omnium nomine, & tales umbræ lucem suam habent abtiorem oculis nostris.* S O. *Idem docere uidetur quod Paulus. Diuersis uitæ rationibus contẽditur ad pietatem. Alij placet sacerdotium, alij cœlibatus, alij coniugium, alij secessus, alij Respub. pro uarietate corporum & ingeniorum. Rursus alius uescitur quibuslibet, alius distinguit inter cibum & cibum, alius iudicat inter diẽ & diem, alius iudicat omnẽ diem. In his Paulus uult unumquẽq; suo frui affectu citra contumeliam alterius. Nec oportet quenquam ex huiusmodi iudicare sed iudicium deferre Deo, qui expẽdit corda. Fit enim sæpenumero, ut uescẽs gratior sit Deo, quàm non uescens: & diem festum uiolans acceptior sit Deo, quàm is qui uidetur obseruare: & matrimonium huius gratius sit oculis Dei, quàm multorum cœlibatus. Dixi umbra.* E V. *Vtinam mihi sæpe contingat cum talibus umbris colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod aiunt, sed lingua tetigisti. Sed adest, qui cœlebs uixit, non de numero beatorum, qui se castrauerunt propter regnum Dei: sed hic castratus est ui, quò magis placeret uentri, donec & hunc, & escas destruxerit Deus. Caput est ex corte nostra. Elixis magis delector. Ius est non inelegans: quod in eo natat, lactucæ sunt selectißimæ. Sumat sibi quisquc, quod gratum est animo. Sed ne quid uos fallam, succedit huic assi nonnihil, mox bellaria,*

Catastrophe. Prima pars comœdiæ dicitur Protasis, secunda Epitasis, in qua tumult' est uehementissimus, tertia Catastrophe, quæ componit tumultum.

Muta persona in fabulis, quæ ostenditur quidem, sed non loquitur. Horat. Necmuta loqui persona laboret. Vide prouerb. μωρῷ πρόσωπον.

deinde fabulæ catastrophe. T I. Sed interim excludimus uxorem è conuiuio. E V. Vbi uos uenietis comitati uestris, accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quàm muta persona? & illa suauius garrit mulier inter mulieres, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent conuiuæ philosophi, quibus magis placent huiusmodi fabulæ, quàm cibus, & in longum proferretur disputatio, Xanthippe commota mensam subuertit. T I. Nihil minus à tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis. E V. Mihi certè talis, ut commutare non cupiam, etiam si liceat, atque hoc nomine mihi uel præcipuè uideor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquàm: magis arridet, quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona. T I. Sæpe nostro uitio malæ sunt uxores, uel quia tales deligimus, uel quia tales reddimus, uel quia non ut oportet formamus, & instituimus. E V. Vera prædicas, sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iam mihi dicturire uidetur θεόπνευς & Theophilus. T H. Imo mihi animus erat in patinis: dicam tamen, quando licet impune. E V. Etiam cum gratia licebit errare, uel sic præbebis occasionem inueniendi. T H. Mihi uidetur eadem sententia quam protulit Dominus apud Osee prophetam cap. 6. Misericordiam uolui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta: cuius uiuus & efficax interpres est dominus IESVS in Euangelio Matth. cap. 9. Quum enim conuiuium agitaret in domo

θεόπνευς, id est, diuinitus afflatus.

Leui,

Leui, qui erat publicanus, isq; multos sui ordinis, suiq; quæstus homines inuitasset ad conuiuium, Pharisæi, qui tumebant religione legis, quum ea præcepta negligerēt, unde tota lex pendebat & prophetæ, quò discipulorum animos alienarent à IESV, rogabāt illos, quur dominus admisceret se conuiuio peccatorum, à quorum consortio abstinebant Iudæi, qui uolebant haberi sanctiores: & si quando contigisset cum ciusmodi congredi, reuersi domum abluebant corpus. Quumq; discipuli rudes adhuc, non haberent quod responderent, dominus & pro se & pro discipulis respondit: Non est opus, inquit, medico ualentibus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est, Misericordiam uolo, & non sacrificiū. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. E V. Pulchrè tu quidē collatione locorum rem explicas, id quod in diuinis literis præcipuum est: sed discere uelim, quid appellet sacrificiū, quid misericordiam. Nam quî consistit, ut auersetur sacrificia Deus, quæ sibi tot præceptis iusserat exhiberi? T H. Quomodo Deus auersetur sacrificia, docet ipse nos apud Esaiam cap. 1. Sunt enim quædam præscripta Iudæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quàm præstant: quod genus sunt, dies festi, sabbatismi, iciunia, sacrificia. Et sunt quæ semper præstanda sint, quæ suapte natura bona sunt, non quia iussa. Iudæos autem auersatur Deus, non quòd obseruarent legis ritus, sed quòd his stultè tumidi, negligerent ea, quæ Deus maxime uult præstari à nobis: ac madentes auaritia, superbia, rapinis, odio, liuore, cæterisq; uitijs, existimabant Deum ipsis multum debere, quod diebus festis uersarentur in templo, quòd

immolarent uictimas, quòd abstinerent à cibis uetitis, quòd illi nonnunquàm ieunarent, umbras amplectebãtur, rem negligebant. Quòd autem ait, Misericordiã uolo, & non sacrificium: opinor ex idiomate sermonis Hebræi dictum, pro eo quod erat, misericordiam uolo potius quàm sacrificium: quemadmodũ, uelut interpretatur Solomon, quum ait: Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm uictimæ. Porrò omne officium, quod impenditur subleuando proximo scriptura misericordiam uocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad ceremonias corporales, & aliquid habet affine cum Iudaismo: quod genus sunt delectus ciborum, uestitus præscriptus, iciunium, sacrificium, preces ueluti pensum absolutæ, quies dici festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligẽda, ita Deo fiunt ingrata, si quis obseruationibus huiusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam, colloquia uitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis, sed impium sit, ob religionem diei sinere fratrem perire. Itaq; seruare diem dominicum uictima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est. Porrò iudicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter ui opprimunt imbecilles tamen mihi uidetur non absurdum, si respondeat illi quod est apud Osee: Et scientiam Dei plus quàm holocausta. Non seruat legem, qui non seruat iuxta mentem Dei. Iudæi subleuabant asinum in foueam collapsum sab-

Prouerb. 21. Misericordia & eleemosyna quid. Victimæ. Ob religionem diei. Religio aperiè, est eorum quæ reueremur ueluti sepulchrorũ, cui proxima est superstitio: Religio enim immodica superstitio est. Alludit ad locũ Pauli Coloss. 2.

latis: & Christum calumniabantur, qui seruaret totum hominem in sabbato. Hîc erat præposterum iudicium, & aberat scientia Dei: nesciebãt enim, quòd ista propter hominem essent instituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere uiderer, nisi uestro iussu dicerem. Malim ex alijs rectiora discere. E V. *Ista mihi uidentur adeò dicta impudenter, ut existimem dominũ Iesum loqui per organum oris tui. Sed interim dum largiter pascimus animos nostros, ne negligãtur collegæ.* TH. *Quinam?* E V. *Corpora nostra, non'ne collegæ sunt animorum? Hoc enim malim, quàm instrumenta, uel domicilia, uel sepulchra.* TI. *Hoc nimirùm est affatim refici, ubi totus homo reficitur.* E V. *Video uos segniter attingere. Quare, si uidetur, iubebo proferri assa, ne pro lauto conuiuio longum præbeam. Videtis huius prandioli summam. Armus est ouillus, sed exquisitus, capus, & perdices quatuor. Has solas à mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc prædiolum.* TI. *Epicureum prandium uideo, ne dicam Sybariticum.* E V. *Imò uix Carmeliticum. Sed quale quale est, boni consuletis: Animus certè purus est, si parum lautum est conuiuium.* TI. *Adeò non est muta tua domus, ut non solùm parietes, sed & cyathus loquatur aliquid.* E V. *Quid tibi loquitur?* TI. *Nemo, nisi à scipso læditur.* E V. *Cyathus patrocinatur uino. Nam uulgus febrim, aut capitis grauedinem è potu contractam, imputare solet uino, quum ipsi sibi malum accersierint immodicè bibendo.* SOP. *Meus Græcè loquitur. Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια.* E V. *Admonet non esse tutum sacerdotibus, aut regum famulis indulgere uino,*

Corpora collegæ animorum.

Lege in Chiliadibus prouer. Sybaritica mẽsa.

Id est, in uino ueritas. Vide Chiliad.

quòd uinum ferè transferat in linguam, quicquid latebat in corde. SO. Apud Aegyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere uinum, quum nondum illis mortales sua committerent arcana. EV. Nunc licet quidem omnibus bibere uinũ, an expediat, nescio. Eulali, quid libelli profers è crumena? perquàm elegans uidetur, nam foris etiã totus aureus est. EV. Sed idem intus plus quàm gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas ut unicas delicias meas semper mecum circunfero: quas ideo profero, quòd ex occasione sermonis tui uenit in mentem locus quidam, qui me nuper diu torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap. 6. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licẽt, sed ego sub nullius redigar potestatem. Primùm, si Stoicis credimus, nihil est utile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certè scortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quòd si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium uult esse licentiam, non possum satis ex ipso loci tenore diuinare, quodnam sit illud genus. Ex ijs quæ mox huic loco subijciuntur, conijcere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab idolothytis, quidam à cibis per Mosen interdictis. Et de idolothytis agit capite 8. Rursus capite 10. uelut explicans huius loci sententiam, ait: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello uênit, mandũcate. Hoc quod hîc subijcit Paulus, congruere uidetur

cum

cum eo quod suprà dixerat, Esca uentri, & uenter escis, & hunc & has destruet Deus. Quòd autem respexit hic etiam ad Iudaicum ciborum delectum, indicat clausula decimi cap. Sine offensione estote Iudæis & gentibus & ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, nõ quærẽs quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Nam quod ait gentibus, pertinere uidetur ad idolothytum: quod ait Iudæis, referri uidetur ad delectum ciborũ: quod ait Ecclesiæ Dei, pertinet ad infirmos, ex utraque gente collectos. Licebat igitur uesci quibuslibet cibis, & omnia munda mundis. Verùm incidit casus, ut nõ expediat. Quòd omnia licebant, libertatis erat Euãgelicæ, sed charitas ubiq; spectat, quid conducat ad salutem proximi, eóq; frequenter abstinet & à licitis, malẽs obsecundare commodo proximi, quàm sua uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus, primũ quòd in sermonis contextu nihil præcedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam obiurgarat Corinthios, quòd essent seditiosi, quod scortationibus, adulterijs, atq; etiam incestis impuri, quòd litigarent apud iudices impios. Cum his quì cohæret, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt? Et in his quæ sequuntur, redit ad causam impudicitiæ, quam repetierat & antè, intermisso negotio litium. Corpus autem, inquit, non fornicationi, sed domino, & dominus corpori. Verùm hũc quoq; scrupulum possum utcunq; discutere, quòd paulò superius in catalogo uitiorum meminisset & idololatriæ: Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neque adulteri. Porrò esus idolothytorum uergebat ad speciem idolo-

latriæ. Et ideo mox subdit, Esca uentri, & uenter escis: significans pro necessitate corporis, pro tẽpore licere uesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi: sed impudicitiã semper & ubiq; detestandã esse. Quòd uescimur, necessitatis est, quæ tolletur in resurrectione mortuorum. Quòd libidinamur, malitiæ est. Sed alterũ scrupulũ nõ queo dissoluere, quomodo ad hæc quadret illud: Sed ego sub nullius redigar potestatem. Ait enim sibi potestatem esse omnium, se tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui ne offendat, abstinet, idem capite nono de se prædicat, Quum liber essem ab omnibus, omnium me seruum feci, ut omnes lucrifacerem. Hoc, opinor, offensus scrupulo sanctus Ambrosius, putat hunc esse germanũ Apostoli sensum, ut uiam præstruat illi, quod ait cap. 9. sibi quoq; potestatẽ esse faciendi, quod cæteri faciebãt, uel Apostoli, uel pseudapostoli, sumendi uictum ab his, quibus prædicabat Euangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quòd sic expediret Corinthijs, quos de tam multis & insignibus uitijs obiurgabat. Porrò quisquis accipit, fit quodã modo obnoxius ei à quo accipit, & aliquid decedit de uigore autoritatis. Siquidẽ qui accipit, minus liberè obiurgat: & qui dedit, non perinde fert obiurgari ab eo, cui benefacit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab ijs, quæ licebant, ut cõsuleret apostolicæ libertati, quam in hoc uolebat nulli esse obnoxiã, ut liberius, ac maiore cum autoritate reprehenderet illorũ uitia. Mihi sanè non displicet Ambrosiana sentẽtia. Attamẽ si quis mallet hũc locũ ad cibos accõmodare, mea sententia, quod ait Paulus, Sed ego sub nullius

adigar

diligar potestatem, sic accipi posset, Tametsi nonnunquã abstineam à cibis immolatitijs, aut lege Mosaica uetitis: ut consulam saluti proximi, ac profectui euangelico: tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere uesci cibis quibuslibet pro necessitate corpusculi. At pseudapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed semper ab his temperandũ, tanquam natura malis, nec aliter quàm abstinemus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alienã potestatem, & exciderant ab Euangelica libertate. Solus, quod quidẽ meminerim, Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diuersam. Licet uesci quibuslibet cibis, sed nõ expedit im modicé. Nã ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus quãquàm impius nõ est: tamẽ mihi non uidetur huius loci germanus esse. Ostẽdi quæ me torqueãt, uestræ charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. E V. Næ tu probè tuo respõdes nomini. Qui sic nouit proponere quæstiones, nõ opus habet alio qui dissoluat. Sic enim proposuisti dubitationẽ tuam, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniã multa simul decreuit agere, sæpe ab uno argumẽto in aliud deuoluitur, & rursum quod intermiserat repetit. C H. Nisi uererer, ne uos mea loquacitate auocẽ à capiẽdo cibo, & si crederem fas esse tam sacris colloquijs admiscere quicquam ex profanis autoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unicè delectauit. E V. Imò profanũ dici nõ debet, quicquid pium est, & ad bonos mores cõducens. Sacris quidem literis ubiq; prima debetur autoritas, sed tamen ego non-

nunquam

nunquam offendo quædam uel dicta à ueteribus, uel scripta ab ethnicis, etiam pœtis, tam castè, tam sanctè, tam diuinitus, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cùm illa scriberent, numen aliquod bonum agitauerit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quàm nos interpretamur. Et multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in catalogo. Fateor affectum meum apud amicos, non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officijs, de Tusculanis Quæstionibus, quin aliquotics exosculer codicem, ac uenerer sanctum illud pectus, afflatũ cœlesti numine. Contrà, quũ hos quosdam recentiores lego de Repub. œconomica, aut ethica præcipientes, Deum immortalem, quàm frigent præ illis, imò quàm non uidentur sentire quod scribunt, ut ego citius patiar perire totum Scotum cum aliquot sui similibus, quàm libros unius Ciceronis, aut Plutarchi: non quòd illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi meliorem, quum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga ueram uirtutem, sed iritatior ad contentionem. Quare ne uerere, quicquid isthuc est, proponere. CH. *Quum plerique libri* M. *Tullij, quos scripsit de philosophia, diuinitatis quiddam spirare uidentur, tum ille quem senex scripsit de senectute, planè mihi uidetur κύκνειον ἆσμα, quemadmodum Græcis est in prouerbio. Eum hodie relegi, atque hæc uerba, quoniam præ cæteris arridebant, edidici: quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis uagiam, ualde recusem: nec uerò uelim, quasi decurso spatio, à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet*

Id est, Cygnea cantio.

Ad carceres. r. ad initiũ. Carcer eñ dicitur unde equi dimittuntur ad cursum.

hæc

hæc uitæ commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sanè, habet certè tamen aut satietatẽ, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare uitam, quod multi, & bi docti, sæpe fecerunt. Nec me uixisse pœnitet, quoniam ita uixi, ut frustra me natum non existimẽ. Et ex uita ista discedo, tanquã ex hospitio, non tanquam è domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O' præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium cœtumq; proficiscar, & quum ex hac turba & colluuione discedam. Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Vtinã talia essent colloquia Monachorum omnia, uel cum sacris uirginibus, quale fuit illud ethnici senis colloquiũ cum ethnicis adolescentibus. E V. Iam aliquis causabitur colloquium esse confictum à Cicerone. C H. Isthuc mea non magni refert, siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritq;: siue Ciceroni, cuius animus sententias tam diuinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquijs. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quàm fuerit: & in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est in hoc scripti genere, præsertim quum eius uiri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum. T H. Vehementer probabile est, quod narras, sed dicam quid mihi uenerit in mentem, te recitante. Sæpenumero mecum admiratus sum, quum omnes optẽt longæuitatem, & mortẽ exhorreant, tamen uix quenquam comperi

peri tam felicem, non dico senem, sed prouectioris ætatis hominem, quin rogatus, an, si detur, uelit repuerascere, usurus per omnia iisdem bonis ac malis, quæ illi iam contigissent in uita, respõderit idem quod Cato dicit, præsertim si recolat animo, quicquid annis retroactis seu triste, seu lætum obtigisset. Nam frequenter & suauium rerum recordatio, uel cum pudore, uel cum conscientiæ molestia coniuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quàm à tristibus. Id, opinor, nobis indicarunt sapientissimi poetæ, qui scribunt, tum demum animas capi desiderio corporum relictorum, postea quàm ex amne Letheo longa biberint obliuia. V R. Est istud profectò dignum admiratione, & mihi quoq; compertum in nonnullis. Verùm illud quàm mihi blandiebatur, Nec me uixisse pœnitet? At quotusquisque Christianorum sic moderatur uitam suam, ut huius senis uocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra uixisse, si per fas, nefásq; congestas diuitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quòd integrum & sanctum ciuem præstiterit Reipu. quòd incorruptum magistratum, quòd posteritati quoq; uirtutis & industriæ suæ monumẽta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius? Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Hospitio tantisper uti licet, donec hospes iubeat exire. E' domo sua nullus facilè pellitur. Et tamen hinc quoq; sæpenumero propellit uel ruina, uel incendium, uel alius casus quispiã. Vt horum nihil accidat, tamẽ senio collabens ædificium admonet esse demigrandum. N E. Non minus elegãs est, quod apud Platonem loquitur Socrates, animam

animam humanam in hoc corpore uelut in præsidio positam esse, unde fas non sit decedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo immorari, quàm uisum sit ei, qui collocauit. Illud significantius est in Platone, quòd pro domo dixerit præsidium: siquidem in domo tantùm cõmoramur, in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegauit Imperator noster, non abludens à nostris literis, quæ uitam hominis nunc militiam, nunc certamen esse dicunt. VR. At mihi quidem oratio Catonis pulchrè congruere uidetur cum oratione Pauli, qui scribens Corinthijs, cœlestem mansionem, quam expectamus post hanc uitam, οἰκίαν uocat, & ὀικητήριον, hoc est, domum, siue domicilium. Cæterùm hoc corpusculum appellat tabernaculum, Græcè σκῆνος. Nã & qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. NE. Nec abludit à sermone Petri: Iustum autem, inquit, arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in cõmonitione, certus quod uelox est depositio tabernaculi mei. Quid autem aliud clamat nobis Christus, quàm ut sic uiuamus ac uigilemus, tanquã ilico morituri: sic incũbamus honestis rebus, tanquã semper uicturi? Iam illud quũ audimus, O præclarũ diẽ, non ne uidemur audire Paulũ ipsum loquentẽ, Cupio dissolui, & esse cum Christo? CH. Quàm felices sunt, qui tali animo mortem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquàm præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantia profectã, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse uideor apud Ethnicos, quod aptius quadret in hominem uerè Christianum, quàm quod Socrates paulò post

2. Corinth. 5.

2. Petri 1.

Matth. 24. Marci 13. & Lucæ 21.

Philipp. 1.

lò pòst bibiturus cicutã, dixit Critoni: An opera, inquit, Socratis dictũ. nostra sit probaturus Deus, nescio: certè sedulò conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quòd ille conatus nostros sit boni consulturus. Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen ob animi propensam uoluntatem obtemperandi uoluntati diuinæ bonam spem conceperit fore, ut Deus pro sua bonitate boni consulturus esset, quòd studuisset bene uiuere. NE. Profectò mirandus animus in eo qui Christum ac sacras literas non nouerat. Proinde quum eiusmodi quædam lego de talibus uiris, uix mihi tempero, quin dicam, Sancte Socrates ora pro nobis. CH. At ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer sanctæ animæ Maronis & Flacci. NE. At ego quot uidi Christianos, quàm frigidè moriẽtes? Quidam fidunt in his rebus, quibus non est fidendum: quidam ob conscientiam scelerum & scrupulos, quibus indocti quidam obstrepunt morituro, penè desperantes exhalant animam. CH. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem uitam tantùm philosophati sunt in ceremonijs. NE. Quid isthuc uerbi est? CHR. Dicam, sed illud etiam atq; etiã præfatus me non damnare, imò uehemẽter probare sacramenta & ritus ecclesiæ, sed quosdam uel improbos, uel superstitiosos, uel, ut mollissimè dicam, simplices & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermissis his quæ nos uerè reddunt Christianos. NE. Nõdũ satis intelligo quorsũ eas. CH. Faxo, ut intelligas. Si uulgus Christianorũ spectes, non'ne prora & puppis uitæ illis in ceremonijs est? In baptismo quanta religione repræsentantur prisci ritus ecclesiæ? Commoratur infans

extra

extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiũtur uota, abiuratur satanas cum pompis, & uoluptatibus suis: tandem ungitur, cõsignatur, salitur, tingitur: datur negotium susceptoribus, ut puerũ curent instituẽdum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si seruat, habetur absolutè Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus ungitur, & consecratur, mutatur uestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia, quòd fiunt, probo: sed quòd hæc fiunt magis ex consuetudine, quàm ex animo, non probo: quòd nihil aliud adhibetur ad Christianismum, uehementer improbo. Siquidem magna pars hominum, dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefasq; congerit opes, seruit iræ, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambitioni: sic tandem uenitur ad mortem. Hìc rursus ceremoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atq; iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ, expromitur, aut illhic etiam emitur morienti diploma Pontificis, ordinantur parentalia magnificè celebranda, fit rursus stipulatio solennis, adest qui clamet ad aurem morientis, imò nonnunquam occìdit ante tempus, si contingat, ut sæpe fit, uocalior, aut bene potus. Hæc ut rectè adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit ecclesiastica consuetudo: ita sunt alia quædam recondiciora, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus,

ut cum Christiana fiducia migremus hinc. EVS. Piè tu quidem ista uereq; concionaris, sed interim nullus admouet manum cibis. Caueat quisq; ne se fallat. Ego prædixi: nihil expectandum præter secundas mensas, easq; rusticanas, ne quis sibi promittat Phasides aues, aut attagenas, aut Attica bellaria. Hæc amoueto puer, & quod restat apponito. Videtis nõ copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est prouẽtus hortulorum quos uidistis. Ne parcite, si quid arridet. TI. Tanta uarietas est, ut uel ipso recreemur aspectu. EV. Atqui ne planè contemnatis frugalitatem meam, hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Euangelicum, comitatum uel centum monachis illius seculi. Paulo uerò atque Antonio uel menstruus commeatus esse potuisset. TI. Imò nec Petrus ille princeps Apostolorum fastidisset, opinor, quum apud Simonem coriarium diuersaretur. EVS. Imò nec Paulus, opinor, cùm coactus egestate sutoriam nocturnis horis exerceret. TI. Debemus benignitati diuinæ. Sed ego malim esurire cum Petro ac Paulo, modò quod deesset corporis alimoniæ, abundaret in delicias animi. EV. Imò discamus à Paulo, & abundare, & penuriam pati. Quum deerit, gratias agamus IESV Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis, & patientiæ materiam. Quum supererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos sua liberalitate inuitet ac prouocet ad amorem sui: ac modicè parceq; fruentes ijs, quæ largiter præbuit diuina benignitas, pauperum memores simus, quibus Deus deesse uoluit, quod nobis superest, ut utrisque per alteros sit occasio uirtutis. Siquidem nobis largitur, unde subuenientes egestati fraternæ, misericordiam

diam ipsius promereamur: & illi nostra liberalitate recreati, gratias agunt Deo pro bona mente nostra, nosq; precibus suis illi commendant. Et rectè uenit in mentem. Heus puer, dic uxori, ut ex abſis quæ ſuperant, mittat Gudulæ noſtræ. Eſt uicina quædam grauida, tenui fortuna, ſed animo beatiſſima. Maritus nuper deceſſit, homo profuſus, & ignauus, qui nihil uxori reliquit, præter liberorum gregem. TI. Chriſtus iuſſit dari omni petenti: id ſi facerem, intra menſem ipſi mihi mendicandum eſſet. EV. Opinor Chriſtum ſentire de his, qui petunt neceſſaria. Nam qui petunt, imò qui flagitant, uel extorquent potius magnas ſummas, quibus extruant cœnationes Luculianas, aut, quod peius eſt, quibus alant luxum ac libidinem ſuam, iis negare quod petunt, eleemoſyna eſt: imò rapina eſt, largiri malè uſuris, quod debebatur præſenti neceſſitati proximorum. Vnde mihi uidentur uix excuſari poſſe à peccato capitali, qui ſumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monaſteria ſeu templa, quum interim tot uiua Chriſti templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumq; neceſſariarum inopia diſcrucientur. Quum eſſem apud Britannos, uidi tumbam diui Thomæ gemmis innumeris ſummiq; pretij onuſtam, præter alia miracula diuitiarum. Ego malim iſta, quæ ſuperflua ſunt, elargiri in uſus pauperũ, quàm ſeruare ſatrapis aliquando ſemel omnia direpturis, ac tumbam ornare frondibus ac floſculis, id opinor gratius eſſet illi ſanctiſſimo uiro. Quum eſſem apud Inſubres, uidi monaſterium quoddam ordinis Cartuſiani non ita procul à Papia. In eo templum eſt, intus ac foris, ab imo uſque ad ſummum candido

Cœnatio locus eſt ubi cœnaſ. Luculli Romani magnificẽtia multorũ literis celebrata eſt.

marmore constructum, & ferè quicquid inest rerum, marmoreum est, uelut altaria, columnæ, tumbæ. Quorsum autem attinebat tantum pecuniarũ effundere, ut pauci monachi solitarij canerent in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est, non usui, quòd frequenter instentur ab hospitibus, qui non ob aliud eò se cõferunt, nisi ut spectent templum illud marmoreum? Atque illhic cognoui, quod stultius est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterij. Et sunt, qui putent esse nephas, eam pecuniam in pios usus auertere præter mentem testatoris: malunt'que demoliri quod instaurent, quàm non ædificare. Hæc, quoniam insignia sunt, uisum est commemorare, quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi uidetur ambitio, non eleemosyna. Diuites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec diuis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficij titulo. Atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim, opinor, postulaturi, ut ipsorum cadauera in ipsis reponantur altaribus. Dicet aliquis, An horum munificentiam existimas reijciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negotiatores, ut si uellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui uerè pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quæ sic frustulatim, & clanculum in præsentem egestatem tenuium subleuandam dissipatur, cuius nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius

lus collocari ea, quam ipse Christus sibi uult imputari certissimus debitor. TI. An non putas rectè collocari, quod datur monasterijs? EVS. Et his darem nonnihil, si diues essem, sed darem ad necessitatem, nõ ad luxum, tum his inter quos sentirem uigere studium ueræ religionis. TI. Multi iudicant non admodum bellè collocari, quod datur istis mendicis publicis. EVS. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum uideatur, si singulæ ciuitates suos alerent, nec ferrentur errones huc & illhuc circuncursitantes, præsertim ualidi, quibus opus suppeditandum sentio potius, quàm pecuniam. TI. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum, & quatenus? EVS. Hoc mihi ad unguem describere difficilimum sit. Primùm animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum, impertio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorũ & paupertas, & integritas mihi nota est: hortor et alios ad beneficentiam, si me defecerint facultates. TI. Sed permittis ne nobis hic in tuo regno liberè loqui? EV. Imò liberius, quàm si domi uestræ sitis. TI. Non probas in templis sumptus immodicos, & has ædes multò minoris ædificare poteras. EV. Equidem arbitror has intra mundiciem consistere, aut si mauis elegantiam, certè absunt à luxu, ni fallor. Aedificant magnificentius, qui mendicato uiuunt. Et tamen hi ipsi horti mei quales quales sunt, uectigal pendunt egenis: & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosq; frugalior, quò possim esse in pauperes munificentior. TI. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius

haberent, quos nunc egestas grauat indignos: & ex aduerso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. EVS. *Fortasse sic res habet, sed ultis'ne, ut hæc insipida bellaria re quapiam suaui condiamus?* TI. *Plus satis est deliciarum.* EVS. *At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis.* TI. *Quid est?* EVS. *Codex est Euangeliorum, ut quod lautissimum habeo, uobis depromam in fine conuiuij. Recita puer ab eo loco, ubi proximè destitisti.* PV. *Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Non'ne anima plus est, quàm esca, & corpus plus, quàm uestimentum?* EV. *Redde codicem. In hoc loco mihi* IESVS *Christus uidetur bis idem dixisse. Etenim pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit, contemnet: & pro eo quod prius posuerat, diliget, mox uertit, sustinebit: cõmutatis personis existit eadem sententia.* TI. *Non satis assequor, quid uelis.* EVS. *Demonstremus igitur ratione mathematica, si uidetur. In priore parte pro uno pone A, pro altero B: rursus in posteriore, pro uno pone B, pro altero A, uerso ordine. Aut enim A odio habebit, & B diliget: aut B sustinebit, & A contemnet. Non'ne hîc palàm est, A bis odio haberi, & B bis diligi?* TI. *Perspicuum est.* EV. *Atqui hæc coniunctio, aut, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ cõtrariæ, aut certè diuersæ. Alioqui non'ne absurdè diceretur, Aut Petrus me uincet, & ego cedam: aut*

Locus Euangelij Matth. 6.

ego

egò cedam, & Petrus me uincet? TIMO. *Lepidum, ita me Deus amet, sophisma.* EV. *At tum demum mihi uidebitur lepidum, si hoc ex uobis didicero.* TH. *Animus somniat ac parturit mihi nescio quid: si iubetis, quicquid est, proferam in medium, uos eritis uel oniropoli, uel obstetrices.* EVS. *Quanquàm uulgò mali omnis habetur somniorum meminisse in conuiuio, & parum sit uerecundum coram tot uiris fœtum eniti, tamen nos istud somnium, siue maius partum animi tui libenter excipiemus.* TH. *Mihi uidetur in hoc sermone res commutari potius, quàm persona. Et hanc uocem unum, & unum non referri ad A, & B, sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrumcunq; delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: aut excludes A, & admittes B: aut A admittes, & excludes B. Hîc uidetis manente persona, rem esse translatam. Atque hoc ita dictum est de A, ut nihil referat, si idem enunties de B, hoc pacto: aut B excludes, & admittes A: aut admittes B, & excludes A.* EV. *Sanè argutè tu quidem problema nobis explicuisti, neque quisquam mathematicus melius depinxisset in puluere.* SO. *Illud me magis mouet, quòd prohibet esse solicitos de crastino, quum Paulus ipse laborarit manibus uictus parandi causa, atque idem acriter increpet otiosos, & ex alieno uiuere gaudentes, admonens ut laborent, ac manibus operentur quod bonum est, ut sit unde tribuant aliquid necessitatem patienti. An non pij sanctiq; labores sunt, quibus maritus tenuis alit uxorem sibi charissimam, dulcesq; liberos?* TIM. *Ista quæstio, mea sententia, uarijs modis dissolui potest. Primùm, ut ad illa tem-*

Oniropoli, dicuntur cõiectores, seu somniorũ interpretes.

pora potißimum pertineat: Apoſtolis ob Euangelij prædicationem latè uagantibus, eximenda erat ſolicitudo uictus undecunq; ſuppeditandi, quibus non uacabat opera manuaria cibum quærere, præſertim cùm nullam artem ſcirent, præter piſcationem. Nunc alia ratio temporum eſt, & otium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera diſſoluendi ratio eſt: CHRISTVS non interdixit induſtriam, ſed ſolicitudinem. Et ſolicitudinem intellexit iuxta uulgarem hominum affectum, qui nulla de re magis anxij ſunt, quàm de parando uictu, ut omnibus rebus omiſſis, hoc ſolum agant, huic uni curæ ſint addicti. Id propemodum indicat ipſe Dominus, cùm negat eundem duobus dominis ſeruire poſſe. Seruit enim qui toto pectore addictus eſt. Præcipuam igitur curam uult eſſe Euangelij propagandi, non ſolam. Ait enim, Primùm quærite regnum Dei, & hæc adijcientur uobis. Non dicit ſolùm quærite: ſed primùm quærite. Cæterum in uoce craſtini, puto Hyperbolen eſſe, quum ſignificet in longinquum, qui mos eſt auaris huius mundi, ut poſteris etiam anxiè parent, & quærant. EVS. Accipimus tuam interpretationem: ſed quid ſibi uult, quod ait: Ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ, quid edatis? Corpus ueſte tegitur, at non edit anima. TI. Animam, ut opinor, hic uitam appellat. Ea periclitatur, ſi cibum ſubduxeris: non item, ſi ueſtem detraxeris, quæ magis datur pudori, quàm neceſsitati. Et ſi quem affligit nuditas, non ſtatim occidit: at inedia certißima mors eſt. EVS. Non ſatis uideo, quo modo cohæreat cum hac ſententia, quod adiecit: Non'ne anima plus eſt, quàm eſca? & corpus plus eſt, quàm ueſtimentum? Nam ſi uita ma

Anima.

tmagni pretij est, tanto magis aduigilandum, ne pereat. TI. Hoc argumentum non adimit nobis solicitudinem, sed auget. BVSEB. At non hoc sentit CHRISTVS quod interpretaris, sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis, & de suo dedit id quod carius est, etiam adijciet id quod uilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam: qui dedit corpus, adijciet alicunde uestem. Illius igitur benignitate freti, non est quòd discruciemur solicitudine curaq; rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi ut utentes hoc mundo, tanquam non utamur, totam curam, ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atq; reiecto mammona, imò toto satana cum omnibus suis præstigijs, uni domino, toto & alacri pectore seruiamus, qui non destituet filios suos? Sed interim nullus attingit bellaria. His certè cum gaudio uesci licet, quæ non magna cura nobis domi proueniunt. TI. Abundè satis factum est corpusculo. EVS. Vellem equidem & animo. TI. Atque uberius etiam animo. EV. Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lauemus amici, ut si quid fortè commissum est in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum Deo. Perficiam, si uidetur, quod cœperam ex Chrysostomo. TI. Rogamus. EV. Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, Hymnus. gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio, & lætitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes unicuique secundum opera sua. PV. Amen. TIMO. Profectò pius, & elegans est hymnus. EVS. Hunc diuus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari.

TI. Quonam loco? EV. In Matthæum homilia 56. TIM. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio discere, cur ter optamus Christo gloriam, idq; triplici cognomine, domini, sancti, & regis? EVS. Quoniam illi debetur omnis gloria, sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus, quòd suo sacrosancto sanguine redemerit nos à tyrannide diaboli, sibiq; asseruerit, unde & dominum illum uocamus. Deinde, quòd non contentus gratis condonasse nobis omnia peccata, per spiritum suum cõtulit nobis & iustitiã suam, ut sectemur ea, quæ sunt sanctimoniæ. Atq; ob id sanctum eum uocamus, quòd sit sanctificator omnium. Postremò, quòd ab eodem speramus præmium regni cœlestis, ubi ille iam sedet ad dexteram Dei patris, & hinc nobis rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, quòd pro domino uel tyranno potius diabolo, dominum habemus IESVM Christum: pro immunditia, & sordibus peccatorum, innocentiam, ac sanctimoniam: pro gehenna, gaudia uitæ cœlestis. TI. Pia profectò sentẽtia.

Xenia, munuscula quæ dantur hospitibus aut amicis.

Apophoreta, quæ dantur in fine cõuiuiorũ, auferenda si cui uideatur.

EV. Quoniam nunc primùm uos hîc accepi cõuiuio, non dimittam uos absq; xenijs. sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus puer, profer apophoreta nostra. Siue sortiri placet, siue sibi quisq; malit deligere, minimũ refert, ciusdem ferè pretij sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes Heliogabili, ut huic obueniant equi centum, illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis Memphiticis. Hæc arbitror magis conuenire nobis, quàm opobalsamum, aut dentifricium, aut speculum, si uos noui satis. TI. Adeò bella sunt

omnia,

omnia,ut nobis difficilis sit electio.ipse magis pro tuo arbitratu distribuito, sic gratius etiam erit,quicquid obtigerit. E V. Hic libellus in membranis habet prouerbia Salomonis,sapientiam docet, & auro pictus est, quòd aurum habeat sapientiæ symbolum. Hoc dabitur cano nostro, ut iuxta doctrinam Euangelicam,Habenti sapientiam detur sapientia,& exuberet. T I. Certè curabitur,ut minus egeam. E V. Sophronio congruet horologium,huc ex extrema Dalmatia profectum, ut uel sic commendem munusculum meum. Noui enim quàm ille sit parcus temporis,quam nullam omnino portionem rei pretiosissimæ sinat abire sine fructu. S O. Imò pigrum admones diligentiæ. E V. Hic libellus habet in membranis Euangelium secundum Matthæum:gemma tegi merebatur, nisi nullum esset illi scriniũ aut theca charior, quàm pectus hominis. Illhic igitur recõdito Theophile, quò magis hoc sis quod diceris. T H. Efficiam ne prorsus malè collocasse uidearis tuum munus. E V. Hîc sunt epistolæ Pauli,quas tu libenter tecum circunfers Eulali,qui Paulum sẽper habere soleas in ore:nec haberes in ore, nisi esset in pectore: posthac cõmodius erit etiam in manibus oculisq;. E V L. Isthuc non est dare munus, sed dare consilium. Porrò bono consilio nullum est munus pretiosius. E V. Lucernula conuenict Chrysoglotto,anagnostæ insatiabili,&, ut M. Tullius inquit,librorũ helluoni maximo. C H. Bis habeo gratiam:Primùm pro munere nõ uulgariter eleganti: deinde quòd somniculosum admones uigilantiæ. E V. Theca calamaria debetur Theodidacto felicissimè συλλιγράφῳ: atq; hos ego calamos felicissimos esse iudico, quibus celebrabitur

Id est, qui multa scribit, qualis fuit Crylippus ac Didymus.

bitur gloria domini nostri IESV Christi, tali præsertim artifice. TH. Vtinam & pectus suppeditare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta. EV. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & à quodam Græcæ literaturæ peritissimo non insciter descriptos, in quibus tantum reperio sanctimoniæ, ut mihi prodigio simile uideatur, in pectus hominis ethnici tam Euangelicas potuisse uenire cogitationes. Hic dabitur Vranio iuueni, & φιλελλην. Supereſt horologium, id cedat nostro Nephalio, parcissimo temporis dispensatori. NE. Habemus gratiã, non solùm pro munusculis, uerùm etiam pro testimonijs. Nã isthuc non tam est distribuere xenia, quàm elogia. EVS. Imò ego uobis habeo gratiam duplici nomine, Primùm, quòd nostram exilitatem boni consulitis: Déinde, q eruditis iuxtà ac pijs sermonibus refeciſtis animum meum. Ego uos quomodo acceptos dimittã nescio, certè uos relinquam melior ac doctior. Scio uobis non esse cordi fistulas, aut moriones, ac multò minus aleã. Quare, si uidetur, fallemus horulã spectandis reliquis regiæ meæ miraculis. TI. Isthuc eramus abs te flagitaturi. EV. Apud bonæ fidei promissorem non est opus flagitatore. Hanc aulam æstiuam opinor uos iam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, & quoquò uersum deflectas oculos, occurrit uiror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris uolubilibus, si uideatur, licet excludere cœlum, si nebulis aut uentis sit incommodius: licet & densis ualuis foris admotis ac tenuibus intus excludere solem; si quid offendat æstus. Hîc quum prandeo, uidcor in horto prandere, non in domo. Nam & parietes uirentes suos habent

Id est, Amatori Græcitatis.

insperſos

inſpersos floſculos, ſunt & picturæ non inuenuſtæ. Hîc Chriſtus ſupremam compotationem agitat cum electis diſcipulis. Hîc natalitia celebrat Herodes funeſto conuiuio. Hîc Euangelicus ille diues epulatur ſplẽdidè, mox deſcenſurus ad inferos. Lazarus repellitur à foribus, mox excipiendus ſinu Abrahæ. T I. Hoc argumentum non ſatis agnoſcimus. E V S. Cleopatra eſt cum Antonio luxu decertans & iam unionem ebibit, alteri manum admouit detractura. Hic pugnant Lapithæ. Hîc Alexander Magnus haſta tranſuerberat Clitum. Hæc exempla nos admonẽt ſobrietatis in conuiuio, & à crapula luxuq; deterrẽt. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis inſtructam libris, ſed exquiſitis. T I. Locus hic planè diuinitatem quandam præ ſe fert, adeò nitent omnia. E V. Hîc uidetis præcipuam partem opum mearum. Nam in menſa nihil uidiſtis niſi uitreum ac ſtanneum, nec eſt in tota domo uas ullum argenteum, præter unum poculum inauratum, quod ob amorẽ eius, qui dono dedit, religioſè ſeruo. Hæc ſphæra penſilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus ſingulæ regiones fuſiore ſpatio depictæ ſunt. In reliquis parietibus uidetis inſignium autorum imagines. Nam omneis depingere fuerat infinitum. Chriſtus primum habet locum, porrecta manu ſedens in monte. Capiti imminet pater, dicens: Ipſum audite. Spiritus ſanctus expaſis alis multa luce complectitur illum. T I. Opus, ita me Deus bene amet, Apelle dignum. E V. Adiunctum eſt bibliothecæ muſæon quoddam anguſtum, ſed elegans, quod ſubmota tabula oſtendit ſoculũ, ſi quid offenderit frigus. In æſtate uidetur ſolidus paries. T I. Hîc mihi gẽmea uidentur

Cleopatræ uſitãta lege apud Plutarchum, & Pliniũ cap. 15. li. 3.

uidentur omnia. Est & mira odoris gratia. E v. Hoc mihi præcipuè studio est, ut niteat domus, & bene oleat. Vtraq; res minimo constat. Habet bibliotheca suum ambulacrũ pensile, spectans in hortum, & huic adhæret sacellum. T I. Locus numine dignus. E v. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent ijs, quæ uidistis ad hortum domesticum spectantia. In his superioribus utrôque prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi, præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quò domus sit tutior. Hîc ad læuam, quia plus est lucis, et paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota uita I E S V ex narratione quatuor Euangelistarum, usque ad missum spiritum sanctum, & primam prædicationem apostolorum ex Actis. Additæ sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator iuxta quod stagnum, aut in quo monteres gesta sit. Additi sunt tituli, paucis uerbis subnotãtes totũ argumentũ, uelut illud quod dicitur à I E S V: Volo, mundare. Ex aduerso respondent figuræ, & uaticinia ueteris testamenti, præsertim è prophetis, & psalmis, qui nihil aliud habent, quàm Christi uitam, & Apostolorum, aliter narratam. Hîc nonnunquã obambulo mecum fabulans, & animo contemplans illud ineffabile consiliũ Dei, quo per filium suum restituere uoluit genus humanum. Nonnunquã adest uxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus pijs delectetur. T I. In hac domo cui posset obrepere tædium? E v. Nulli, qui didicerit secum uiuere. In summa ora picturæ, uelut extra ordinem, additæ sunt capita Pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex aduerso capita Cæsarum ob memoriam historiæ. In utroque cornu

promi

prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare licet pomarium, & auiculas nostras. Hic in extremo angulo prati uidetis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nonnunquam æstiuis mensibus, & ubi curatur, si quem fortè è familiaribus corripuerit morbus ob contagium formidabilis. TI. Quidam negant huiusmodi mor- Cõtagio si mor
bos esse uitandos. EV. Cur ergo uitant foueam, aut uene- bi an uitandi.
num? An hoc minus timent, quia non uident? Nec basilisci uenenum uidetur, quod afflat oculis. Vbi res poscat, non dubitem pro necessarijs uenire in uitæ discrimen. Sine causa subire uitæ periculum, temeritas est: alios in uitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non iniucunda spectatu: ea mandabo uxori, ut ostendat. Manete hîc uel totum triduum, & hanc domum putate esse uestram. Pascite oculos, pascite animos. Nam me negotia quædam aliò uocant. Est equitandum in pagos aliquot uicinos. TIMO. Ob rem pecuniariam? EVS. Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratia. TIMOTH. Fortassis uenatio parata est alicubi. EV. Planè uenatio est: sed aliud uenor quàm apros, aut ceruos. TIMO. Quid igitur? EVS. Dicam. In uno pago decumbit amicus quidam non sine periculo uitæ. Nam corpori metuit medicus: ego magis metuo animæ illius. Siquidem mihi uidetur parum rectè compositus ad emigrandum, sicut dignum est Christiano: huic adero meis hortatibus, ut siue moriatur, siue reualescat, bono ipsius fiat. In altero diſsidium acre natum est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen peruicacis ingenij uiros. Quod si exasperatur, uereor ne plures secum trahat in cõsortium simultatis. Ad-

nitar totis uiribus, ut hos redigam in gratiam. Nam utriq; sum ueteri necessitudine iunctus. Hæc sunt quæ uenor. Quòd si uenatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus ἐπινίκια. TI. Pia uenatio. Precamur, ut tibi pro Delia CHRISTVS aspiret. EV. Hanc prædam ego malim, quàm obuenire mihi hæreditate bis mille ducatos, TI. Mox rediturus? EV. Non nisi tētatis omnibus. Quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac uestris fruamini, & ualete. TI. Dominus IESVS te feliciter deducat, ac reducat.

Epinicia sunt celebritates & parta uictoria.

Conuiuij religiosi finis.

POMPILIVS, BRASSICANVS,
De incomparabili heroê Ioanne Reuchlino in diuorum numerum relato.

POMPILIVS.

VNDE nobis petasatus? BR. E' Thubinga. POM. Nihil'ne isthic rei nouæ? BR. Equidem demiror usqueadeò mortales omneis teneri siti quadam rerum nouarum. At ego Louanij Camelum quēdam audiui concionantem, fugiendum quicquid esset nouum. PO. Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquàm mutet ueteres calceos, aut putre subligar, semper uescatur putribus ouis, nec aliud bibat quàm uappam. BRAS. At idem, ne sis inscius, non usqueadeò delectatur rebus ueteribus, ut malit ius pridianum, quàm recens. POMP. Sed omisso Camelo, dic si quid adfers noui. BRAS. Adfero quidem, sed ut ille aiebat

bat, malum. P O. Atqui isthuc ipsum olim erit uetus. Ita fieri necesse est, ut si omnia uetera sint bona, omnia noua mala, quæcunque nunc bona sunt, fuerint olim mala: & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona. B R. Ita uidetur iuxta decretum Cameli. Imò consequitur, ut qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens: idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit. P O. Sed agè prome quicquid est. B R. Egregius ille trilinguis eruditionis phœnix Ioannes Reuchlinus uita defunctus est. P O. Rem certam narras? B R. Certiorem quàm uellem. P O. Sed quid isthuc mali, relicta posteris honestißimi nominis immortali memoria, ab huius uitæ malis demigrare in consortium beatorum? B R. Quis isthuc tibi indicauit? P O. Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic uixit. B R. At magis etiam isthuc diceres, si scias, quod ego. P O M. Quidnam obsecro? B R. Non est fas referre. P O. Quam ob rem? B R. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium. P O. Eadem lege committe & mihi. Recipio tibi silentium optima fide. B R. Quanquam ista fides me iam sæpenumero fefellit, tamen agè committam, præsertim quum res sit eius generis, ut expediat etiam esse notam bonis omnibus. Est Thubingæ quidam instituti Franciscani, uir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præterquàm ipsi. P O. Magnum dicis argumentum ueræ sanctimoniæ. B R. Agnosceres hominem, & fatereris uerum, si nomen ederem. P O. Quid si diuinem? B R. Licet. P O. Admone aurem. B R. Quid opus, quum simus soli? P O. Itanos est. B R. Is ipse est. P O. Est homo certißimæ fidei. Mihi Sibyllæ folium erit quicquid ille dixerit. B R. Audi igitur

Sibylla Cumana scribebat oracula in folijs, Iuuena. Credite me uobis foliõ recitare Sibyllæ. i. rem certissimam. Quoõ genus & illud: E tripode dictum puta.

igitur totum dialogum bona fide. Aegrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculosè, sed ita, ut bona spes esset fore ut reualesceret, uir dignus qui nunquàm seneſceret, ægrotaret, aut moreretur. Manè uisebam meum Franciſcanum, ut animi mei moleſtiam oratione ſua leniret. Nam ægrotabam unà cum ægrotante amico, quem amabam ut patrem. P O. Phy, quis illum uſquam non amauit, niſi uir peßimus? B R. Hic Franciſcanus meus, Braßicane, inquit, moue penitus ex animo mœrorem omnẽ. Reuchlinus noſter deſijt ægrotare. Quid, inquam, an ſubitò reualuit? Nam ante biduum non admodum læta promittebant medici. Tum ille, Reualuit, inquit, ſed ita, ut poſthac non ſit illi formidanda ualetudo aduerſa. Noli flere (nam uidebat erumpentes lacrymas) priùs, quàm audias rem omnem. Sex dies ſunt quòd hominem non inuiſeram, ſed tamen quotidianis precibus illius ſalutem domino commendabam. Hodierna nocte quum me à matutinis hymnis in ſtrato compoſuiſſem, blandus quidam, minimeq; grauis ſomnus obrepſit. P O. Neſcio quid læti mihi præſagit animus. B R. Non eſt tibi læua mens. Viſus ſum mihi, inquit, conſiſtere ad ponticulum quendam, per quem tranſitus erat in pratum quoddam longè amœniſſimum. Adeò blãdiebatur oculis graminum & frondium plus quàm ſmaragdinus uiror, ſic arridebant incredibili colorũ uarietate floſculorũ ſtellulæ, ſic ſpirabãt omnia, ut quod erat pratorũ citra riuũ, quo dirimebatur feliciſſimus ille campus, nec uiuere, nec uirere uideretur, ſed mortua, inamœna, putidaq; omnia. Atque interim dum totus ſum in eo ſpectaculo, commodùm præterierat Reuchlinus,

præte

præteriens Hebraicè precatus est pacem. Iam medium pontis transierat prius, quàm sentirem: parantem accurrere, respiciens uctuit. Nondum fas, inquit. Quinto ab hinc anno nos sequêris. Interim corum quæ aguntur, testis ac spectator assistito. Hìc ego, Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an uestitus: solus, an comitatus? Vestium, inquit, nihil habebat, præter unam candidissimam, Damascenam esse dixisses, candore mirè lucido: ponè sequebatur puer incredibili specie, alatus, suspicabar illius esse genium bonum. P O. *Sed ullus ne comitabatur genius malus?* B R. *Imo aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, à tergo sequebantur aues aliquot pennis cætera nigris, nisi quòd explicatu alarum giluas uerius, quàm candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, uideri poterant colore & uoce, nisi quòd singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores uulturibus, cristam gestantes uertice, rostris & unguibus aduncis, uentre prominente. Harpyiæ uideri poterant, si tres modò fuissent.* P O. *Quid moliebantur istæ furiæ?* B R A S. *Procul, inquit, obstrepebant heroi Reuchlino, & impetituræ uidebantur, si licuisset.* P O M. *Quî minus licuit?* B R A S. *Quia uersus Reuchlinus obiecta manu crucis imaginem exprimens, Abite, inquit, quo dignum est, malæ pestes. Satis sit uobis negotium facessere mortalibus: in me iam immortalibus adscriptũ, nihil habet iuris uestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox abierant fœdissimæ uolucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum oletum uideri posset sansucinum, aut foliatũ. Deierabat se citius uel ad inferos*

Oletum est fletcus humanum. Sansucinum unguentum idem cũ amaracino. Foliatũ unguẽti genus de quo Iuuen. Mœchis foliata parãtur.

descensurum, quàm sustineret iterum afflari tali thymiamate. PO. Malè sit illis pestibus. BRA. Sed audi cætera quæ narrauit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, iã ponti uicinus erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce uerbis compellabat: Salue collega sanctißime. Datum est hoc mihi negotium, ut te exceptũ deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctißimis laboribus destinauit diuina benignitas. Simulq; uestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego: Dic, inquam mihi, quo cultu, quáue specie uidebatur Hieronymus? Erat´nc tam senilis, quàm illũ pingunt: aut cucullã habebat aut galerũ, aut pallium cardinalitiũ, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, eiusmodi. Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, ut nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illhic opus erat comite leone, quem illi pictores adiunxerũt? Vestem gerebat ad talos usque demissam, crystallum diceres pellucidum. Eiusdem erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undique picta erat linguis triplici colorum uarietate. Quædam pyropon præ se ferebant, nonnullæ smaragdum, tertiæ sapphirum. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. PO. Conijcio id fuisse insigne trium linguarum, quas calluerunt. BR. Non est dubium. Nam & fimbriæ, ut aiebat, trium linguarum literis triplici colore distinctis uisebantur inscriptæ. PO. Num incomitatus aderat Hieronymus? BR. Incomitatus, inquis? Totus ille cãpus obsidebatur myriadibus geniorum, nec aliter oppleuerant aërem totum, quàm uidemus in solis radijs uolitare minuta corpuscula, quæ uocant

cant ἄπρωα, si tamen à re tam humili huc ducenda est comparatio. Neq; cœlum uidere licuisset, neq; campum, nisi pellucerent omnia. PO. Euge Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est? BR. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius uertice uterq; alterum blando osculo cõplexus est. Atq; interea uasto hiatu cœlum supernè diduxit sese, maiestatem quandam inenarrabilem exhibens, sic ut ad eam speciem cætera penè sorderent, quæ tamen antea uidebantur esse mirifica. PO. Non possis aliquam imaginem nobis depingere? BR A. Qui possim ego, qui non uidi? Is qui uidit, negaut se ullis uocibus uel somnium rei posse depingere: tantùm hoc aiebat, se uel millies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo quamlibet exiguo momento frui. PO. Quid tandem? BR. Ex hiatu cœli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amœno: per eam in cõplexu duæ sanctissimæ animæ subuectæ sunt in cœlum, choris angelicis tanta melodia delenientibus omnia, ut Franciscanus neget se unquam eius uoluptatis meminisse posse, quin erumpant lacrymæ. Sequuta est mira fragrantia. Vbi somnus reliquit hominem, si tamen ille somnus dicendus est, erat dementi similis, non credebat sese esse in cellula sua, requirebat pontẽ ac pratum suum, nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores eius collegij, ubi senserunt rem non esse fabulosam (nam compertum est eadem hora terris excessisse Reuchlinũ, qua uisio uiro illi sanctissimo apparuit) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui beneficia piorum præmijs amplissimis

plißimis remuneratur. PO. Quid igitur supereſt, niſi ut ſanctißimi uiri nomẽ aſcribamus calendario ſanctorum? BRAS. Id ego facturus eram, etiam ſi nihil tale uidiſſet Franciſcanus: & quidem aureis literis proxime diuum Hieronymum. PO. Emoriar niſi idem facturus ſum in co-
Lararĩũ, locus ubi reponebantur dij penates, hoc eſt, domeſtici. Et apud ueteres ſelecti dij dicebani præcipui, ij fuerant numero pauci.
dice meo. BR. Quin & in meo larario ſtabit aureus inter diuos ſelectos. PO. Stabit & in meo uel gemmeus, ſi ſuppetat animo facultas. B R. Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus. PO. Addetur & meæ. B R. Imò ſi grati uolent eſſe, idem facient omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas, præſertim ſacras. PO. Dignus eſt uidelicet. Sed nihil te mouet ille ſcrupulus, quòd nondum relatus eſt in numerum diuorum autoritate Romani pontificis? B R A. Quis canonizauit (ſic enim uocant) diuum Hieronymum? quis Paulum? quis Virginem matrem? Vtrorum memoria ſanctior apud pios omnes, horum quos inſignis pietas, quos ingenij uitæq; monumenta commendant affectibus omnium: an Catarinæ Senenſis, quam in diuarum numerum retuliſſe fertur Pius, eius nominis ſecundus, in gratiam ordinis & urbis? PO. Vera prædicas. Ille demum uerus cultus eſt, qui ſponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuò ſentiuntur. B R. Quid igitur, putas tu huius uiri mortem deplorandam? Diu uixit, ſi quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura uirtutis ſuæ monumenta. Benefactis conſecrauit nomen ſuum immortalitati. Nunc exemptus malis cœlo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur. PO. At multa paſſus eſt in uita. B R A S. Sed plura paſſus eſt diuus

Hier

Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati à malis. P O M. *Fateor certè, ob optima à peßimis multa perpeßus est Hieronymus.* B R A S. *Quod olim fecit Satanas per scribas & phariſæos in dominum* Ieſum, *hoc & nunc facit per phariſaicos quoſdam in optimos quoſque uiros, ac de genere mortalium ſuis uigilijs bene merentes. Nunc ille metit optimam meſſem pro ſemente, quem fecit. Interim noſtræ partes erunt, illius memoriam habere ſacroſanctam, illius nomen ferre laudibus, ac ſubinde illum ſalutare uerbis huiuſmodi: O ſancta anima, ſis felix linguis, ſis felix linguarum cultoribus, faucto linguis ſanctis, perdito malas linguas, infectas ueneno gehennæ.* P O. *Ita faciam, ac ſedulò prædicabo cæteris, ut idē faciāt. At non dubito multos futuros, qui precatiunculam aliquam deſiderent, quandoquidem hoc receptum, qua ſanctißimi herois memoriam celebrent.* B R. *Hoc dicis, quod iſti Collectam appellant?* P O. *Scilicet.* B R. *Hanc paraueram & ante mortem.* P O. *Recita quæſo.* B R A. *Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam apoſtolos tuos ad Euangelij prædicationem per ſpiritum tuum ſanctum cœlitus inſtruxeras, per electum ſamulum tuum* IOANNEM *Reuchlinum mundo renouaſti, da ut omnibus linguis omnes ubique prædicent gloriam filij tui* Ieſu, *ut confundas linguas pſeudapoſtolorum, qui coniurati ſubſtruunt impiam turrim* Babel, *tuam gloriam obſcurare conantes, dum ſuam ſtudent attollere: quum uni tibi debeatur omnis gloria cum* Ieſu *filio tuo domino noſtro, & ſpiritu ſancto in æterna ſecula, Amen.* P O. *Elegans profectò & pia precatio: diſpereā niſi mihi*

quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætã ex te didicerim. B R. Isto gaudio diu fruere, ac uale. P O. Vale tu quoq;. B R. Valebo, sed non coquus.

Valebo, sed nõ coquus. Quum cãdidatus quidam, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiã suffragiũ peteret, Cicero Cauillãs: Ego quoq; inquit, tibi faue bo. Locus autẽ est in dictione ambigua, quoq;, & coce, qđ ad, pnuntiationẽ attinet. Vnde liquet olim aliũ fuisse sonũ harũ literarũ q & c, quàm nunc est. Qui si fuisset diuersus, nõ erat ioc⁹ ex uoce plura significãte. Nunc litera c, aliud sonat præcedẽsa, o, u, q; e, i, y, quod idẽ fit in Græcis, quũ eius ua rietatis nulli ue tusti grãmatici meminerit, qđ equidem sciã. Et Fabi⁹ in primo libro putat q, & k, redũdare: nõ redunda rẽt autẽ, si quid aliud sonarent quàm c, nisi qđ

PROCI, ET PVELLAE.

PAMPHILVS. Salue crudelis, salue ferrea, salue adamãtina. M A. Salue tandem & tu Pamphile, quoties & quantum uoles, & quocunque libet nomine. Sed interim mihi uideris oblitus nominis mei, Maria uocor. P A M. At Martiam dici oportuit. M A. Quid ita quæso? Quid mihi cum Marte? P A. Quia quemadmodum illi Deo pro ludo est, homines interficere, ita & tibi, nisi quòd tu Marte crudelior occidis etiam amantem. M A. Bona uerba. Vbinam strages ista mortalium, quos ego occidi? Vbi sanguis interfectorum? P A. Vnum cadauer uides exanime, si modò me uides. M A. Quid ego audio? Mortuus loqueris, & obambulas? Vtinam mihi nunquàm occurrant umbræ formidabiliores. P A. Ludis tu quidem, tamen interim miserum exanimas, & crudelius occidis, quàm si confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarnificor miser. M A. Eho dic, quot grauidæ ad tuum occursum abortierunt? P A M P H. Atqui pallor arguit exanguem magis, quàm ulla sit umbra. M A. Atqui iste pallor tinctus est uiola. Sic palles, ut cerasiũ matureſcens, aut uua purpuraſcens. P A. Satis procaciter rides miserũ. M A. Atqui si mihi non credis, admoue speculum. P A. Non optarim aliud speculum, nec arbitror esse clarius ullum, quàm quo nunc me contemplor. M A. Quod speculũ mihi narras? P A M P H. Oculos tuos. M A R. Argutator, ut semper tui similis es. Sed unde doces esse exanimem te?

An

An cibum capiunt umbræ? PAMPH. *Capiunt, sed insipidum, qualem ego.* MAR. *Quibus igitur uescuntur?* PAMP. *Maluis, porris, & lupinis.* MA. *Atqui tu non abstines à capis & perdicibus.* PA. *Verum, sed interim nihilo plus sapiunt palato meo, quàm si maluis uescerer, aut betis absque pipere, uino & aceto.* MAR. *O te miserum, & tamen interim obesulus es. An & loquuntur exanimes?* PAMP. *Sic ut ego, uoce perquàm exili.* MA. *Atqui nuper cum audirem te conuiciantem riuali tuo, uox non erat admodum exilis. Sed obsecro te, num etiam ambulant umbræ? num uestiuntur? num dormiunt?* PA. *Etiam coëunt, sed suo more.* MA. *Næ tu suauis nugator es.* PA. *Sed quid dices, si argumentis Achilleis euincam, & me esse mortuum, & te esse homicidam?* MA. *Absit omen Pamphile, sed aggredere sophisma.* PA. *Primùm illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud esse, quàm abductionem animæ à corpore.* MA. *Largior.* PA. *Sed ita, ut ne reposcas, quod dederis.* MA. *Non fiet.* PAM. *Tum haud inficiaberis, eum qui alteri adimit animam, homicidam esse.* MA. *Accedo.* PA. *Concedes & illud, quod à grauissimis autoribus dictum, tot seculorum suffragijs comprobatum est, animam hominis non illhic esse ubi animat, sed ubi amat.* MA. *Isthuc explana crassius, nõ enim satis assequor quid uelis.* PA. *Et hòc sum infelicior, quòd isthuc non æquè sentis atq; ego.* MA. *Fac ut sentiã.* PA. *Eadem opera fac ut sentiat adamas.* MA. *Equidem puella sum, non lapis.* PA. *Verum, sed adamante durior.* MA. *Sed perge colligere.* PA. *Qui corripiuntur afflatu diuino, nec audiunt, nec uident, nec olfaciunt, nec sentiunt*

c, apponit aspirario, quã reiiciũt q, & k. Cæterũ u, adiunctũ q, euaneſcit, alioqui cotidie & quotidie nõ ſolum differrẽt ſcriptura, uerũetiam ſono, qđ ſecus eſſe licet ex Fabij uerbis colligere, capi. de orthographia. Porrò locus Ciceronis ad quẽ hîc alluditur, refertur apud Quintilianũ lib. 6. ca. de riſu.

tiunt, etiam si occidas. M A. *Audiui sané.* P A. *Quid coniectas esse in causa?* M A. *Dic tu philosophe.* P A. *Nimirùm quoniam animus est in cœlis, ubi habet quod uehementer amat, & abest à corpore.* M A. *Quid tum postea?* P A. *Quid tum dura? Illud consequitur, & me esse mortuum, & te esse homicidam.* M A. *Vbi est igitur anima tua?* P A. *Illhic ubi amat.* M A R. *Quis autem ademit tibi animam? Quid suspiras? Dic liberè, dices impune.* P A. *Crudelissima quædam puella, quam ego tamen ne mortuus quidem odisse possum.* M A R. *Humanum ingenium. Sed cur illi uicissim non adimis suam animam, par pari, quod aiunt, referens?* P A M. *Nihil me felicius, si quidem liceat facere permutationem, sic ut illius animus uicissim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigrauit in corpus illius.* M A R. *At licet'ne mihi tecum uicissim sophistam agere?* P A M. *Sophistriam.* M A. *Num fieri potest, ut idem corpus sit animatum & exanime?* P A M. *Non eodem quidem tempore.* M A R. *Quum abest anima, tum mortuum est corpus?* P A M. *Est.* M A R. *Nec animat, nisi quum adest?* P A. *Esto sané.* MAR. *Quî fit igitur, ut cùm ibi sit, ubi amat, animet tamen corpus unde demigrauit? Quòd si animat, etiam cùm amat alibi, quomodo uocatur exanime corpus, quod animatum est?* P A. *Arguture tu quidem satis sophisticè, sed me talibus pedicis non capies. Anima quæ moderatur utcũq; corpus animantis, impropriè dicitur anima, cùm re uera sint tenues quædam animæ reliquiæ, non aliter quàm odor rosarum manet in manu, etiam rosa submota.* M A. *Difficile est, ut uideo, ulpem*

pem caperc laqueo. Sed illud responde. Non'ne agit, qui occidit? PAM. Maximé. MA. Et patitur qui occiditur? PA. Scilicet. MA. Quî fit igitur ut cùm qui amat, agat: quæ amatur patiatur: occidere dicatur, quæ amatur, cùm amans potius occîdat seipsum? PAM. Imò contrà, qui amat patitur, quæ amatur agit. MA. Isthuc nũquàm cuin ces apud Areopagites grammaticos. PAM. At cuincam apud Amphictyones dialecticos. MAR. Verùm ne graueris & illud respondere, Volens amas, an nolens? PA. Volens. MA. Cum igitur liberum sit non amare, uidetur homicida sui quisquis amat, præterq; ius accusat puellam. PA. Atqui puella non ideo occîdit quòd amatur, sed quòd non amat mutuum. Occidit autem quisquis seruare potest, nec seruat. MAR. Quid si iuuenis amet inconcessa, hoc est, uxorem alienã, aut uirginẽ Vestalem? num illa amabit mutuum, ut seruet amãtem? PA. Sed hic iuuenis amat quod amare fas pium'que est, atque etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leue est homicidij crimen, & ueneficij ream peragam. MA. Isthuc prohibeãt superi. An Circen quampiã ex me facies? PA. Aliquid & ista crudelius. Nam porcus aut ursus esse malim, quàm id quod nũc sum exanimis. MA. Quo tandẽ ueneficij genere perdo homines? PA. Fascino. MA. An igitur uis, ut posthac abs te deflectam noxios oculos? PA. Bona uerba. Imò magis afflecte. MA. Si mihi sunt oculi fascinatores, quî fit, ut nõ contabescãt & cæteri, quos obtueor? Itaq; suspicor, fascinũ istud esse in tuis oculis, non in meis. PA. Non sat tibi erat iugulare Pamphilum, ni insultes insuper? MA. O lepidum mortuum. Sed quando

parabam

Athenis Areopagitæ iudicabant de capitalibus, unde ridicule deflectit uocem apud Grãmaticos. Amphictyon concilium erat, quòd apud Thermopylas cogi solebat, ad quod duodecim populi conueniebãt sub Amphictyone Deucalionis filio, Ionnes, Dores, Pelasgi, Bœotij, Magnetes, Achei, φθῖω, Molienses, Dolopes, Aenianes, Delphi, Phocẽses. Sic & Dialecticorũ uariæ sunt sectæ.

parabuntur exequiæ? P A. *Opinione tua celerius, ni tu succurras.* MA. *Egón' rem tantam possum?* P A. *Potes uel mortuum ad uitam reuocare, idq; minimo negotio.* M A. *Si quis mihi porrigat panacen.* P A M. *Nihil opus herbis, tantùm redama. Quid autẽ facilius, imò quid æquius? Non aliter absoluêris ab homicidij crimine.* M A. *Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum?* P A. *Non, sed apud tribunal Veneris.* MA. *Aiunt Deam esse placabilem.* P A. *Imò nullius ira perinde formidabilis.* MA. *Habet fulmen?* P A. *Non.* M A. *Habet tridentem?* P A. *Nequaquam.* M A. *Habet hastam?* P A. *Minimè, sed est Dea maris.* M A. *Non nauigo.* P A. *Sed habet pucrum.* MA. *Non est formidabilis ætas.* P A. *Vindicem ac peruicacem.* MA. *Quid is mihi faciet?* P A. *Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nolim enim illi malum ominari, cui bene uolo.* M A. *Tamen effare, nulla mihi superstitio est.* P A. *Dicam ergo. Si hunc sprcueris amantem, nõ omnino mu tuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse iussu matris immittet pessimo ueneno intinctum iaculum, ut in sordidum aliquem depereas, qui te tamen non redamet.* M A R. *Supplicium narras abominandum. Ego sanè uel mori præoptarim, quàm perditè amare deformem, nec amore mutuo respondentem.* P A. *Atqui nuper huius mali fuit exemplum insigniter editum in puellam quandam.* MA. *Vbi locorum?* P A. *Aureliæ.* M A. *Quot anni sunt?* P A. *Quot anni? Vix sunt menses decem.* M A. *Puellæ quod erat nomen? Quid hæres?* P A. *Nihil, noui tanquam te.* MAR. *Quin igitur edis nomen?* P A. *Quia non placet omen. Vtinam alio quouis nomine dicta fuisset.*

Panace herba quę medetur omnibus morbis, unde & nomen habet.

Fulmen est telũ Iouis, tridens Neptuni, hasta Palladis.

Idem

Idem habebat nomen, quod tu. MAR. Pater quis erat? PA. Viuit adhuc, inter iureconsultos præcipui nominis, re splendida. MAR. Adde nomen. PAM. Mauricius. MAR. Cognomen. PA. Aglaius. MA. Viuit'ne mater? P A. Nuper reliquit superos. M A. Quo morbo perijt? P A. Quo morbo rogas? mœrore. Et pater tametsi uir cum primis fortis, periclitabatur. MAR. Licet'ne scire matris quoque nomen? PA. Maximé. Sophronam nemo non nouit. Sed quid sibi uult ista percontatio? An me putas apologum comminisci? MA. Egón' de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexum nostrum. Sed narra, quid acciderit puellæ. PAM. Puella erat honesto loco nata, ut dixi, re lauta, forma perquàm eleganti: quid multis? digna principe marito. Huius nuptias ambiebat procus quidam illi non dissimilis. MA. Quo nomine? PA. Hei mihi, offendor omine, Pāphilus & ille dictus est. Illa nihil non tentantĕ pertinacissimè spreuit. Iuuenis dolore cõtabuit. Nec ita multò pòst, illa deperire cœpit in quendam, simium ucrius quàm hominem. MA. Quid ais? PA. Adeò perditè, ut satis dici non queat. MA. Tam elegans puella tam deformem? P A. Vertice acuminato, raro capillitio, eoq; lacero & impexo, furfure ac lẽdibus oppleto, pleramq; cranij cutem nudauerat alopecia, oculis refugis, naribus simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dẽtibus putridis, balbutiẽte lingua, mento scabioso, scapulas deformabat gibbus, uẽter prominulus, crura uara. MAR. Therſiten quempiam mihi depingis. P A. Imò aiunt illi non fuisse nisi unam auriculam. M A R. Altera perierat illi fortasse in bello. P A. Imò in pace. MA. Quis hoc au-

sus

ſus eſt? PA. Dionyſius carnifex. MA. Fortaſſe formæ infelicitatem penſabat res ampla domi? PA. Imò decoxerat, ac plus quàm animã debebat. Cum hoc marito tam inſignis puella nunc degit ætatem, ac ſubinde uapulat. MA. Rem miſeram narras. PA. Sed ueram. Sic uiſum eſt Nemeſi iuuenis ſpreti contumeliam ulciſci. MA. Ego citius optarim extingui fulmine, quàm talem ferre maritum. PA. Ergo ne prouoca Nemeſim, & amantem redama. MA. Siquidem iſtud ſatis eſt, redamo. PA. Sed optarim iſtum amorem eſſe perpetuum ac proprium: coniugem ambio, non amicam. MA. Neque me id fugit, ſed diu deliberandum eſt in eo, quod ſemel cœptum reſcindi nõ poteſt. PA. Apud me quidem nimium diu deliberatum eſt. MAR. Vide autem ne tibi imponat amor, non optimus conſultor. Nam cæcum eſſe ferunt. PA. Sed oculatus eſt, qui ex iudicio naſcitur. Non ideo mihi talis uideris, quòd amem te, ſed ideo te amo, quòd talem te conſpexerim. MA. At uide ne non ſatis me perſpectam habeas. Si calceum induiſſes, tum demum ſentires, qua parte te urgeret. PA. Iacienda eſt alea, quanquàm ego multis augurijs colligo rem melius ceſſuram. MA. Etiam augur es? PA. Sum. MAR. Quibus igitur augurijs colligis? An uolauit noctua? PA. Illa uolat ſtultis. MA. An à dextris aduolauit iugum columbarum? PA. Nihil iſtiuſmodi. Sed mihi iam annis aliquot perſpecta eſt probitas tuorum parentum: ea primum auis eſt non peſſima, è bonis prognatum eſſe. Neque me clam eſt, quàm ſalubribus monitis, quàm ſanctis exẽplis apud hos ſis inſtituta. Et plus eſt bene inſtitui, quàm bene naſci. Habes alterũ augurium. Ad hæc

Nemeſis Dea uindex inſolentiæ.

Calceũ. Alludit ad dictũ Pauli Æmilij repudiata uxore.

Iacere aleam, facere periculũ.

meis

meis maioribus non omnino malis, ni fallor, iam olim cum tuis amicitia non uulgaris intercedit: quin & nos inter nos à teneris, quod aiunt, unguiculis noti sumus, nec malè conuenit genijs nostris. Iam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter utriusq; parentes penè paria sunt. Demũ, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi uidentur non peßimè quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quàm mei uicißim tuo congruãt, nescio. Hæ uidelicet aues, mea lux, mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum iucundumq; connubium, modò ne tuus animus mali ominis cantionem nobis occinat. M A. Quam cantilenam optas? P A. Ego præcinam, sum tuus: tu succine, sum tua. M A. Breuis quidẽ cantiuncula, sed longũ habet epiphonema. P A. Quid refert quàm longum, modò lætum? M A. Adeò mihi es inuisus, ut nolim te committere, cuius in posterum pœniteat. P A. Desine malè ominari. M A. Fortassis alia tibi uidebor, ubi morbus aut ætas hanc formã immutauerit. P A. Nec hoc corpus ô bona, semper erit æquè succulentum, sed ego non contemplor tantùm istud undique florens & elegans domicilium, hospitem magis amo. M A R. Quem hospitem? P A M. Animum istum tuum, cuius decor semper cum ætate creseet. M A. Næ tu plus quàm lynceus es, si istum perspicis per tot tectoria. P A. Animum animo perspicio. Ad hæc, in communibus liberis subinde repubescemus. M A. Sed interim perit uirginitas. P A. Verum. Sed eho, dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illhic nihil unquam gigni præter flores: an malles delapsis floribus, uidere arbores matu-

Mali ominis, uidelicet si recuset.

Epiphonema, quod in fine ac clamatur. Facile est dicere, uolo uolo: sed hîc duobus uerbis contrahitur indissolubile uinculum.

ris

ris pomis grauidas? MA. Vt argutatur. PA M. Saltem illud respondè, utrum est elegantius spectaculum, uitis humi iacens & computrescens: an amplexa palum aut ulmum, eamq; purpureis uuis degrauans? MA. Responde tu mihi uicissim, utrum spectaculum amœnius, rosa nitens & lactea in suo frutice, an decerpta digitis, ac paulatim marcescens? PA. Ego rosam existimo feliciorem, quæ marcescit in hominis manu, delectans interim & oculos & nares, quàm quæ senescit in frutice: nam & illhic futurum erat, ut marcesceret: quemadmodum felicius est uinum quod bibitur antè, quàm acescat. Quanquam non statim marcescit flos puellæ, si nupserit: Imò uideo multas, quæ ante nuptias pallebant, languebant, ac uelut extabescebant, ex congressu uiri sic enituisse, ut tum demum florere cœperint. MA. Attamen fauorabilis ac plausibilis apud omneis est uirginitas. PA. Elegans quidem res puella uirgo, sed quid iuxta naturã prodigiosius anu uirgine? Nisi matri tuæ defluxisset flos ille, nos istum flosculum non haberemus. Quòd si, ut spero, non sterile fuerit nostrum coniugium, pro una uirgine multas dabimus. MA. Attamen aiunt, rem Deo gratißimam esse castitatem. PA. Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, ut cum illa castè uiuam. Magis erit animorum quàm corporum coniugium. Gignemus Reipub. gignemus Christo. Quantulum aberit hoc matrimonium à uirginitate? Et fortasse olim sic conuiuemus, quemadmodum uixit cum Maria Ioseph. Sed interim discemus uirginitatem. Non enim statim peruenitur ad summum. MA. Quid ego audio? Violanda uirginitas, ut discatur? PA. Quid ni? Quemadmodum

dum paulatim bibendo uinum parcius, discimus esse abstemij. Vter tibi uidetur temperantior, qui in medijs delicijs accumbens abstinet, an qui semotus ab his, quæ prouocant intemperantiam? MA. Arbitror cum fortius temperantem, quem parata copia non potest corrumpere. PA. Vtri uerius debetur laus castitatis, ei ne qui semet execat, an qui membris integris, tamen abstinet à uenere? MA. Equidem posteriori, meo calculo tribuerim laudem castitatis, priori dementiam. PA. At qui uoto astricti abiurant matrimonium, non ne quodammodo execant sese? MA. Videtur. PA. Iam non est uirtus non coire. MA. An non est? PA. Sic accipe. Si per se uirtus esset, non coire, uitium esset coire. Nunc incidit ut uitium sit, non coire, coire uirtus. MA. Quando hoc incidit? PA. Quoties ab uxore ius suum petit maritus, præsertim si prolis amore quærit complexum. MA. Quid si lasciuiat, non est fas negari? PA. Fas est monere, uel rogare potius blandius, ut temperet, pernegare instanti fas non est. Quanquam hac quidem in parte raras audio querelas maritorum de suis uxoribus. MA. At dulcis est libertas. PA. Imò grauis est sarcina uirginitas. Ego tibi rex ero, tu mihi regina: imperabimus familiæ nostro arbitratu. An tibi uidetur ista esse seruitus? MA. Vulgus coniugium capistrum uocat. PA. Sed ipsi uero capistro digni sunt, qui sic uocant. Dic mihi quæso, an non animus tuus est alligatus corpori? MA. Videtur. PA. Non aliter quàm auicula caueæ. Et tamen consule illum, an cupiat esse liber. Negabit, opinor. Quam ob rem? Quia libenter est alligatus. MA. Res est utrinq; modica. PA. Tantò tutior. Eam tu domi augebis parsi-

Abstemij, qui non bibunt uinum, quasi dicat absq; uino.

monia,quæ non sine causa dicta est magnum uectigal,egò foris industria. MA. Innumeras curas secum adferunt liberi. PA. Sed ijdem innumeras uoluptates,ac sæpenumero multo cum fœnore reponunt parẽtibus officium. MA. Misera quædam res est orbitas. PA. An nunc orba nõ es? Quid autem opus in re dubia malè ominari? Dic mihi utrum malles nunquàm nasci, an nasci moritura? MAR. Equidem malim nasci moritura. PA. Sic miserior est orbitas,quæ prolem nec habuit, nec habitura est: quemadmodum faciliores sunt, qui uixerunt, quàm qui nec nati sunt,nec nascentur unquam. MA. Qui sunt isti, qui non sunt,nec erunt? PA. Quanquàm qui recusat ferre casus humanos,quibus omnes ex æquo sumus obnoxij,siue plebeij sumus,siue reges,is è uita migret oportet,& tamen quicquid acciderit,tu non feres nisi dimidium, ego maiorem portionem in me transferam. Ita si quid acciderit læti,gemina fiet uoluptas: si quid mali, societas adimet dimidium ægritudinis. Mihi uerò,si fata uocent,dulce fuerit,uel immori tuis complexibus. MA. Facilius ferunt homines,quod iuxta communes naturæ leges accidit,sed uideo, quantò plus molestiarum adferunt nonnullis parentibus liberorum mores,quàm mortes. PAM. Istius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis situm est. MA. Quî sic? PA. Quoniã fere boni nascuntur ex bonis,quod ad indolem attinet. Neq; enim è columbis nascuntur milui. Dabimus igitur operam,ut ipsi boni simus. Deinde curabimus liberos nostros ab ipso statim lacte sanctis præceptis,& opinionibus imbuendos. Plurimùm refert,quid infundas rudi testulæ. Ad hæc curabimus,ut domi habeant

Qui sunt isti. locatur in hoc, quod ridicule dixerat iuuenis quum qui non sunt, nec futuri sunt, plus felices dici nõ possint.

exem

exẽplum uitæ, quod imitentur. MA. Difficile est quod narras. PA. Nec mirum, quia pulchrũ est, atq; ob hoc ipsum tu quoq; difficilis es. At tantò studijs acrioribus huc enitemur. MA. Habebis sequaçẽ materiã, tu uide, ut me formes fingasq;. PA. Sed interim pronuntia tria uerba. MA. Nihil facilius, sed uerba simul atque semel cuolarint, non reuolant. Dabo consilium utriq; commodius. Ages cũ tuis ac meis parentibus, ut utrorũq; uoluntate res transigatur. PA. Ambire me iubes, tu potes tribus uerbis rem certam reddere. MA. An possim nescio, mei iuris non sum. Nec sine maiorũ autoritate olim coibant coniugia. Verùm utcunq; est, arbitror auspicatius fore nostrũ coniugiũ, si parentum autoritate coëat. Et uestrũ est ambire, nobis decorum non est. Gaudet enim rapi uirginitas, etiãsi nonnũquã uehementius amemus. PA. Non pigebit ambire, modò ne me frustretur tuum unius suffragiũ. MA. Non frustrabitur, bono animo esto mi Pamphile. PA. Tu mihi hic religiosior es, quàm uellem. MA. Imò tu tuum ipsius suffragium apud te prius expende. Nec affectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. Quod affectus decernit, temporarium est: quod autem dictat ratio, perpetuò solet placere. PA. Næ tu pulchrè philosopharis, itaq; parêre certũ est tuis consilijs. MA. Non pœnituerit obsequij. Sed heus tu, incidit interim scrupulus, qui meum animum malè habet. PA. Valeant scrupuli. MA. Vin' me nubere mortuo? PA. Nequaquam, sed reuixero. MA. Amouisti scrupum. Bene uale mi Pamphile. PA. Isthuc tu cura. MA. Precor tibi lætam noctẽ. Quid suspiras? PA. Lætam noctem ais? Vtinam largiare quod precaris. MA.

Tua messis in herba est, ait Ouidi⁹. A lege te ductum, quæ primùm herbe scit, deinde fert aristas, tandem flaueſcit ad messem.

Ne quid præpropere, adhuc tua meßis in herba eſt. P A. Nihil'ne tui mecum auferam? M A. Hunc paſtillum, qui tibi cor exhilaret. P A. Adde ſaltem oſculum. M A. Cupio tibi uirginitatem integram & illibatam tradere. P A. An oſculum aliquid decerpit uirginitati? M A. Vis igitur ut alijs quoque largiar oſcula? P A. Nequaquam, mihi ſeruari uolo mea oſcula. M A. Tibi ſeruo. Quanquam eſt aliud, quur in præſentia nec auſim dare oſculum. P A. Quid iſthuc? M A. Ais tuum animum penè totum demigraſſe in corpus meum, in tuo quàm minimùm ſupereſſe: uereor itaque ne in oſculo hoc ipſum quod in te ſupereſt, tranſiliat in me, tuq; iam totus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris ſymbolum, ac bene uale. Tu gnauiter rem gere. Ego interim Chriſtum comprecabor, ut quod agitur, utriq; noſtrum uelit eſſe felix ac fauſtum.

Nihil ne tui. Ambiguè dictum. Nam ſi ſit genitiuũ à tu, petit oſculũ, ſi à tuum, petit aliud. At illa ſecus interpretatur, quàm ille ſenſerat. Ouidius: Vlterius nil habet ille mei.

Paſtillus eſt ſphærula ex odoribus confecta, quam manibus circũferũt. Horatius, Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.

VIRGO MISOGAMOS.

EVBVLVS. CATARINA.

EVB. Gaudeo tandem finitam eſſe cœnam, ut liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius. C A. Et me iam tædebat ſeßionis. E V. Quàm uernat, quàm arridet undique mundus. Hæc nimirùm eſt illius adoleſcentia. C A. Sic eſt. E V B. At cur tuum uer non æquè arridet? C A. Quam ob rem? E V. Quia ſubtriſtis es. C A. An uideor alio uultu quàm ſoleo? E V. Vis oſtendam te tibi? C A T. Maximè. E V. Vides hanc roſam ſub immũnentem noctem foliis contractioribus? C A T. Video. Quid tum poſtea? E V B. Talis eſt uultus tuus. C A T. Bella collatio. E V B. Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare teipſam. Quid ſibi tandem uolebant & inter cœnandum iſti

ista tam crebra suspiria? CAT. Desine percontari, quod tua non refert scire. EV. Imò mea refert maximè, qui non possum esse hilaris, nisi te quoque uideam hilarem. Ecce autem iterum suspirium, hui quàm ex imo pectore ductum. CAT. Est quod angat animum, sed effari non est tutum. EV. Mihi non dices, qui te chariorem habeo sorore propria? Mea Catarina, ne uerere. quicquid est rei tutò depones his auribus. CA. Vt tutò dicam, uereor ne frustra dicam non auxiliaturo. EVB. Quî scis? Si non re ipsa, fortassis consilio, consolandoq; iuuero. CAT. Non possum eloqui. EV. Quid isthuc est rei: odisti me? CA. Sic odi, ut mihi minus charus sit meus germanus: & tamen animus non fert ut eloquar. EV. Fateberis igitur, si diuinaro? Quid tergiuersaris? Promitte, alioqui non omittam urgere. CAT. Agè promitto. EV. Prorsus ego non uideo quid tibi desit ad summam felicitatem. CAT. Vtinam uera prædicares. EV. Primùm adest ipse flos ætatis. Nam, nisi fallor, agis annum iam decimum septimum. CA. Sic est. EV. Nondum igitur, opinor, discruciat te metus senectæ. CA. Nihil minus. EV. Adest forma nulla parte non felix, est & istud præcipuum Dei donum. CA. De forma qualis qualis est, nec glorior, nec queror. EVB. Tum color & habitudo corporis indicat te esse prospera ualetudine, nisi quid est morbi occultioris. CA. Nihil istiusmodi, gratia Deo. EV. Fama est integra. CA. Ita confido. EV. Adest ingenium isto dignum corpore, felicissimum, & quale mihi optem ad liberales disciplinas. CAT. Si quod est, Dei munus est. EV. Nec deest morum amabilis gratia, quam in felicissimis etiam formis nõ rarò

Tutò depones. Deponit magistratũ, qui se abdicat magistratu: deponit pignus, qui certat: & deponit, qui rem suã seruandam tradit alienę fidei. Sic Horatius: Quicqd habes age depone tutis auribus.

desideramus. C A. *Optarim equidem mores me dignos.* E V. *Multorum animos deijcit generis infelicitas: tibi parentes sunt & bene nati, & probi, & re lauta, & tui amantissimi.* C A. *Hinc nihil queror.* E V B. *Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, non delegerim aliã sponsam, quàm te, si quod sydus mihi prosperum affulgeret.* C A. *Nec ego deligerem alium sponsum, si placeret ullum coniugium.* E V. *Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum.* C A. *Est omnino non leue.* E V. *Non ægrè feres si diuinem?* C A. *Iam pollicita sum.* E V. *Expertus noui, quanta crux sit amor. Agè fatere nunc, promisisti.* C A. *Amor est in causa, sed non eius generis, cuius tu suspicare.* E V. *Quod genus tu mihi narras?* C A. *Diuina.* E V. *Equidem consumpsi omnem diuinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero quid sit.* C A. *Vt uiolentus es.* E V. *Depone in sinum meum, quicquid isthuc est curæ.* C A. *Quando sic urges, dicam. Iam inde à teneris annis me mirus quidam affectus habebat.* E V B. *Quis obsecro?* C A. *Vt adiungerer collegio sacrarum uirginũ.* E V. *Vt fieres monacha?* C A. *Sic habet.* E V. *Hem, pro thesauro carbones.* C A T. *Quid ais Eubule?* E V. *Nihil, mea lux, tussiebam. sed perge dicere.* C A T. *Huic animo meo semper pertinacissimè restitere parentes.* E V. *Audio.* C A. *Ego contrà precibus, blanditijs, lacrymis oppugnabam parentum pietatem.* E V. *Res mira.* C A. *Tandem cum ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lacrymandi, polliciti sunt, ubi peruenissem ad annum decimumseptimum, sese obtemperaturos uoluntati meæ, si modo*

In sinum, id est, secretò cõmitte tacituro.

Pro thesauro, quã aliud inuenitur, quàm expectabatur.

si modò tum idem perstaret animus. Venit is annus, manet idem animus, parentes tamen contra promissum pernegant, hoc est, quod discruciat animum meum. Aperui morbum meum, tu nunc medicum age si quid potes. EV. *Primùm illud dabo consilium, suauissima uirgo, ut moderetis affectibus tuis, & si id nõ continget quod uis, id uelis quod posis.* CA. *Emoriar, nisi quod uolo, assequar.* EV. *Et unde cepisti istum fatalem affectum?* CA. *Olim admodùm puella ducta sum in quoddam uirginum collegium, circunducebamur, ostendebantur omnia, placebant uirgines uultibus nitentibus, uidebantur angelæ, in templo nitebant omnia, atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? nihil non arridebat, quocunq; uertebam oculos. Accedebant ad hæc blandissima uirginum colloquia. Vnam atque alteram illhic reperi, qui cum olim infantula lusitare consueui. Ex eo tempore cœpit animus ardere eius uitæ desiderio.* EV. *Non sum improbaturus sacrarum uirginum institutum: quanquàm non omnia conducunt omnibus: sed habita tui ingenij ratione, quem mihi uideor ex uultu, moribusq; tuis collegisse, suaserim, ut nubas marito tui simili, quæq; domi nouum instituas collegium, cuius maritus agat patrem, tu matrem.* CATAR. *Emoriar citius, quàm uirginitatis propositum deseram.* EV. *Res est egregia uirginitas, si pura sit: sed nihil necesse est, ut hac gratia dedaste in collegium, unde non possis postea eximi. Licet apud parentes uirginitatem tueri tuam.* CATAR. *Licet, at non perinde tutò.* EV. *Imò, ut ego arbitror, aliquanto tutius, quàm apud illos crassos, semper cibo distentos monachos. Nec enim ca-*

strati sunt, ne tu sis insciens. Patres uocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen uerè competat in ipsos. Olim nusquam uirgines honestius uiuebant, quàm apud parentes, nec alium habebant patrem, quàm episcopum. Sed obsecro dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in seruitutẽ? CA. *Chrysercium.* EV. *Agnosco, ædibus paternis uicinum.* CA. *Rectè.* EV. *Atqui pulchrè noui totum hoc sodalitium, dignum uerò ob quod patrem, ac matrem, & cognatam tibi honestamq; familiã repudies. Nam ille patriarcha iampridem & ætate, & uino, & natura delirus est, nec illi quicquam iam sapit præter uinum. Habet duos sodales se dignos, Ioannem, & Iodocum: quorum Ioannes, ut fortasse uir malus non est, ita nihil habet uiri, præter barbam, eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ non multò plus. Iodocus adeò stupidus est, ut nisi uestè sacra commendaretur, obambularet publicitus in cuculla fatui cum auriculis ac tintinnabulis.* CAT. *Mihi uidentur uiri boni.* EV. *Melius istos noui, quàm tu, mea Catarina. Isti fortasse sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te proselytam suam.* CAT. *Iodocus maximè fauet.* EV. *Ò fautorem, sed fac isthic nunc esse uiros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali, & quicunq; obtigerint, tibi erunt ferendi.* CAT. *Offendunt me in ædibus paternis crebra conuiuia, nec semper uirginea sunt, quæ illhic dicuntur inter coniugatos. Et aliquoties fit, ut osculum negare non possim.* EV. *Qui uitare studet quicquid offendit, is è uita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendæ, ut audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum. Parentes, opinor, permittunt tibi*

Chrysercium, fictitium nomẽ est, uidetur innuere collegiũ, quod est Gaudæ iuxta Claustrum, quo naues excluduntur, aut admittuntur.

tibi cubiculum peculiare. CA. Maximé. EV. Eò te subducas licebit, si quod conuiuium acciderit turbulentius: & dum illi potant ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo, ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem. CA. Attamen tutius est esse in sodalitio uirginum. EV. Non improbo castum sodalitium, nolim tamen te falli falsa imaginatione. Vbi illhic uersata fueris aliquandiu, ubi propius inspexeris, fortassis non perinde nitebunt omnia, ut tibi quondam nitere uidebantur. Nec omnes uirgines sunt, mihi crede, quæ uelum habent. CAT. Bona uerba. EV. Imò bona uerba sunt, quæ uera sunt: Nisi fortassè elogiũ, quod nos hactenus iudicauimus esse Virgini matri proprium, ad plures transijt, ut dicantur & à partu uirgines. CA. Abominor. EV. Quin insuper, nec alioqui inter illas uirgines sunt omnia uirginea. CA. Non? Quam ob rem, obsecrò? EV. Quia plures inueniuntur, quæ mores æmulentur Sapphus, quam quæ referant ingenium. CAT. Isthuc quid sit, non satis intelligo. EV. Atq; ideo hæc uerba facio, ne quando intelligas mea Catarina. CAT. Attamen animus eò fertur, atque hinc colligo hunc spiritum à Deo proficisci, quòd tot iam annis perseuerat, & in dies fit acrior. EV. Imò mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quòd sic repugnant optimi parentes. Afflasset & illorum animos Deus, si pium esset, quod moliris. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus, quos admodùm puella uidisti, ex blandis uirginũ alloquijs, ex affectu erga ueteres sodales, ex cultu sacro, ex ceremonijs sanè quàm speciosis, ex improbis hortatibus stultorum monachorum

Elogium, titulus meriti, qui solet addi in legatis, aut in munere. Ego scribendum arbitror elogium ab imputando, quanquàm reclamãtibus codicibus.

Sapphus, genitiuus est Græcus, sicut Διὸς.

Huius ingenij mirè prædicatur, sed mores infamantur, & fuerit γνῶσις id eũ recte significatum est.

nachorum,& qui in hoc te uenantur, ut largius potent. Sciunt patrem esse liberalem,ac benignum: aut illum habebunt conuiuam, sed hac lege,ut secum adferat uinum, quod decem strenuis potoribus sat sit: aut ipsi potabunt apud illum. Quare tibi suerim autor, ne quid noui tentes inuitis parentibus,in quorum potestate nos Deus esse uoluit. CA. In hoc negotio pium est contemnere patrem,& matrem. EV. Christi causa pium est alicubi negligere patrem, & matrem: neq; enim piè faciat, qui Christianus patrem Ethnicum,cuius omne uitæ præsidium pendeat à filio,deserat,sinatq; perire fame. Si nondum esses professa Christum in baptismo, & parentes uetarent te baptizari,piè faceres,si Christum præferres impijs parẽtibus. Aut si nunc parentes adigerent ad impietatem aut turpitudinem,contemnenda esset illorum autoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat,Paulus hortatur,leges humanæ sanciunt, ut filij obediant parentibus:& tu te subduces ab autoritate parentum optimorum,ut pro uero patre,te dedas fictitio, & pro uera matre, tibi asciscas alienam: aut potius,ut pro parentibus tibi dominos, ac dominas asciscas? Nam parentibus ita es obnoxia, ut tamen te liberam esse uelint. Vnde & liberi uocantur filijfamiliâs,quòd absint à conditione seruorum. Nunc pro te libera tendis ultro seruam reddere. Christiana clementia maxima ex parte submouit omnem illam ueterum seruitutem, nisi quòd in paucis regionibus adhuc resident uestigia. At inuẽtum est sub prætextu religionis nouum seruitutis genus,ut nunc sanè in plerisq; monasterijs uiuitur. Nihil ibi licebit,nisi

In paucis regionibus. Nescit seruitutem nobilis illa meritò dicta Frãcia. In Vuestphalia & nõnullis Germaniæ partib' est adhuc seruorum genus. Venetiæ uenduntur Mauri, & Mauræ nõ aliter, quàm boues.

ex

expræscripto: quicquid obuenerit tibi, illis accrescet: si quò pedẽ moueris, retraheris è fuga, perinde quasi parẽtem ueneno necaueris. Quoq; sit cuidẽtior seruitus, commutant uestem, quàm dedêre parentes, & ad exẽplũ prisci eorum, qui olim seruos essent mercati: cõmutant nomen in baptismo inditũ, ac pro Petro, siue Ioanne, uocãt Franciscũ, aut Dominicum, aut Thomã. Petrus dedit nomen Christo, & Dominico initiandus uocatur Thomas. Si militaris seruus abijciat uestẽ à domino datam, uidetur abdicasse dominũ: & nos applaudimus illi, qui uestẽ accipit, quam Christus omniũ dominus non dedit: & ob hanc mutatam grauius punitur, quàm si centies abijciat uestem imperatoris ac domini sui, quæ est mentis innocẽtia. CA. Atqui hoc ipsum aiunt eximij meriti, si quis se spõte dedit in hanc seruitutẽ. EV. Ista uerò doctrina pharisaica est. Paulus contrà docet, ut qui liber uocatus sit, ne uelit fieri serus, sed potius operam det, ut fiat liber. Atq; hoc infelicior est seruitus, quòd pluribus dominis tibi seruiẽdũ sit, quòd plerũq; stultis et improbis, quòd incertis, ac subinde nouis. Illud mihi respõde, Emãcipant te leges à iure parentum? CA. Nequaquam. EV. Licet'ne igitur tibi emere aut uendere fundũ inuitis parẽtibus? CA. Minimé. EV. Vnde igitur tibi ius, ut te ipsam dedas nescio quibus, inuitis parentibus? An non tu illis charissima, maximeq; pria es possessio? CA. In negotio pietatis cessãt naturæ leges. EV. Negotiũ pietatis potissimum agitur in baptismo: hic tantùm agitur de uestæ mutãda, deq; genere uitæ, quod per se neque bonum est, neq; malum. Iam illud mihi consydera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate.

bertate. Nunc tibi liberum est in tuo cubiculo legere, orare, psallere, quantum & quando gratum est animo tuo. Quòd si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones: & si quam uideris matronam aut uirginem egregiè probam, ex eius colloquio fieri meliorem: si quem uirum insigni probitate præditum, ex eo discere, quod te reddat meliorem: licebit & concionatorem deligere, qui purissimè Christum doceat. Has res omneis, ex quibus præcipuus est profectus ad ueram pietatem, amittis semel addicta collegio. CAT. *Sed interim non ero monacha.* EV. *Adhuc te mouent nomina? Rem ipsam perpendito. Illi iactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus Deus iubet obediri? si episcopo tuo, & pastori tuo? Num paupertatis, cum in parentum manibus sint omnia? Quanquam olim in sacris uirginibus præcipuè laudabatur à sacris uiris liberalitas in pauperes, eam præstare non poterant, si nihil possidebant. Porrò castitati tuæ nihil decedet, etiam si uiuas apud parentes. Quid igitur superest? Velum, linea uestis ex intima uersa in extimam, ceremoniæ quædam, quæ per se nihil faciunt ad pietatem, neque quenquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem.* CA. *Noua prædicas.* EV. *Sed uerissima. Quum non sis emancipata à iure parentum, quum tibi ius non sit uendendi uestem aut agrum, quomodo tibi ius facis dedendi te in seruitutem alienam?* CA. *Ius parentum, ut aiunt, non impedit ingressum religionis.* EV. *In baptismo non'ne professa es religionem?* CA. *Sum.* EV. *Non'ne religiosi sunt quicunq; sequuntur præcepta Christi?*

sti? C A. Maximé. E V. Quæ est igitur ista noua religio, quæ facit irritũ, quod & naturæ lex sanxit, & uetus lex docuit, & Euangelica lex comprobauit, & Apostolica doctrina cõfirmauit? Isthuc decretũ non est à Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum. Sic definiunt quidam & matrimonium esse ratum, quod inscijs, aut etiam inuitis parentibus inter puerũ & puellã per uerba de præsenti, sic enim illi loquuntur, contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec ueterum leges. nec Moses ipse, nec euangelica, aut apostolica doctrina. C A. An igitur putas mihi nõ esse fas nubere Christo, nisi comprobantibus parentibus? E V. Iam, inquam, nupsisti Christo, & illi nupsimus omnes. Quæ bis nubit eidem uiro? Tantum agitur de loco, de ueste, de ceremonijs. Ob has res non arbitror esse contemnendum ius parentum. Et uidendum est, ne dum paras nubere Christo, nubas alijs. C A. At isti prædicant nihil esse sanctius, quàm hîc contemnere parentes. E V. Ab istis igitur doctoribus exige, ut proferant aliquem è sacris libris locum, qui hoc doceat: quod si non poterunt, iubeto eos ebibere calicem uini Belnensis, hoc poterunt. Ab impijs parentibus ad Christum confugere pietatis est. Sed à pijs ad monachismum, hoc est, quod non raro usu uenit, à probis ad improbos, quæ, rogo, pietas est? Quanquàm & olim ad Christum à paganismo conuersus idololatris parentibus debebat obsequium, quatenus citra pietatis iacturã fieri poterat. C A. Damnas igitur hoc totum uitæ institutum? E V. Nequaquam. Verùm quemadmodum nemini suadere uelim, ut quæ se in hoc uitæ genus coniecerit, luctetur emergere: ita

Nubas alijs. Hoc dicit propter collegia uirginum, quæ nõ uiuũt iuxta regulã, in quibus nõnunquã, prò dolor, una nubit multis.

Belna oppidũ in ducatu Burgundiæ, unde uina laudatissima.

ita non dubitem hottari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eò præcipitent, unde pòst sese non possint explicare, præsertim cùm in ipsis collegijs sæpe grauius periclitetur uirginitas, ac domi præstare ualeas, quicquid ibi præstatur. C A. Vrges tu quidem multis ac magnis argumentis, tamen hic affectus meus eximi non potest. E V B. Si non persuadeo, quod tamen optarim, saltem illud fac memineris, Eubulum monuisse. Interim pro meo in te amore precor, ut tuus iste affectus felicior sit meo consilio.

Eubulus, qui bene consulit: ὁ bene, βουλὴ consilium.

EVBVLI, CATARINAE.

E V. Tales ianitrices mihi semper optarim. C A T. Et ego semper tales pulsatores. E V B. Sed uale Catarina. C A T. Quid ego audio? Valebo prius quàm salueam? E V. Non huc ueni, ut te uiderem lacrymantem. Quid sibi uult, quòd protinus me conspecto lacrymis suffusi sunt oculi? C A T. Quò fugis? mane, mane inquam, sumam alium uultum, & ridebimus affatim. E V. Quas aues hîc uideo? C A T. Est illius collegij patriarcha. Ne subducito te, iam perpotarunt, accumbe paulisper, illo digresso confabulabimur nostro more. E V B. Age obtemperabo tibi, quæ mihi noluisti. Nunc soli sumus, narra totam fabulam, malim enim ex te cognoscere. C A. Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimùm, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac senilius consilium dederit, quàm tu omnium natu minimus. E V B V. Dic, quomodo expugnasti parentum affectum? C A. Primùm improbis hortatibus monachorũ, ac monacharum, deinde etiam meis precibus ac blandimentis labefactus est matris animus: pater nullo

nullo pacto quibat perpelli. Tandem omnibus admotis machinis & hic victus, & oppressus est potius, quàm assensit. Id factum est inter pocula: minitabantur homini malum exitium, si Christo suam sponsam pernegaret. EVB. O improbitatem stolidorũ. Quid fit deinde? CA. Seruor triduo domi clã: interim semper aderant mulierres aliquot eius collegij, quas illi conuersas uocant, hortatibus suis addentes animum, ut persisterem in sancto proposito, ac solicitè cauentes, ne qua cognatarum aut sodalium adiret me, quæ mentem uideretur mutatura. Interim adornabantur uestes, aliaq; quæ ad conuiuium attinebant. EV. Tibi quid interim erat animi? Num uacillabas? CA. Non, sed passa sum quiddam tam horrẽdum, ut malim emori decies, quàm iterum perpeti. EV. Quæso, quid istuc erat? CA. Non possum effari. EV. Quod mihi dixeris, animo tuo dixeris. CA. Promittis silentiũ? EV. Id præstaturus eram, etiã si nulla fuisses stipulata. Quasi uero me nondũ noris. CA. Apparuit mihi spectrum horribili specie. EV. Is nimirùm erat genius tuus malus, qui te eò instigabat. CA. Prorsus opinor fuisse cacodæmonem. EV. Dic mihi, quæ species erat? Est'ne talis, qualis pingitur? rostro adunco, longis cornibus, harpyiarum unguibus, prælonga cauda? CA. Tu ludis. At ego malim mihi terrã dehiscere, quàm denuo tale uidere spectrũ. EV. Interim aderant illæ mulierres hortatrices? CA. Non, nec unquam illis indicaui, tametsi ualde scisciantibus, quid esset mali, cùm me totam exanimatam offendcrẽt. EV. Vis tibi dicã, quid fuerit? CA. Si quidem potes. EV. Illæ mulierres incantauerant te, uel potius excantarant tibi cerebrum. Sed interim tu persistebas

ſtebas in ſententia? CAT. Maximè, nam aiebant id multis accidere, qui ſe conſecrant Chriſto: uerùm ſi primo illo congreſſu ſuperetur tentator, pòſt tranquilla fore omnia. EVB. Qua pompa producta es? CAT. Adornant me toto mundo meo, demittunt capillos: itaque non aliter quàm nuptura ſponſo. EV. Craſſo monacho, hem, malè ſit huic tuſſi. CA. Ex ædibus paternis clara luce deducor ad collegium, multis ad ſpectaculum concurrentibus. EV. O ſcitos hiſtriones, ut norunt agere ſuas fabulas ſimplici popello. Quot dies egiſti in illo ſancto uirginum collegio? CAT. Ferme duodecim. EV. Sed quæ res uerterat animum tuum tam pertinacem? CAT. Non dicam quid ſit, ſed aliquid magni fuit. Pòſt ſex ab ingreſſu dies accerſo matrem, obteſtans, obſecrans, ſi me uiuam uellet, ut me eximeret ab illo collegio. Illa reluctatur animo meo, & hortatur ad conſtantiam. Pòſt accerſo patrẽ. Ille etiam obiurgat, addens ſe ægrè uicisſe ſuos affectus, ut uicißim nunc uincerem animum meum, nec hoc dedecus conciliarem ſibi, quòd reſiliſſem ab inſtituto. Tandem ubi uideo me nihil proficere, reſpondeo parentibus, me ſi ita iubeant, in gratiam illorum morituram. Nam hoc mihi certum eſſe, niſi maturè eximerer. Hoc audito reduxerunt domum. EV. Bene habet, quòd maturè reſilieris, prius quàm ſeruitutem æternam eſſes profeſſa. Sed nondum audio, quæ res mutarit animum tuum tam ſubitò. CA. Hoc nemo mortalium ex me ſcit hactenus, nec tu ſcies. EVB. Quid ſi diuinem? CA. Nec diuinabis, ſat ſcio: & ſi diuines, non dicam. EVB. Tametſi conjecto. Verùm interim perijt ſumptus. CAT. Plus quàm quadraginta coronati.

Craſſo monacho. Hoc dicit auerſus, & fingit tuſsim.

EV.

EVB. O comessatores nuptiales. Gaudeo tamen perijsse pecuniam te nobis incolumi: posthac ausculta melioribus consilijs. C A. Ita faciam, & cum piscatore, icta sapiam.

Comos Deus est luxus. Inde κωμάζειν, & Latinè comessari, quod est genialiter & cū luxu uiuere. Nō em dicitur à comedendo.

Icta sapiā. Vide prouerbiū, Piscator ictus sapit. ubi quis suo malo doctus sapit.

CONIVGIVM.

EVLALIA, XANTHIPPE.

EV. Salue multùm exoptatißima mihi Xanthippe. XA. Salue tantūdem mihi charißima Eulalia. Videre mihi solito formosior. EVL. Ita'ne statim me scommate excipis? XA. Non profectò, sed ita mihi uideris. EV. Fortasse noua uestis commendat formam. X A. Rectè coniectas. Nihil iamdiu uidi elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum. EV. Lana Britannica est, tinctura Veneta. X A. Mollities byssum superat. Quàm uerò blandus purpuræ color? Vnde tibi tam egregium munus? EV. Vnde decet honestas matronas accipere, nisi à maritis suis? XA. O te felicem, cui talis contigit sponsus. At ego uellem me nupsisse fingo, quum meo nuberem Nicolao. EV. Fungos appellamus homines stultos ac nihili. Quid ita quæso te? tam citò malè conuenit inter uos? X A. Nec unquam conuenict cum tali. Vides quàm sim pannosa, sic patitur uxorem suam incedere: dispereā, nisi sæpe pudet me prodire in publicū, cum uideo quàm cultæ sint aliæ, quæ multò pauperioribus nupsere maritis. EV. Matronarum ornatus non est in uestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet diuus Petrus apostolus (nam id audiui nuper in concione) sed in castis ac pudicis moribus, & in ornamētis animi. Meretrices coluntur oculis multorū. Nos satis cultæ sumus, si placeamus uni marito. XA. Sed interim ille bonus uir, tam in uxorem parcus, strenuè prodigit dotem, quam ex me

1. Pet. 3.

non mediocrem accepit. EV. *Quibus rebus?* XA. *Quibus ipsi uisum fuerit, uino, scortis, alea.* EV. *Bona uerba.* XA. *Atqui sic res habet. Deinde cùm mihi temulentus ad multam noctem redit domũ, diu expectatus, desertit noctem totam, nonnunquam & lectum conuomens, ut ne quid addam.* EVL. *St, teipsam dehonestas, cũ dehonestas maritum.* XA. *Emoriar, nisi mallem dormire cum scropha, quàm cum tali marito.* EV. *Nõ tu tum illum excipis iurgio?* XA. *Ita ut dignus est, sentit me non esse mutam.* EV. *Quid ille contrà?* XA. *Initio reclamabat sæuissimè, credẽs fore ut me sæuis uerbis, ptelaret.* EV. *Nunquam' ne rixa incruduit usq; ad uerbera?* XAN. *Semel dúntaxat eò incaluerat utrinq; contentio, ut minimùm res abfuerit à pugna.* EV. *Quid ego audio?* XAN. *Librabat fustem sæuis interim clamoribus intonans, ac dira minitans.* EV. *Non ibi metuebas tu?* XA. *Imò uicissim ego corripiebam tripodem: si contigisset me digito, sensisset mihi non deesse manus.* EV. *Nouum clypei genus. Deerat colus lanceæ uice.* XA. *Sensisset sibi cum uiragine rem esse.* EV. *Ah mea Xanthippe, non ita decet.* XA. *Quid decet? Si ille me non habet pro uxore, nec illum habitura sum pro marito.* EVL. *At Paulus docet, uxores oportere subditas esse uiris cum omni reuerẽtia. Et Petrus nobis exemplum proponit Saræ, quæ maritum suum Abraham dominum appellabat.* XAN. *Audiui ista. Sed idem Paulus docet, ut uiri diligant uxores suas, sicut Christus dilexit sponsam suam ecclesiam. Meminerit ille officij sui, ego meminero mei.* EVL. *Sed tamen ubi res in eum statum deuenit, ut alteri cedendum sit, æquum est uxorem marito cedere.*

St, interiectio est innuens silẽtiũ: sic enim docti legendũ censent illud ex Phormione Terentij, Non es obsecrò quem semper te esse dicitasti? Chr. St. Sophr. Quid has metuis fores? Quo loco p St, depraua tum est, est.

Ephes. 5. Colos. 3. 1. Pet. 3.

XA.

X A. Si modò ille maritus est appellandus, qui me habet pro ancilla. E V. Sed dic mea Xanthippe, pòst desijt minitari uerbera? X A. Desijt, & sapuit, alioqui uapulasset. E V. Sed tu non desijsti rixari cum illo? X A. Nec desinam. E V. Quid ille interea? X A. Quid? nonnunquam dormit somnium hominis, interdum nihil aliud quàm ridet, aliquoties arripit testudinem, in qua uix tres habet fides: eam quantum potest pulsans, mihi uociferanti obstrepit. E V. Ea res malè urit te? X A. Sic ut dici uix possit. Aliquando uix tempero à manibus. E V. Mea Xanthippe, permittis mihi ut liberius loquar apud te? X A. Permitto. E V. Idem ius erit tibi apud me. Hoc certè postulat nostra necessitudo, ab ipsis penè incunabulis inter nos inita. X A. Vera narras, nec ulla sodalium unquam charior fuit animo meo. E V. Qualis qualis est tuus maritus, illud cogita non esse ius permutandi. Olim immedicabilibus diris remedium extremum erat diuortium: nunc hoc in totum ademptum est: usq; ad extremum uitæ diem ille tuus sit maritus oportet, & tu illius uxor. X A N T. Superi malè faxint, qui ius hoc nobis ademerunt. E V L. Bona uerba, sic uisum est Christo. X A. Vix credo. E V. Sic habet. Nunc nihil supereſt, nisi ut uterque ad alterius mores & ingenium accommodando sese, concordiæ studeatis. X A. An ego possum illum refingere? E V. Non minimum momenti est in uxoribus, quales sint mariti. X A. Pulchrè conuenit tibi cum tuo? E V. Nunc tranquilla omnia. X A N T. Ergo turbarum nonnihil erat initio. E V. Nihil unquam tempestatis, sed tamen, ut fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam oboriebantur,

quæ poterãt gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum. Habet suos quisq; mores, & est sua cuiq; sententia: & si uerum fateri uolumus, sunt sua cuiq; uitia, quæ si usquam, certè in matrimonio nouisse oportet, non odisse. E V. Rectè mones. X A. Fit autem frequenter, ut dissiliat beneuolẽtia mutua inter maritum & uxorem, antè quàm alter alteri satis notus sit. Id est in primis cauendum. Semel enim orta simultate, ægrè sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia conuicia processerit. Quæ glutino committuntur, si statim concutias, facilè distrahũtur: cæterùm ubi siccato glutino semel cohæserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, ut inter uxorem & maritum coalescat, cõfirmeturq; beneuolẽtia. Id maximè fit obsequio, morumq; commoditate. Nam beneuolentia quæ sola formæ gratia conciliatur, ferme temporaria est. X A. Sed narra nobis obsecro, quibus artibus pertraxeris maritum ad tuos mores. E V. Dicam in hoc, ut imiteris. X A. Si quem. E V L. Facilimum erit, si uelis, nec adhuc serum est. Nam & ille iuuenis est, & tu puella, ac nondum annus, opinor, expletus est à nuptijs. X A. Vera prædicas. E V. Dicam igitur, sed tacituræ. X A. Maximè. E V. Illa prima mihi cura fuit, ut in omnibus essem iucunda marito, ne quid esset quod illius animum offenderet, obseruabam affectum ac sensum illius, obseruabam & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur, quemadmodum facere solent ij, qui elephantos ac leones cicurant, aut similia animantia, quæ ui cogi non possunt. X A N T. Tale animal mihi domi est. E V. Qui adeunt elephantos, non gestant uestem candidam, nec

Quæ si usquã. Allusit ad uersi. ulũ puerbium. Mores amici noueris, non oderis.

Antè quã alter alteri. Hoc Plutarchus in præceptis connubialibus.

pumie

puniceam qui tauros, quòd his coloribus compertum sit ea animantia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum sonitu sic aguntur in rabiem, ut seipsas dilanient. Et qui tractant equos, habent uoces, habent popiſmata & palpum, aliaq; quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus uti erga maritos, quibus cum nobis, uelimus, nolimus, per omnẽ uitam est tectũ ac lectus cõmunis? X A. *Perge quod cœpisti.* E V. *His animaduersis, attemperabam me illi, cauens ne quid offensæ nasceretur.* X A. *Quî nam id poteras?* E V. *Primùm in cura rerum domesticarum, quæ peculiaris est prouincia matronarum aduigilabam, nõ solùm cauens, ne quid esset prætermissum, uerumetiam ut omnia cõgruerent ad illius sensum, in rebus etiam minutißimis.* X A. *Quibus?* E V. *Puta, si maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus.* X A. *At quo pacto attẽperares te ei qui domi nõ esset, aut esset ebrius?* E V. *Mane, isthuc ibam. Siquãdo maritus uidebatur admodũ tristis, nec esset appellandi tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullæ mulieres solent, sed sumebam & ipsa uultũ submœstum ac solicitum. Quemadmodum enim speculum, si probum est, semper reddit imaginem intuentis: ita decet matrẽfamiliás ad affectum mariti cõgruere, ne sit alacris illo mœrente, aut hilaris illo commoto. Quòd siquando commotior erat, aut blando sermone leniebam, aut silentio concedebam iracundiæ, donec ea refrigerata tempus se daret uel purgandi, uel admonendi. Idem faciebam, si quando plus æquo potus redibat domum, nec id tempo-*

Voces. Ad uocem hominis equi reddunturmitiores.

Popiſma sonitus est ῥοπεμοδυμ imitans uẽtris crepitum, qui fit ore aut manibus aptè complosis non sine humore.

Autore Plinio, fulgetras adorare popiſmate, gentium olim consensus erat: unde & illud Aristophanis: τρὶς τὰς βροντὰς ἀποπαῖσαι.

De Palpo Horat. Cui malè si palpere, recalcitrat. Palpari autẽ est uola leuiter percutere tergum equi ferocientis.

Refrigerata, id est, ubi refrixit siue deferbuit. Ita Fabius: Refrigerato inuẽtionis amore.

Sic & recanduisse dicitur ira.

ris, nisi iucunda loquebar illi: tantùm blanditijs pertrahebam ad lectum. X A. *Infelix uerò uxorum conditio, si iratis, ebrijs, & quicquid libet patrantibus maritis, tantùm obsequentur.* E V. *Quasi uerò hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus nostris. Est tamen tempus, quum in re seria fas est uxori monere uirum, si quid est alicuius momenti: nam ad leuia præstat*

Conniuere, id est, quasi clausis oculis dissimulare te uidere quod uides.

conniuere. X A. *Quod tandem?* E V. *Quum erit animo uacuo, nec commotus, nec solicitus, nec potus, tum absque testibus blandè monendus uel rogandus potius, ut in hoc aut illo melius consulat rei, aut famæ, aut ualetudini suæ. Atq; hæc ipsa admonitio leporibus, ac facetijs erit condienda. Nonnunquam præfatione ab illo stipulari soleo, ne mihi succenseret, si quid stulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut ualetudinem, aut salutem facere uideretur. Vbi monuissem, quæ uolebam, amputaui sermonem illum, & ad alia iucundiora deflectebam. Est enim ferè hoc nostrum uitium, mea Xanthippe, ut semel exorsæ loqui, finem facere nequeamus.* X A. *Aiunt.* E V. *Illud in primis caucbam, ne præsentibus alijs maritum obiurgarem, aut nequid querelarum domo efferrem. Facilius sarcitur, si quid inter duos commissum est. Quòd si quid extiterit eius generis, ut nec ferri possit, nec uxoris admonitione sanari, ciuilius est, ut uxor querelam deferat ad parentes & cognatos mariti, quàm ad suos, & ita querelam temperet, ne uideatur odisse maritum, sed uitium potius mariti. Nec tamen effutiat omnia, ut hic quoq; tacitus agnoscat, & amet uxoris ciuilitatem.* X A. *Philosopham esse oportet, quæ ista præstet.* E V. *Imò talibus factis*

maritos

maritos ad simile ciuilitatem inuitabimus. XA. Sunt quos nulla ciuilitate corrigas. EV. Equidem non arbitror, sed fac esse. Primùm illud cogita, maritus ferendus est, qualis qualis est. Præstabilius igitur est ferre uel sui similem, uel paulò commodiorem factum nostra ciuilitate, quàm nostra sæuitia peiorem in dies. Quid si proferam maritos, qui simili ciuilitate correxerũt sponsas suas? Quantò magis decet nos idem præstare aduersus maritos? XA. Narrabis igitur exẽplum meo marito dissimilimum. EV. Est mihi familiaritas cum homine quodam nobili, docto, singulariq; morum dexteritate. Is duxerat puellam uirginem, annos natam decem & septem, ruri in parentum ædibus perpetuò educatam, ut nobiles ferè gaudent habitare ruri, ob uenatum & aucupium. Rudem uolebat ille, quò facilius illã ad suos mores fingeret: cœpit cã instituere literis ac musica, paulatimq; assuefaccre, ut rederet ea, quæ audisset in concione, cæterisq; rebus formare, quæ post essent usui futuræ. Hæc quoniam erant noua puellæ, quæ domi suæ fuerat in summo otio, & inter famulorum colloquia lususq; educata, cœperunt esse tædio. Detrectabat obsequium, & quum maritus urgeret, illa sine fine flebat, nonnunquam & in terram abijciebat sese, occipitium illidens solo, quasi mortem optans. Earum rerum cùm nullus esset finis, maritus dissimulato sto macho, inuitabat uxorem, ut animi relaxandi gratia unà proficiscerentur rus ad ædes soceri. Ibi lubens obtemperabat uxor. Eò quum uentum esset, maritus reliquit uxorem apud matrem & sorores: ipse cum socero prodibat uenatũ. Ibi submotis testibus denarrat socero, se spe-

Reddit qui soluit, reddit & discipulus, quũ recitat audita: nam qui docet aut dictat, quasi credit mutuum.

rasse iucundã uitæ ſociam, nunc habere perpetuò lacrymantem ac ſeſe diſcruciantẽ, nec ullis monitis ſanabilem: orat, ut ſibi adſit in medendo filiæ morbo. Socer reſpondet, ſe ſemel illi tradidiſſe filiam: quòd ſi illa non obtemperaret uerbis, uteretur ſuo iure, & uerberibus eã emendaret. Tum gener, Noui, inquit, *ius meum, ſed malim eam tua uel arte, uel autoritate ſanari, quàm ad hoc extremum remedium uenire. Socer pollicitus eſt ſe curaturum. Poſt unum atq; alterum diem captat tempus ac locum, ut ſolus eſſet cum filia: ibi uultu ad ſeueritatẽ compoſito, incipit commemorare, quàm illa eſſet infelici forma, quàm non amabilibus moribus, quàm ſæpe metuiſſet, ne nullum illi poſſet inuenire maritum. At ego meo maximo labore,* inquit, *talem inueni tibi, qualem nulla non optaret ſibi quantumuis felix. Et tamen tu non agnoſcens quid pro te fecerim, nec intelligens te talem habere maritum, qui niſi eſſet humaniſſimus, uix te dignaretur habere in ancillarũ numero, rebellas illi. Ne longũ faciam, ſic incanduit patris oratio, ut uix uideretur manibus tẽperare. Eſt enim uir ingenio mirè uafro, qui citra perſonam omnem poſſet quamuis agere comœdiam. Ibi puella partim metu, partim ueritate cõmota, accidit ad patris genua, rogãs ut præteritorũ uellet obliuiſci, ſe in poſterũ memorem fore officij ſui. Ignouit pater, pollicitus ſe quoque fore patrem amantiſſimũ, ſi quod pollicereturꝰ, præſtaret.* XA. *Quid deinde?* EV. *Puella digreſſa à colloquio parẽtis, redit in cubiculum, offendit maritum ſolum, accidit illi ad genua, & ait:* Marite, hactenus non noui neq; te, neq; meipſam, poſthac uidebis me aliam factam, tantũ obli*

Semel non refertur ad bis, ſed declarat totũ filiæ ius traditum ſponſo.

Nam perſonati hiſtriones agebãt fabulas. Perſona autem eſt facies appoſititia.

obliuiscere superiorum. Hanc uocē maritus excepit oscu lo, & omnia pollicitus est, si illa perstiteret eo animo. XA. Quid? perstitit? EV. Vsq; ad mortē, neq; quicquam erat tam humile, quod illa non alacris ac uolens obiret uolente marito. Tantus amor inter eos natus est & con firmatus. Post annos aliquot puella crebrò sibi gratulata est, quòd cōtigisset tali marito nubere, qui nisi cōtigisset, eram, inquit, omniū mulierum perditissima. X A. Talium maritorum non minus rara est copia, quàm alborum cor uorum. EVL. Iam si molestum non est, referam tibi quid dam de marito cōmoditate uxoris correcto, quod nuper accidit in hac ipsa ciuitate. X A. Nihil est quod agam, & perquàm grata mihi est tua cōfabulatio. EV. Est uir quidam non postremæ nobilitatis: is, ut solet hoc hominum genus, plerunq; uenabatur, ruri incidit in puellam quandam pauperrimæ mulierculæ filiam: in eam cœpit deperire, homo iam prouectioris ætatis. Atque huius gra tia frequēter pernoctabat foris. Prætextus erat uenatio. Vxor huius, mulier insigni probitate, nescio quid su spicans, peruestigauit furta mariti sui, & eo profecto nescio quò, adijt casam illam rusticanā, expiscata est de toto negotio, ubi dormiret, unde biberet, quis esset appa ratus conuiuij. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera pau pertas. Abijt matrona domum, ac mox redijt, secum addu cens lectum commodum & apparatum, uasa aliquot ar gentea, addidit pecuniam, admonens ut siquando rediret ille, tractarent eum ciuilius, dissimulans interim sese uxo rem esse, ac sororē esse simulās. Post dies aliquot redit cò furtim maritus, uidet auctam supellectilem, & appara-

tum lautiorem. Rogat, unde is nitor insolitus: aiunt matronam quandam honestam illi cognatam hæc aduexisse, ac mandasse ut honestius posthac acciperetur. Illico tetigit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reuersus domum, rogat, num illhic fuisset: illa non negat. Rogauit & quo tandem consilio misisset cò supellectilem. Miuir, inquit, assuetus es uitæ commodiori. Videbam illhic te durius accipi, putabam esse officij mei, ut quãdo ita tibi cordi est, lautius illhic habereris. XANT. O matronam nimiùm bonam. Ego citius pro lecto substrauissem illi fasciculum urticarum, ac tribulorum. EVL. Sed audi finem. Vir perspecta tanta probitate, tantáq; mansuetudine coniugis suæ, nunquàm deinde usus est furtiuo concubitu, sed domi semet oblectauit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batauum. XA. Noui. EVL. Is, ut scis, florenti ætate duxit uxorem iam prouectiorem ac uergenti ætate. XA. Dotem fortasse duxit, non uxorem. EV. Sic est. Is fastidiens uxoris, adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris. Rarò domi prandebat aut cœnabat. Quid tu hìc eras factura? XA. Quid? Ego illi adamatæ inuolassem in capillos, & maritum exeuntem ad illam perfudissem lotio, ut sic unctus iret ad conuiuium. EVL. At quantò hæc prudentius? Inuitabat mulierculam domum suam, comiter accipiebat. Ita maritum quoq; sine ueneficijs domum pertraxit. Et si quando foris cœnabat cum illa, misit eò missum aliquem elegantiorem, iubens ut suauiter uiuerent. XANT. Ego malim mori, quàm esse lena mei mariti. EVLA. Verùm interim rem ipsam expende. Non'ne hoc multò satius

erat

Acciperetur, p tractaretur, quemadmodũ, bene habiti dicuntur. Ita Teren. Accipit hominem nemo melius.

Vergenti ætate, inclinata ad senium. Sic ea uoce absolutè usus est Sueto.

Inuolassem in capillos. Sic pugnãt mulieres, sic Terẽ. Aliqui iuolare nõnũquam sonat furari. Catullus: Huc redde pallium mihi meũ, quod inuolasti.

Perfudissem lotio. Id accidit Socrati: & olim loti uncti{que} ibant ad conuiuium.

rit, quàm si sæuitia sua prorsus alienasset maritum, ac totum ætatem in iurgijs exegisset? XANT. Fateor minus esse mali, sed ego non possem. EVLA. Vnum adijciam, atque ita discedam ab exemplis. Hic uicinus noster, uir probus & integer, sed paulò iracundior, quodam die pulsaucrat uxorem suam, fœminam laudatißimam. Ea se recepit in intimum conclaue, atque illhic lacrymans, atq; singultiens decoquebat animi ægritudinem. Aliquantò pòst per occasionem cõdem ingressus est maritus, reperit uxorem flentem. Quid, inquit, hîc lacrymas ac singultis puerorum more? Tum illa prudenter, Quid, inquit, an non hoc satius, ut hîc deplorem malum meum, quàm si in uia uociferer, quemadmodum solent aliæ mulieres? Hoc dicto tam uxorio fractus ac uictus hominis animus, data dextra pollicitus est uxori se posthac nunquàm in illam conjecturum manus, nec fecit. XA. Ego idem impetraui à meo diuersa ratione. EV. Sed interim est inter uos bellum perpetuum. XA. Quid igitur uelles me facere? EV. Primùm mussanda est tibi omnis iniuria mariti, & animus illius officijs, comitate, mansuetudine paulatim est conciliandus: aut uinces tandem, aut certè multò commodiore utêris, quàm nunc uteris. XA. Ille ferocior est, quàm ut ullis officijs mansuescat. EVL. Eia, ne dixeris. Nulla est fera tam immanis, quin officijs cicuretur: ne desperes in homine. Fac periculum menses aliquot, me accusa, nisi senseris consilium hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quædam uitia ad quæ tibi conniuendum est. Illud ante omnia tibi cauendum censeo, ne quid rixæ moueas in cubiculo, aut in lecto: sed curãdum est, ut illhic omnia sint

Mussanda, dissimulanda, uel tacitè ferenda.

festiua

Sacra ꝓfanari dicuntur: lectulus autē locꝰ est dicatus recōcinnandæ beneuolentiæ. Hæc est sententia Plutarchi i præceptis coniugalibus.

festiua ac iucunda. Etenim si is locus, qui diluendis offensis, sarciendæq; gratiæ consecratus est, lite aut ægritudine quapiam profanetur, iam sublatum est omne remedium beneuolentiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam morosæ, ut in ipso etiam coitu querantur ac rixentur, eamq; uoluptatem, quæ diluere solet ex animis uirorum, si quid inerat molesti, morum fastidio reddant insuauem, pharmacum ipsum uitiātes, quum licuisset mederi offensis. X A. Istud mihi frequenter accidit. E V. Atqui tametsi semper est cauendum uxori, ne qua re molesta sit uiro, tamen id maximè studere debet, ut in eo congressu se uiro præbeat modis omnibus commodam & iucundam. X A. Viro, mihi cum bellua res est. E V. Mitte malè loqui: ferè nostra culpa uiri mali sunt. Sed, ut ad rem redeam: qui uersantur in priscis fabulis poētarum, narrāt Venerem (eam faciunt Deam connubij præsidem) habere cestum arte Vulcani confectum: in eo cōtextum esse quicquid est amatorij medicamenti: eo se cingit, quoties congressura est cum marito. X A. Fabulam audio. E V. Verum, sed audi, quid sibi uelit fabula. X A. Dic. E V. Illud docet, uxorem omnem curam adhibere oportere, ut in congressu connubiali iucunda sit marito, quò recalescat ac redintegretur amor illc maritalis, & discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædij. X A. Sed unde nobis cestus ille? E V. Nihil opus ueneficijs aut incantamentis. Nullum incantamentum efficacius, quàm morum probitas cum suauitate coniuncta. X A. Ego tali marito blandiri nō possum. E V. At hoc tua refert, ut desinat esse talis. Si Circes artibus posses maritum uertere in

Cestum, id est, cingulum,

suem

ſuem aut urſum, faceres? X A. *Neſcio.* E V. *Neſcis? An malles habere ſuem maritum, quàm hominem?* X A N T. *Equidem malim hominem.* E V. *Agè, quid ſi Circes artibus poſſes ex temulento reddere ſobrium, ex prodigo frugalem, ex ceſſatore diligentem, non ne faceres?* X A. *Planè facerem: ſed unde mihi iſtæ artes?* E V. *Atqui iſtas artes habes in te, ſi modò uelis adhibere. Tuus, uelis, nolis, ſit oportet. Quò meliorem eum reddideris, hoc magis conſulueris tibi. Tu tantum oculos habes defixos in illius uitia, eaq; tibi exaggerant odium, & hac anſa tantùm arripis illum, qua teneri non poteſt. Illa potius contemplare, quæ bona ſunt in illo, & hac anſa prehende illum, qua teneri poteſt. Antè quàm illi nuberes, tempus erat expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis ſolùm, uerùm etiam auribus maritum deligere: nunc medendi tempus eſt, non accuſandi.* X A. *Quæ mulier unquam auribus cepit maritum?* E V. *Oculis capit, quæ nihil aliud ſpectat, quàm corporis formam: auribus, quæ diligenter obſeruat quid fama de illo prædicet.* X A. *Pulchrè mones, ſed ſerò.* E V. *At non ſerum eſt ſtudere corrigendo marito. Ad eam rem conducet, ſi quid pignoris ex te natum fuerit uiro.* X A. *Iam natum eſt.* E V. *Quando?* X A. *Iam pridem.* E V. *Quot menſes ſunt?* X A. *Ferme ſeptem.* E V. *Quid ego audio? Tu nobis trimeſtris fœtus iocum renouas?* X A. *Nequaquam.* E V. *Ita neceſſe eſt, ſi tempus à nuptiarum die ſupputas.* X A. *Imò ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium.* E V. *An ex colloquio naſcuntur pueri?* X A. *Fortè ſolam nactus, cœpit alludere, titillans axillas ac latera, quò me prouocaret ad riſum.*

Et hac anſa Epictetus ſcriplit unicuique rei duas eſſe anſas, alterā qua teneri poſſit: alteram qua non poſſit: ſignificās, ī unaquaq; re eſſe aliqd cō modi, rurſum aliquid incommodi. Stultus arripit anſam malam, ſapiens alteram. Huic ſtaq; nihil non tolerabile.

Trimeſtris fœtus. Alludit ad puerbiale uerſum q eſt apud Suetonium, τοῖς ὑπερτρίβοις καὶ τρὶς μὴ ἀποδοῦσι.

Ego

Ego non ferens titillationem, me resupinabam in lectum, ille incumbens figebat oscula, nec satis scio quid egerit præterea: certè paucis pòst diebus uterus cœpit intumescere. EV. I nunc, & maritum contemne, qui si lusitans gignit liberos, quid faciet cùm seriò rem aget? X A. Suspicor & nunc me grauidam esse. E V. Euge contigit felici fundo bonus cultor. X A. Hac in parte plus præstat, quam uellem. E V. Ista querela tibi cum paucis uxoribus est communis. Sed inter uos interceſſerat pactum connubiale? X A. Interceſſerat. E V. Leuius igitur peccatum est. Est'ne proles mascula? X A. Est. EV. Illa uos rediget in gratiam, si tu uel paululum temet accommodes. Quid alij prædicant de tuo marito sodales, & quibus cum habet commercium foris? X A. Prædicant cum esse moribus commodißimis, comem, liberalem, amicum amico. E V. Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem uolumus. X A. At mihi uni talis non est. EV. Sed tu te illi præ-

Eulalia à bene loquẽdo nomẽ habet: pseudolalia, à mendaci loquacitate.

beto, qualem dixi, me'que pro Eulalia uoca Pseudolaliam, nisi tibi quoque talis esse cœperit. Quin & illud cogita, illum adhuc iuuenem esse, nondum opinor egressum annos uiginti quatuor, nondum nouit, quid sit esse patremfamiliàs. Iam non est tibi cogitandum de diuortio. X A. At frequenter cogitaui. E V. Verùm ea cogitatio si quando tibi inciderit in mentem, primùm reputa tecum, quàm nihili res sit fœmina diuulsa à uiro. Summum decus matronæ est, morigeram esse suo coniugi. Ita natura comparatum est, ita uoluit Deus, ut mulier tota pendeat à uiro. Tantùm cogita id quod res est, maritus est, alius non potest obtingere. Deinde ueniat in mentem puellus ille

duobus

duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? fraudabis maritũ sua possessione. Relinques apud illum? spoliabis teipsam eo, quo nihil habes charius. Postremò dic mihi, habes'ne quæ tibi malè uelint? X A. Habeo nouercam germanam, præterea socrum huic similimam. EV. Adeò tibi malè uolunt? X A. Cuperẽt extinctam. EV. Et istæ tibi fac ut in mentẽ ueniant. Quid enim illis possis facere gratius, quàm si uideant te diuulsam à marito, uiduam, imò plus quàm uiduam uiuere? Nam uiduis licet alteri nubere. X A. Equidem probo tuum consilium, sed tædet diutini laboris. E V. At reputa quantum laborum sumpseris prius, quàm psittacum docueris quædam humana uerba sonare. X A. Plurimùm profectò. E V. Et piget operam sumere in fingendo marito, qui cum perpetuò suauiter degas ætatem? Quantum laboris sumunt homines, ut equum sibi commodum reddant? & nos pigebit adlaborare, ut maritis utamur commodioribus? X A. Quid faciam? E V. Iam dixi. Cura, ut domi niteant omnia, ne quid sit molestiæ, quod illum exigat ex ædibus. Tu te illi comem præbe, semper interim memor reuerentiæ cuiusdam, quã uxor debet marito. Absit tristitia, sed absit & petulantia: nec putida sis, nec lasciua. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti: quod illi suauissimum est, id coquito. Quin etiã ijs, quos ille amat, comẽ & affabilem te præbeto. Hos frequenter ad conuiuium uoca. In conuiuio facito, ut læta plenáq; hilaritatis sint omnia. Deniq; si quãdo ille uino lætior pulsabit suã testudinẽ, tu uoce accinito. Sic assuefacies maritũ manere domi, & minues impensas. Sic enim ille cogitabit tandẽ,

Nouercam germanam, nõ de gẽte aut sorore sentit, sed germanã dixit ueram. Nouercarum autem est odisse priuignos.

Næ

Næ ego insigniter insanio, qui foris magna rei famæq; iactura uictitem cum scorto, quum domi habeam uxorem multò lepidiorem, meiq; amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat. X A. An credis successurum, si tentem? EV. Me uide. Ad me recipio. Interim & maritum tuum aggrediar, admonebo & illum sui officij.

Miscere cœlũ terræ, de uehemẽti perturbatione dictũ est puerbiũ. Iuue. Licet & mare cœlo Confundas, homo sum.

X A. Laudo consilium: at uide ne quid huius rei suboleat ipsi, miseret cœlum terræ. EVL. Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonem, ut ipse mihi narret, quid inter uos sit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo illum blandissimè, &, ut spero, tradam eum tibi cõmodiorem. De te per occasionem mentiar, quàm amanter de illo sis loquuta. X A. Christus bene fortunet quod agimus. E V. Aderit, modò ne desis tibi.

MILITIS, ET CARTHVSIANI.

MI. Saluc mi frater. C A. Salue & tu germane charissime. MI. Vix te agnosco. C A R. Adeo'ne consenui intra biennium? MI. Non: sed caput rasum, noua uestis faciunt, ut mihi uidearis aliud quoddam animal. C A. Ita'ne non agnoscerem uxorem tuam, si tibi occurreret indutã noua ueste? M I L. Non, si tali. C A. At ego te probè agnosco, cui nõ solùm uestis mutata est, uerumetiam facies, totusq; corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla auis æquè uariat plumas suas. Tum quàm omnia secta, quàm nihil iuxta naturam aut morem cõmunem. Adde tonsum uerticem, barbam semiraſam, syluam, quæ supra labrum superius est, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quàm solent in felibus pili longiores. Nec una

cica

cicatrix fœdauit uultum, ut Samius quispiam literatus uideri possis, de quo iocus est prouerbij. MI. Sic decet redire è bello. Sed dic mihi, erat hîc tanta bonorum medicorum inopia? CA. Quam ob rem? MI. Quia nulli commiseris sanandum cerebrum tuum prius, quàm in hanc seruitutem te præcipitem dares. CA. Ita'ne uideor insanisse? MI. Maximè. Quid erat necesse hîc te sepeliri ante tempus, quum esset unde commode uiueres in mundo? CA. An nunc non uideor tibi in mundo uiuere? MI. Non per Iouem. CA. Dic quam ob rem? MI. Quia non licet ambulare, quò uelis. Huic loco uelut cauæ includeris. Adde rasurã, uestem prodigiosam, solitudinem, piscium perpetuum esum, ut mirer teipsum non uerti in piscem. CA. Si uerterentur homines in omnia quibus uescuntur, tu iam pridem porcus esses. Nam suilla soles delectari. MI. Non dubito quin iandudum pœniteat te instituti: paucos enim comperio, quos non capiat pœnitudo. CA. Hoc illis usu uenit, qui se in hoc uitæ genus uelut in puteum præcipitant: ego descendi sensim & consultò, prius explorato meipso, perspectaq; tota huius uitæ ratione, iam annos natus uiginti octo, qua ætate sibi quisq; notus esse potest. Quòd ad locum attinet, tu quoque loco angusto concluderis, si totius mundi consyderes amplitudinem. Nec refert quàm spatiosus sit locus, modò nihil desit ad uitæ commoditatem. Multi rarò, aut nunquàm exeunt ciuitatem, in qua nati sunt: qui si uetarentur exire, magnopere sibi displicerẽt, & incesseret illis mira libido relinquẽdæ ciuitatis. hic affectus uulgaris est, quo ego careo. Imaginor hic totum esse mundum, & hæc tabula mihi totum terrarum orbem

Samius literatus, in cicatricosos prouerbiũ. uide Chiliades. Sepeliri ante tempus. Alludit hîc, & dicuntur mundo mortui.

repræsentat, quem ego cogitatione iucundius simul & tutius perambulo, quàm is qui nauigauit ad nouas insulas.
MI. Hîc tu propèmodũ dicis uerum. CA. Rasurã damnare nõ potes, qui uolens tondearis, utiq; commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud, certè reddit caput purius, ac fortassè salubrius. Venetiæ quàm multi patricij totum etiam caput radunt? Quid autem habet prodigiosum uestis? Non'ne tegit corpus? Ad duplicem usum adhibetur uestis, ut depellatur iniuria cœli, eaq; uelet, quæ pudor iubet tegi. An non hos usus præbet hæc uestis? Sed offendit color: quis color magis decet omnes Christianos, quàm is, qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoq;, Accipe uestem candidam. Hæc itaq; uestis admonet me quid promiserim in baptismo, nimirum innocentiæ perpetuum studium. Porrò solitudinem si uocas turbæ fugã, hoc exemplum est nõ nostrum, sed ueterũ prophetarum, atq; etiam philosophorum ethnicorum, & quibuscunq; bonæ mentis cura fuit: imò poëtæ, astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra uulgus hominum moliuntur, secessum quærere solent. Quur autem uoces hanc solitudinem? Vnius amiculi confabulatio pellit solitudinis tædium. Hîc habeo sodales omnium rerum plus quàm sedecim. Ad hæc interuisunt amici crebrius quàm uellem, aut expedit, & tibi uideor in solitudine uiuere? MI. At non semper licet cum his confabulari. CA. Nec semper expedit. Atque hòc iucundior est confabulatio, quòd uoluptatis gratiam augeat interrupta copia.

Interrupta copia. Iuuena. Voluptates cõmendat rarior usus.

MIL. Non pessimè coniectas. Nam mihi quoq; suauiores sunt carnes reuoluto pascha post quadragesimam.

CA.

CA. Nec interim tamen, quum maximè uideor solus, desunt mihi confabulones longè festiuiores ac suauiores istis uulgaribus congerronibus. MI. Vbi sunt? CA. Vides hìc codicem Euangelicum: in hoc mecum fabulatur ille, qui olim additus facundus comes in uia duobus discipulis proficiscentibus in Emauntem, effecit, ut non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcissimum cordis ardorem, inbiantes mellitis illius sermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in hoc Esaias, cæteriq; prophetæ. Hìc mecum confabulatur dulcissimus ille Chrysostomus: hìc Basilius: hìc Augustinus: hìc Hieronymus: hìc Cyprianus: cæteriq; non minus eruditi quàm facundi doctores. An nosti ullos tam amœnos confabulones, quos cum his conferas? An in tali sodalitio quod mihi nunquàm non adest, reputas obrepere posse solitudinis tædium? MIL. Mihi frustra loquerentur non intellecturo. CAR. Iam quid refert quibus rebus hoc corpusculum alatur? cui minimo satis fit, si iuxta naturam uiuamus. Vter nostrum habitior, tu qui uescris perdicibus, phasianis, & capis, an ego qui uiuo piscibus? MI. Si tibi esset uxor, ut mihi est, minus haberes succi. CA. Et ideo sufficit quilibet cibus, & quantumuis exiguus. MI. Sed interim agitas uitam Iudaicã. CA. Bona uerba: Christianam si non assequimur, certè sequimur. MI. In ueste, cibo, preculis, cæterisq; ceremoniis ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Euangelicæ. CA. Quid alij faciant, non est meum iudicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumq; tribuo, sed in animi puritate & in Christo colloco fiduciam. MI. Cur igitur obseruas? CA. Vt mihi pax sit cum fratribus meis, & ne cui quoquo

modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob huiusmodi res leuiculas, quas nihil est negotij seruare. Vt sumus homines quacunq; ueste tecti, minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat, aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut uestis color, per se quidem non cõmendat me Deo. Sed quid diceret populus, si comam alerem, aut tuam istam uestem sumerem? Reddidi tibi rationem mei consilij, nunc quæso ut mihi uicissim tui consilij rationem reddas, dicasq; ubi cessarint omnes boni medici, quum relicta domi uxore iuuencula & liberis, proficisceris in militiam, uili salario conductus ad iugulandos homines, idq; tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi res erat cum fungis aut papaueribus, sed cum armatis uiris. Vtrum uerò putas infelicius, iugulare Christianum hominem ob mercedulam, à quo nunquàm fis læsus, an teipsum simul & corpus, & animam in æternum exitium mittere? M I. Fas est occidere hostem. C A. Fortasis est, si impetat patriam tuam. Tum pium uideri potest, pugnare pro liberis & uxore, pro parentibus & amicis, pro aris & focis, pro tranquillitate publica. Quid isthuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si perisses in hoc bello, non redemissem animam tuam uitiosa nucc. M I. Non? C A. Non, ita me Christus bene amet. Iam utrum existimas durius, obedire bono uiro, quem nos Priorem uocamus, qui uocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam salutarem, ad psallendum Deo: an obedire barbaro cuipiam Centurioni, qui sæpe magnis ac nocturnis itineribus uocet quò lubet, ac reuocet, qui bombardarum ictibus obijciat, qui iubeat te stare loco, aut occisurum, aut

Fungi fragiles sunt, & papaueria solēt decolari baculo.

Pro aris & focis, uerba sunt historicis peculiaria. Per arā significant religionē deorum, per focum rem domesticā. Nā & focus sacer erat laribus,

aut occidendum? MI. Minus narras, quàm res habeat, malorum. CA. Si quid ego deflexero à disciplina huius instituti, pœna est admonitio, aut aliud leue quiddam: tibi, si quid committas aduersus leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lancearum cuspides eundum: Nam plecti capite beneficium est. MI. Non possum refragari ueris. CA. Iam cultus iste satis indicat te non multum nummorũ referre domum. MI. Nummorum mihi iampridem ne pilus quidem fuit, imò multum æris alieni conflaui. Proinde huc deflexi, ut me instruas uiatico. CA. Vtinam huc deflexisses, quum properares in sceleratam istam militiam. Sed unde tanta nuditas? MI. Rogas unde? Quicquid ex salario, quicquid ex prædationibus, sacrilegijs, rapinis, furtis parare licuit, id totum absumebatur in uina, scorta, & aleam. CA. O te miserum. Et interim uxorcula, cuius gratia Deus iussit relinqui patrem & matrem, domi mœrebat deserta cum paruis liberis. Et interea tibi uidebaris uiuere, in tantis miserijs, in tantis sceleribus? MI. Hoc fallebat sensum malorum, quòd innumeros haberem malorum socios. CA. Quin illud uereor, ne uxor te non agnoscat. MIL. Quî sic? CAR. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi nouam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exectum fuisse cornu. MIL. Imò si rem nosses, gratulareris mihi hanc cicatricem. CA. Quam ob rem? MI. Minimo minus aberat, quin perierim. CART. Quid erat mali? MI. Cuidam tendenti rupta est balliſta chalybea, eius fragmentum insilijt in frontem. CA. Et in bucca cicatricem habes palmo longiorem. MIL. Hoc uulnus accepi in pu-

gna, C A. Bellica? M I. Non: inter aleam ortum est dissidium. C A. Iam & in mento uideo nescio quid gemmarum. M I. Nihil est. C A. Suspicor tibi contractam scabiē, quam uocant Hispanicam. M I. Rectè diuinas mi frater. Tertiùm ea laboraui usq; ad uitæ periculum. C A. Vnde hoc mali accidit tibi, ut sic incuruus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi delumbatus esses fuste? M I L. Morbus ita contraxit neruos. C A. Næ hic magnificam passus es metamorphosin. Antehac eras eques, nunc ex Centauro factus es animal semireptile. M I. Hæc nimirùm est alea Martis. C A. Imò hæc est insania tuæ mentis. Quas uerò manubias uxori tuæ, liberisq; tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies nihil aliud est, quàm lepræ species: nisi quòd ideo non uitatur, quia multorum est communis, præcipuè nobilium: at ob hoc ipsum magis debebat uitari. Nunc isthuc malum affricabis ijs, qui tibi debuerant esse charissimi: & ipse per omnem uitam putre cadauer circunferes. M I L. Quæso te frater, ut desinas: satis malorum est, etiam si non accedat obiurgationis molestia. C A R. Quotam autem malorum partem commemoraui? Ista corporis duntaxat sunt. Iam animam uerò qualem reportas, quanta scabie putrē, quot uulneribus sauciam? M I L. Tam puram refero, quàm est cloaca Parisijs in uia, quæ dicitur uulgò Maberti, aut latrina publica. C A R T H. Vereor ne multò peius oleat apud Deum & angelos eius. M I L. Sed iam rixæ satis est, dic aliquid de sarciendo uiatico. C A R T. Mihi nihil est quod dem, experiar quid uelit Prior. M I L. Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus: nunc multæ obstant

sunt difficultates, quando numerandum est aliquid. CA. *Quid alij faciant, ipsi uiderint, mihi nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verùm de his à prandio: nunc tempus monet, ut accumbamus.*

PSEVDOCHEI ET PHILETYMI.

Pseudochens, fusor mẽdaciorum.

Philetymus, amãs ueritatis.

PHI. *Vnde tibi scatet tanta mendaciorum uis?* PS. *Vnde suppetunt araneæ fila?* PHIL. *Non est igitur artis, sed naturæ?* PS. *A natura profecta sunt femina, ars & usus auxere facultatem.* PHI. *Non te pudet?* PS. *Non magis quàm coccycem suæ cantionis.* PHI. *At tibi in manu est mutare cantionẽ tuam, & in hoc est homini data lingua, ut uera prædicet.* PS. *Imò ut conducibilia. At non semper expedit uera dicere.* PHI. *Ita nonnunquam conducit habere manus furaces. Et hoc uitium esse tuo cognatum testatur etiam populare prouerbium.* PS. *Vtrunq; uitium honestis nititur autoribus: illud habet Vlyssem tantopere laudatum ab Homero, hoc Mercurium etiam Deum, si poëtis credimus.* PHI. *Cur igitur uulgus execratur mendaces, fures etiam subiguntur in crucem?* PS. *Non ideo quòd mentiantur, aut furentur, sed quòd insciтè mentiantur aut furentur, uel quia præter naturam, uel quia non satis callentes artem.* PHI. *Est'ne scriptor quispiam, qui tradit artem mentiendi?* PSE. *Bonam artis partem monstrauere tui rhetores.* PH. *Hi quidem tradunt artem bene dicendi.* PS. *Verum, sed bona pars bene dicendi est, scitè mentiri.* PH. *Quid est scitè mentiri?* PSE. *Vis definam?* PH. *Volo.* PS. *Est ita mentiri, ut lucro sit, nec deprehẽdi possis.* PH. *At quotidie deprehenduntur multi.* PS. *Isti nõ sunt artifices absoluti.* PHI. *Es igitur tu absolutus arti-*

fex? PS. Propémodum. PH. Experire an me poßis mentiendo fallere. PS. Et te quoq; poßim, uir optime, si libeat. PH. Dic igitur aliquod mẽdacium. PS. At iam dixi. Non deprehendisti? PH. Non. PS. Agè fac sis attentus. Nunc incipiam mentiri. PH. Sum attentus, dic aliquid. PS. At iam iterum mentitus sum, te non deprehendente. PHI. Equidem nihil adhuc audio mẽdacij. PS. Audisses, si calleres artem. PHI. Proinde commonstra tu. PS. Primum appellaui te uirum optimum. An non isthuc est insigne mendacium, quum ne bonus quidem sis: & si bonus esses, optimus dici non poßis, quum sint innumeri te meliores? PH. Hìc planè fefelleras. PS. Iam fac periculum, an poßis alterũ mendacium ex te deprehendere. PH. Non poßum. PS. Hìc desydero ingenium, quod alibi præstas. PH. Fateor, ostende tu. PS E. Quum dicerem, nunc incipiam mentiri, non'ne magnificè mentiebar, quum tot annos assueuerim mentiri, & paulò antè, quàm hoc dicerem, essem mentitus? PH. Mirum præstigium. PS. Sed nunc saltem monitus arrige aureis, ut deprehendas mentientem. PH. Arrexi, dic. PS. Imò iam dictum est, & tu meum mendacium es imitatus. PH. Tu mihi persuadebis, quòd nec aures habeam, nec oculos. PS. Quum homini sint aures immobiles, ut nec arrigi poßint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures. PHIL. Talibus mendacijs plena est omnis hominum uita. PS E. Non talibus tantùm, ô bone. Nam hæc ludicra sunt, sunt quæ rem adferant. PS. Turpius est lucrum ex mendacio, quàm ex lotio. PS. Verum est, inquam, sed ijs qui mentiendi nesciunt artem. PHI. Quam igitur tu calles artem? PS. Non æquum est, ut te gra

Ex lotio. Alludit ad Vespasiani dictum: Lucri bonus odor ex re qualibet.

Nam is uectigal collegit ex lotio, re malè olente, at non malè olebat pecunia.

gratis doceam, numera, & audies. PH. *Non emo malas artes.* PS. *Donas igitur gratis fundum tuum?* PH. *Non sic insanio.* PS. *At ego ex hac arte mea certiores capio fructus, quàm tu ex tuo fundo.* PH. *Manebit tibi ars tua, tantùm profer specimen, ut intelligam non omnino uanum esse quod dicis.* PS. *Accipe igitur specimen. Multis multorũ negotijs memet admisceo, emo, uendo, recipio, sumo mutuo, accipio depositum.* PH. *Quid tum postea?* PS. *Atq; hìc potissimum capto eos, à quibus non facilè deprehendar.* PH. *Quos?* PS. *Stupidos, obliuiosos, incogitantes, longè semotos, & mortuos.* PH. *Certum est mortuos neminem redarguere.* PS. *Si quid cui uendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum.* PHI. *Quid deinde?* PS. *Vbi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori, quàm acceperit. Is si incogitans est, aut obliuiosus, mihi certum est lucrum.* PH. *Quid si deprehendat?* PS. *Profero librum rationalem.* PHI. *Quid si is doceat & euincat, se non accepisse quod imputas?* PSE. *Reclamo quantùm possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Deniq; extrema ancora est, ut aliquid comminiscar.* PH. *Quid palàm deprehensus?* PS. *Nihil est facilius, erranit famulus, aut ipse lapsus sum memoria. Scitum est multas simul miscere rationes, hìc facilius est imponere. Exempli causa: Sunt quædam dispuncta, quòd soluta sit pecunia: sunt alia pro quibus nihil numeratum est. Hæc in posterioribus codicillis misceo, sic ut nihil dispungam. Vbi supputatur, contendimus, & uinco plerunque, uel periurio. Est & hoc artis: ferè rationem ineo cum accincto ad iter, & imparato. Nam mea mihi semper parata*

Specimen, id est, gustum, uel exemplum.

Extrema ancora, id est, supremum refugiũ. uide prouerbiũ de sacra ancora.

sunt. Deponitur aliquid apud me, seruo clàm apud me, nec reddo. Longum est prius quàm resciscat ille, ad quem res missa est. Tandem si non licebit inficiari, dico mihi periisse, aut contendo me misisse, quod non misi, incuso aurigas. Postremò si uitare non possum, quin reddam, reddo acci-

Eodē nomine. Nomen hic titulus est debiti: unde & p debitoribus accipiūtur nomina.

sum. PHI. Bella uerò ars. PS. Nonnunquam eodem nomine bis accipio pecuniam, si liceat: Primùm domi, deinde illhic quò proficiscor: & nusquam non sum. Interim tempus inducit obliuionem, confunduntur rationes, aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem: ut omnia peßimè cadant, saltem interim usus sum aliena pecunia. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, ut faciant mentienti, sed semper de alieno: de meo nec matri darem teruncium. Quanquàm autem in singulis uideatur lucrum exiguum, ex multis tamen (multis enim memet, ut dixi, misceo) nascitur aceruus haudquaquam pœnitendus. Porrò ne deprehendar, quum multæ sunt technæ, tum illa præcipua omneis omnium epistolas, quas possum intercipio, resigno ac lego. Si quid obfuturum suspicor, premo: aut si reddo, reddo meo tempore. Ad hæc inter longo semotos interuallo mendacijs meis sero simultatem. PHIL. Quis isthinc usus? PSEV. Geminus: Primum, si non præstatur quod alterius nomine promisi, & quo nomine munus etiam accepi: nam fumos huiusmodi magno

Fumos huiusmodi uide prouerb. Fumos uēdere.

uendo: fingo per illum aut illum stetisse, quo minus persolutum sit. PHI. Quid si neget ille? PSEVD. Is procul abest, puta Basilcæ, ego polliceor in Anglia: deinde fit, ut orta simultate neuter alteri credat, si quid incuset. Habes specimen artis. PHILE. At istam artem nos crassi-

re

res solemus uocare furtum, qui ficum uocamus ficum, & scapham scapham. P S. *O hominem iuris Cæsarei rudem. An licet intendere actionem furti ei qui suppreſsit depoſitum, aut qui abiurat mutuum, aut simili techna impoſuit.* P H. *Oportuit.* P S. *Proinde uide prudentiã artificũ. Ex his plus eſt lucri, aut certè tantundem, & minus eſt periculi.* P H. *Malè ſit tibi cum tuis technis ac mendacijs. Non enim libet dicere, uale.* P S. *Tu ringere cum tua pannoſa ueritate, ego interim ſuauiter agam cum meis furtis ac mendacijs, dextro Vlyſſe ac Mercurio.*

Ficum ficum. ſcapham. Græca uox ambigua eſt, ſed opinor melius uerti per ligonem, à σκάπτω, quod eſt fodio, Vlyſſe ac Mercurio. Vlyſſes ab Homero fingitur uafer ac mendax. Mercurius adſert lucrum, uafer & ipſe ac furax.

NAVFRAGIVM.

ANTONIVS. ADOLPHVS.

AN. *Horrenda narras. Eſt iſthuc nauigare? Prohibeat Deus ne mihi quicquam unquam tale ueniat in mentem.* AD. *Imò quòd hactenus memoraui, luſus merus eſt præ his quæ nunc audies.* AN T. *Plus ſatis malorum audiui: inhorreſco te memorante, quaſi ipſe periculo interſim.* AD. *Imò mihi iucundi ſunt acti labores. Ea nocte quiddam accidit, quod magna ex parte ſpem ſalutis ademit nauclero.* AN. *Quid obſecro?* AD. *Nox erat ſubluſtris, & in ſummo malo ſtabat quidam è nautis in galea, ſic enim uocant, opinor, circunſpectans, ſiquam terram uideret, huic cœpit aſsiſtere ſphæra quædam ignea: id nautis triſtiſsimũ oſtentum eſt, ſi quãdo ſolitarius ignis eſt, felix, quum gemini. Hos uetuſtas credidit Caſtorem et Pollucẽ.* AN. *Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil?* AD. *Sic uiſum eſt poëtis. Nauclerus qui clauo aſsidebat, Socie, inquit (nam eo nomine ſe mutuo compellant nautæ) uides ne, quod ſodalitium tibi claudat latus?*

Horrenda narras. ex abrupto incipit colloquium more cœmœdiarum.

Subluſtris, quę nonnihil habebat lucis.

Caſtorẽ & Pollucẽ. Vide Plí. lib. 2. cap. 37.

Claudat latus. id eſt, adſtet lateri. Sic Horat. Vt ne tegam ſpurco Damæ latus?

Video

Video, respondit ille, & precor ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes deuoluit sese usque ad nauclerum. A N T. Num ille exanimatus est metu? A D. Nautæ assueuere monstris. Ibi paulisper commoratus, uoluit se per margines totius nauis: inde per medios foros dilapsus euanuit. Sub meridiem cœpit magis ac magis increscere tempestas. Vidisti'ne unquam Alpes? A N. Vidi. A D. Illi montes uerrucæ sunt, si conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties demittebamur, uidebamur debiscente terra recta ire in Tartara. A N. O insanos qui se credũt mari. A D. Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adijt. A N. Is pallor præsagit aliquod magnum malum. A D. Amici, inquit, desij esse dominus nauis meæ: uicere uenti, reliquum est ut spem nostram collocemus in Deo, & quisque se paret ad extrema. A N. O uerè Scythicam concionem. A D. In primis autem, inquit, exoneranda est nauis. sic iubet necessitas, durum telum. præstat consulere uitæ dispendio rerum, quàm simul cum rebus interire. Persuasit ueritas: proiecta sunt in mare plurima uasa plena pretiosis mercibus. A N. Hoc erat uerè iacturam facere. A D. Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiæ, huic erat scrinium plenum uasis argenteis, anulis, panno, ac uestimentis sericis. A N. Is nolebat decidere cum mari? A D. Nõ, sed cupiebat aut perire cum amicis opibus suis, aut simul cum illis seruari. Itaq; refragabatur. A N. Quid nauclerus? A D. Per nos, inquit, liceret tibi cũ tuis perire sõlum, sed æquum non est, ut nos omnes tui scrinij causa periclitemur

Fori sunt tabulata nauis ac ueluti tectum.

Verrucę, id est, tubercula. Sic Cato, ni fallor, collem uerrucã appellauit.

Scythicam cõcionem, id est, durã. uide pro uerbium, σκυθικὴν ῥῆσιν.

Durum telum. Alludit ad illud Plinij. Maximum telum necessitas. rursum ad illud: τῇ ἀνάγκῃ δ' οὐ θεοὶ μάχονται.

Iactura damnũ est, & iacturam facere dicitur, quisquis dãno afficit. hìc erat uera iactura à laciendo dicta.

Decidere est paciſci portione rerum, ut reliqua maneant salua.

Amicis opibus pro adamatis.

temur, alioqui te unà cum scrinio dabimus in mare præcipitem. A N. Oratione uerè nauticam. A D. Sic Italus quoque iacturã fecit multa mala precãs & superis, et inferis, quòd suam uitam elemento tam barbaro credidisset. A N. Agnosco uocem Italicam. A D. Paulò pòst uenti nihilo mitiores facti nostris muneribus, rupere funes, disiecere uela. A N. O calamitatẽ. A D. Ibi rursus nos adit nauta. A N. Concionaturus? A D. Salutat, Amici, inquit, tẽpus hortatur ut unusquisq; Deo se commendet, ac morti se præparet. Rogatus à quibusdam nauticæ rei non imperitis, ad quot horas se crederet posse tueri nauem, negauit se posse polliceri quicquam, sed ultra tres horas non posse. A N. Hæc concio durior etiam erat priore. A D. Hæc ubi locutus est, iubet incidi funes omnes, ac malum usque ad thecam, cui inseritur, incidi serra, ac simul cum antennis deuolui in mare. A N. Cur hoc? A D. Quoniam sublato aut lacero uelo erat oneri, non usui, tota spes erat in clauo. A N. Quid interea uectores? A D. Ibi uidisses miseram rerum faciem nautæ canentes, Salue regina, implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, reginã cœli, dominã mundi, portum salutis, alijsq; multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ. A N. Quid illi cũ mari, quæ nunquàm, opinor, nauigauit? A D. Olim Venus agebat curã nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam desijt curare, suffecta est huic matri non uirgini Virgo mater. A N. Ludis. A D. Nõnulli procumbentes in tabulas, adorabant mare, quicquid erat olei effundentes in undas, non aliter illi blandiẽtes, quàm solemus irato principi. A N. Quid aiebant? A D. O clemen-

Vere nauticã. Semper nauræ fingũtur immanes. Quale est elemẽtum, tales sunt & illi.

Vocem Italicã. Nam Itali magno stomacho barbarũ uocãt. quicquid est peregrinum.

Calamitatem. quod est culmorũ, traxit ad instrumẽta nauis.

Quicquid erat olei. Ea natura est olei, ut lucẽ adferat ac tranquillet oĩa, etiã mare, quo non aliud elementũ implacabilius.

tiß

mentißimum mare, ô generoſißimum mare, ô ditißimum mare, ô formoſißimum mare, miteſce, ſerua. Huiuſmodi multa occinebant ſurdo mari. AN. Ridicula ſuperſtitio. Quid alij? AD. Quidam nihil aliud quàm uomebant, plerique uota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Vualſamgamicæ, ſi uiuus attigiſſet terram. Alij multa promittebant ligno crucis, quod eſſet in tali loco, alij rurſum quod eſſet in tali loco. Idem factum eſt de Maria Virgine, quæ regnat in multis locis, & putant uotum irritum, niſi locum exprimas. AN. Ridiculum: quaſi diui non habitent in cœlis. AD. Erant qui ſe promitterent fore Carthuſianos. Erat unus, qui polliceretur ſe aditurum diuum Iacobum, qui habitat Compoſtellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantùm lorica ferrea tecto, ad hæc cido emendicato. AN. Nemo meminit Chriſtophori? AD. Vnum audiui non ſine riſu, qui clara uoce, ne non exaudiretur, polliceretur Chriſtophoro, qui eſt Lutetiæ in ſummo templo, mons uerius quàm ſtatua, cereum tantum quantus eſſet ipſe. Hæc quum uociferans quantum poterat, identidem inculcaret, qui fortè proximus aßiſtebat illi notus, cubito tetigit eum ac ſubmonuit: Vide quid pollicearis, etiam ſi rerum omnium tuarum auctionem facias, non fueris ſoluendo. Tum ille uoce iam preßiore, ne uidelicet exaudiret Chriſtophorus: Tace, inquit, fatue, an credis me ex animi ſententia loqui? Si ſemel contigero terram, non daturus ſum illi candelam ſebaceam. AN. O craſſum ingenium, ſuſpicor fuiſſe Batauum. AD OL. Non, ſed erat Zelandus. AN. Miror nulli in mentem uenißе Paulum apoſtolum

Auctionē, uēditionis genus, in quo à licitantibus intēditur pretium.

Batauum. uulgari ioco Batauі dicuntur craſsi.

ſtolum, qui ipſe olim nauigarit, & fracta naui deſilierit in terram. Is enim haud ignarus mali didicit miſeris ſuccurrere. AD. Pauli nulla erat mentio. AN. Precabatur interim? AD. Certatim. Alius canebat, Salue regina: alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quaſdam preculas habebant non diſſimiles magicis, aduerſus pericula. AN. Vt afflictio facit religioſos, rebus ſecundis nec Deus, nec diuus quiſquam nobis uenit in mentem. Quid tu interea? Nulli diuorum nuncupabas uota? AD. Nequaquam. AN. Cur ita? ADOL. Quia non paciſcor cum diuis. Quid eſt enim aliud, quàm contractus iuxta formulam, Do, ſi facias: aut, faciam, ſi facias: dabo cereum, ſi enatem: ibo Romam, ſi ſerues? ANT. At implorabis alicuius diui præſidium. AD. Ne id quidem. AN. Quamobrem autem? ADOL. Quia ſpatioſum eſt cœlum. Si cui diuo commẽdaro meam ſalutem, puta ſancto Petro, qui fortaſſe primus audiet, quòd adſtet oſtio, prius, quàm ille cõueniat Deum, prius, quàm exponat cauſam, ego iam periero. AN. Quid igitur faciebas? ADOL. Recta adibam ipſum patrem, dicens: Pater noſter qui es in cœlis. Nemo diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. ANT. Sed interea non reclamabat tibi conſcientia? Non uerebaris appellare patrem, quem tot ſceleribus offenderas? AD. Vt ingenuè dicam, deterrebat nonnihil conſcientia, ſed nox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus eſt pater tam iratus filio, quin ſi uideat eum periclitantem in torrẽte aut lacu, capillis arreptum eiiciat in ripam. Inter omnes nullus ſe tranquillius agebat, quàm mulier quædã, cui erat infantulus in ſinu, quem lactabat. ANT. Quid illa?

illa? AD. Sola nec uociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur: tantùm cõplexa puellum precabatur tacitè. Interea dum nauis subinde illideretur uado, nauclerus metuens ne tota solueretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. AN. O misera præsidia. AD. Interim exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta, nomen erat Adamus, is abiectis uestibus usque ad indusium, abiectis etiam ocreis & calceis, iussit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio nauis, concionatus est nobis ex Gersone quinque ueritates de utilitate confitendi, hortatus omnes ut se quisque præpararet & uitæ, & morti. Aderat & Dominicanus quidam: his confessi sunt qui uolebant. AN. Quid tu? AD. Ego uidens omnia plena tumultus, tacitè confessus sum Deo, damnans apud illum meam iniustitiam, & implorans illius misericordiam. AN. Quò migraturus, si sic periisses? AD. Hoc committebam iudici Deo. Neque enim uolebam esse mei ipsius iudex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque: nam nauis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Iam enim locis aliquot conuulsa hauriebat mare. Paulò pòst nauta renũtiat nobis se uidere procul turrim sacram, adhortans, ut diui quisquis esset eius templi præses, anxilium implorare remus. Procumbunt omnes, & orant ignotum diuum. AN. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset. AD. Erat ignotum. Interim nauclerus quantum potest cò nauim dirigit iam laceram, iam undique combibentẽ undas, ac planè dilapsuram, ni rudentibus fuisset succincta. AN.

Dura

Dura rerum conditio. A D. *Eò prouecti sumus, ut eius loci incolæ prospicerent nos periclitantes, ac procurrentes cateruatim in extremum littus, sublatis togis & galeris in laceas impositis, inuitabant ad se, ac iactatis in cœlum brachijs significabant se deplorare nostram fortunam.* A N. *Expecto quid euenerit.* A D. *Iam mare totum nauim occuparat, ut nihilo tutiores essemus futuri in naui quàm in mari.* A N. *Hîc ad sacram ancoram confugiendum erat.* A D. *Imò ad miseram. Nautæ scapham exonerant aqua, ac demittunt in mare. In hanc omnes se conantur conijcere, nautis magno tumultu reclamãtibus, scapham non esse capacem tantæ multitudinis, arriperet sibi quisque quod posset, ac natare. Res non patiebatur lenta consilia, alius arripit remum, alijs contum, alius alueum, alius situlam, alius tabulam, ac suo quisque præsidio nitentes, committunt se fluctibus.* A N T. *Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ sola non eiulabat?* A D. *Illa omnium prima peruenit ad littus.* A N T. *Quî potuit?* A D. *Imposueramus eam repandæ tabulæ, & sic alligaueramus, ut non facilè posset decidere: dedimus illi tabellam in manum, qua uice remi uteretur: ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset à naui, unde erat periculum. Illa læua tenens infantulum, dextra remigabat.* AN. *O' uiraginem.* AD. *Quum iam nihil superesset, quidam auulsit ligneam statuã uirginis matris, iam putrem atq; excauatam à soricibus, eamq; cõplexus cœpit natare.* A N. *Scapha peruenit incolumis?* AL. *Nulli prius periere. Porrò triginta se in eam coniecerant.* AN. *Quo malo fato id factum est?* AD. *Prius quàm*

posset se liberare à magna naui, illius uacillatione subuer sa est. AN. O' factum malé. Quid tum? AD. Ego, dum alijs consulo, penè perieram. A N. Quo pacto? A D. Quia nihil supererat aptum natationi. A N. Illhic subera fuissent usui. A D. In eo rerũ articulo maluissem uile suber, quàm candelabrum aureum. Circunspicienti tandem uenit in mentem de ima mãli parte: eam quoniam solus eximere non poteram, asciscо socium: huic ambo innixi, committimus nos mari, sic ut ego dextrum cornu tenerem, ille læuum. Dum sic iactamur, sacrificus ille concionator nauticus, medium iniecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus, Quis ille tertius? Is perdet nos omnes. Ille contrà placidè, Sitis, inquit, bono animo, sat spatij est. Deus aderit nobis. A N. Cur ille tam serò cœpit esse natator? A D. Imò futurus erat in scapha unà cum Dominicano. Nam omnes hoc honoris illi deferebant. sed quanquàm erant inuicem confessi in naui, tamen obliti nescio quid circunstantiarum, rursus ibi in ora nauis confitentur, & alter alteri manum imponit, interim scapha perit, nam hæc mihi narrauit Adamus. A N. Quid actum est de Dominicano? A D. Is, ut idem narrabat, implorata diuorum ope, abiectis uestibus nudum se commisit natationi. AN. Quos diuos inuocabat? A D. Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum, sed in primis fidebat Catarinæ Senensi. A N. Christus illi non ueniebat in mentem? A D. Ita narrabat sacrificus. A N. Melius enatasset, si non abiecisset sacram cucullam: ea deposita, qui potuit illum agnoscere Catarina Senensis? Sed perge narrare de te. A D. Dum adhuc uoluere mur

iuxta

iuxta nauim, arbitrio fluctuum huc & illhuc se uoluentẽ, clauus illisus fregit femur eius qui tenebat læuum cornu. Sic ille reuulsus est: sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenuè moucrem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeò Neptunus nobis non balneum tantùm salsum, sed potionem etiam salsam temperarat, quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. AN. Quod obsecro? AD. Quoties unda nobis occurreret, ille opposuit occipitium, ore clauso. ANT. Strenuum senem mihi narras. AD. Vbi iam aliquandiu sic natantes nonnihil promouissemus, sacrificus quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo, sentio uadum. Ego non ausus tantum sperare felicitatis, Longius, inquam, absumus à littore, quàm ut uadum sperandum sit. Imò, inquit, sentio pedibus terrã. Est, inquam, fortassis è scrinijs aliquod, quod huc deuoluit mare. Imo, inquit, scalptu digitorum planè sentio terram. Quum adhuc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret uadũ, Tu fac, inquit, quod tibi uidetur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, & uado me credo: simulq; expectato fluctuum decessu, pedibus sequutus est quanto potuit cursu. Rursus accedentibus undis, utraq; manu complexus utrunq; genu, obnitebatur fluctui, occultans sese sub undis, quemadmodum solent mergi & anates: rursus abeunte fluctu promicabat & currebat. Ego uidẽs hoc illi succedere, sum imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter se prælongis hastilibus fulciebant se aduersus impetum undarum uiri robusti, & fluctibus

bus assueti, sic ut ultimus hastam porrigeret annatanti. Ea contacta, omnibus in littus se recipientibus, tutò pertrahebatur in siccum. Hac ope seruati sunt aliquot. AN. Quot? AD. Septem, uerùm ex his duo soluti sunt tepore, admoti igni. A N. Quot eratis in naui? A D. Quinquaginta octo. AN. O' sæuum mare, saltem decimis fuisset contentũ, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? AD. Ibi experti sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, uestes, uiaticum. AN. Quæ gens erat? A D. Hollandica. A N T. Ista nihil humanius, quum tamen feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum. A D. Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem. ANT. Et ego malim audire tales fabulas, quàm experiri.

DIVERSORIA.

BBRTVLPHVS, GVLIELMVS.

BER. Cur ita uisum est plerisque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec peruenero, quò constitui. G V. Imò ego admiror quenquam illhinc auelli posse. BERT. Quam ob rem tandem? GV. Quia illhic locus est, unde nõ poterant auelli socij Vlyßis, illhic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur melius, quàm illhic in pandocheo. BE. Quid fit? GV. Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ conuiuium exhilararet facetijs, ac leporibus. Et est illhic mira formarum felicitas. Primùm adibat materfamiliâs, quæ salutabat, iubens nos hilares esse, & quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia mulier elegans, moribus

moribus ac lingua adeò festiuis, ut posſit uel ipſum Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum hoſpitibus ignotis, ſed ueluti cum olim notis ac familiaribus. BER. Agnoſco Gallicæ gentis humanitatem. GVL. Quoniam autem illæ non poterant adeſſe perpetuò, quòd eſſent obcunda munia domeſtica, reliquiq; conuiuæ conſalutandi, cõtinẽter adſtabat puellula quædam ad omneis iocos inſtructa, una ſatis erat omnium iaculis excipiendis: hæc ſuſtinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. BERT. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur uenter. GVL. Profectò lautus, ut ego mirer illos tam uili poſſe accipere hoſpites. Rurſus peracto conuiuio, lepidis fabulis alunt hominẽ, ne quid obrepat tædij. Mihi uidebar domi eſſe, non peregre. BE. Quid in cubiculis? GV. Illhic nuſquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, laſciuiẽtes, luſitãtes, ultro rogabant, ſi quid haberemus ueſtium ſordidarum: eas lauabãt, ac lotas reddebãt. Quid multis? Nihil illhic uidimus præter puellas ac muliẽres, niſi in ſtabulo: quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoq; affectu dimittunt, ac ſi fratres eſſent omnes, aut propinquæ cognationis. BE. Fortaſſis iſti mores decent Gallos, mihi magis arridẽt Germaniæ mores, utpote maſculi. GVL. Mihi nunquam contigit uidere Germaniam, quare te quæſo, ne grauere commemorare, quibus modis accipiant hoſpitem. BER. An ubiq; ſit eadem tractandi ratio, neſcio: quod ego uidi, narrabo. Aduenientem nemo ſalutat, ne uideantur ambire hoſpitem. Id enim ſordidum & abiectum exiſtimant, & indignum Germanica

mentißimum mare, ô generoſißimum mare, ô ditißimum mare, ô formoſißimum mare, miteſce, ſerua. Huiuſmodi multa occinebant ſurdo mari. AN. Ridicula ſuperſtitio. Quid alij? AD. Quidam nihil aliud quàm uomebant, plerique uota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Vualſamgamicæ, ſi uiuus attigiſſet terram. Alij multa promittebant ligno crucis, quod eſſet in tali loco, alij rurſum quod eſſet in tali loco. Idem factum eſt de Maria Virgine, quæ regnat in multis locis, & putant uotum irritum, niſi locum exprimas. AN. Ridiculum: quaſi diui non habitent in cœlis. AD. Erant qui ſe promitterent fore Carthuſianos. Erat unus, qui polliceretur ſe aditurum diuum Iacobum, qui habitat Compoſtellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantùm lorica ferrea tecto, ad hæc cido emendicato. AN. Nemo meminit Chriſtophori? AD. Vnum audiui non ſine riſu, qui clara uoce, ne non exaudiretur, polliceretur Chriſtophoro, qui eſt Lutetiæ in ſummo templo, mons uerius quàm ſtatua, cereum tantum quantus eſſet ipſe. Hæc quum uociferans quantum poterat, identidem inculcaret, qui fortè proximus aßiſtebat illi notus, cubito tetigit eum ac ſubmonuit: Vide quid pollicearis, etiam ſi rerum omnium tuarum auctionem facias, non fueris ſoluendo. Tum ille uoce iam preßiore, ne uidelicet exaudiret Chriſtophorus: Tace, inquit, fatue, an credis me ex animi ſententia loqui? Si ſemel contigero terram, non daturus ſum illi candelam ſebaceam. AN. O craſſum ingenium, ſuſpicor fuiſſe Batauum. AD OL. Non, ſed erat Zelandus. AN. Miror nulli in mentem uenißſe Paulum apoſtolum

Auctionẽ, uẽditionis genus, in quo à licitantibus intẽditur pretium.

Batauum. uulgari ioco Batauí dicuntur craſſi.

stolum, qui ipse olim nauigarit, & fracta naui desilierit in terram. Is enim haud ignarus mali didicit miseris succurrere. AD. Pauli nulla erat mentio. AN. Precabatur interim? A D. Certatim. Alius canebat, Salue regina: alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quasdam preculas habebant non dissimiles magicis, aduersus pericula. AN. Vt afflictio facit religiosos, rebus secundis nec Deus, nec diuus quisquam nobis uenit in mentem. Quid tu interea? Nulli diuorum nuncupabas uota? A D. Nequaquam. A N. Cur ita? A D O L. Quia non paciscor cum diuis. Quid est enim aliud, quàm contractus iuxta formulam, Do, si facias: aut, faciam, si facias: dabo cereum, si enatem: ibo Romam, si serues? A N T. At implorabis alicuius diui præsidium. A D. Ne id quidem. A N. Quamobrem autem? A D O L. Quia spatiosum est cœlum. Si cui diuo commẽdaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quòd adstet ostio, prius, quàm ille cõueniat Deum, prius, quàm exponat causam, ego iam periero. A N. Quid igitur faciebas? A D O L. Rectà adibam ipsum patrem, dicens: Pater noster qui es in cœlis. Nemo diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. A N T. Sed interea non reclamabat tibi conscientia? Non uerebaris appellare patrem, quem tot sceleribus offenderas? A D. Vt ingenuè dicam, deterrebat nonnihil conscientia, sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus est pater tam iratus filio, quin si uideat eum periclitantem in torrẽte aut lacu, capillis arreptum eijciat in ripam. Inter omnes nullus se tranquillius agebat, quàm mulier quædã, cui erat infantulus in sinu, quem lactabat. A N T. Quid illa?

illa? AD. Sola nec uociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur: tantùm cõplexa puellum precabatur tacitè. Interea dum nauis subinde illideretur uado, nauclerus metuens ne tota solueretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. AN. O misera præsidia. AD. Interim exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta, nomen erat Adamus, is abiectis uestibus usque ad induſium, abiectis etiam ocreis & calceis, iußit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio nauis, concionatus est nobis ex Gerſone quinque ueritates de utilitate confitendi, hortatus omneis ut se quisque præpararet & uitæ, & morti. Aderat & Dominicanus quidam: his confeßi sunt qui uolebant. AN. Quid tu? AD. Ego uidens omnia plena tumultus, tacitè confeßus sum Deo, damnans apud illum meam iniuſtitiam, & implorans illius misericordiam. AN. Quò migraturus, si sic periſſes? AD. Hoc committebam iudici Deo. Neque enim uolebam esse mei ipsius iudex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque: nam nauis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Iam enim locis aliquot conuulsa hauriebat mare. Paulò pòst nauta renũtiat nobis se uidere procul turrim ſacram, adhortans, ut diui quisquis esset eius templi præses, anxilium implora-remus. Procumbunt omnes, & orant ignotum diuum. AN. Si nomine compellaßetis eum, fortaßis audiſſet. AD. Erat ignotum. Interim nauclerus quantum potest cò nauim dirigit iam laceram, iam undique combibentẽ undas, ac planè dilapſuram, ni rudentibus fuiſſet ſuccincta. AN.

Dura

Dura rerum conditio. A D. *Eò prouecti sumus, ut eius loci incolæ prospicerent nos periclitantes, ac procurrentes cateruatim in extremum littus, sublatis togis & galeris in laceas impositis, inuitabant ad sese, ac iactatis in cœlum brachijs significabant se deplorare nostram fortunam.* A N. *Expecto quid euenerit.* A D. *Iam mare totum nauim occuparat, ut nihilo tutiores essemus futuri in naui quàm in mari.* A N. *Hîc ad sacram ancoram confugiendum erat.* A D. *Imò ad miseram. Nautæ scapham exonerant aqua, ac demittunt in mare. In hanc omnes sese conantur conijcere, nautis magno tumultu reclamãtibus, scapham non esse capacem tantæ multitudinis, arriperet sibi quisque quod posset, ac nataret. Res non patiebatur lenta consilia, alius arripit remum, alijs contum, alius alueum, alius situlam, alius tabulam, ac suo quisque præsidio nitentes, committunt se fluctibus.* A N T. *Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ sola non eiulabat?* A D. *Illa omnium prima peruenit ad littus.* A N T. *Quî potuit?* A D. *Imposueramus eam repandæ tabulæ, & sic alligaueramus, ut non facilè posset decidere: dedimus illi tabellam in manum, qua uice remi uteretur: ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset à naui, unde erat periculum. Illa læua tenens infantulum, dextra remigabat.* A N. *O uiraginem.* A D. *Quum iam nihil supereesset, quidam auulsit ligneam statuã uirginis matris, iam putrem atq; excauatam à soricibus, camq; cõplexus cœpit natare.* A N. *Scapha peruenit incolumis?* A L. *Nulli prius periere. Porrò triginta sese in eam conicerant.* A N. *Quo malo fato id factum est?* A D. *Prius quàm*

posset se liberare à magna naui, illius uacillatione subuer sa est. AN. O factum malè. Quid tum? AD. Ego, dum alijs consulo, penè perieram. AN. Quo pacto? AD. Quia nihil supererat aptum natationi. AN. Illhic subera fuissent usui. AD. In eo rerũ articulo maluissem uile suber, quàm candelabrum aureum. Circunspicienti tandem uenit in mentem de ima mãli parte: eam quoniam solus eximere non poteram, asciscо socium: huic ambo innixi, committimus nos mari, sic ut ego dextrum cornu tenerem, ille læuum. Dum sic iactamur, sacrificus ille concionator nauticus, medium iniecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus, Quis ille tertius? Is perdet nos omnes. Ille contrà placidè, Sitis, inquit, bono animo, sat spatij est. Deus aderit nobis. AN. Cur ille tam serò cœpit esse natator? AD. Imò futurus erat in scapha unà cum Dominicano. Nam omnes hoc honoris illi deferebant. sed quanquàm erant inuicem confessi in naui, tamen oblíti nescio quid circunstantiarum, rursus ibi in ora nauis confitentur, & alter alteri manum imponit, interim scapha perit, nam hæc mihi narrauit Adamus. AN. Quid actum est de Dominicano? AD. Is, ut idem narrabat, implorata diuorum ope, abiectis uestibus nudum se commisit natationi. AN. Quos diuos inuocabat? AD. Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum, sed in primis fidebat Catarinæ Senensi. AN. Christus illi non ueniebat in mentem? AD. Ita narrabat sacrificus. AN. Melius enatasset, si non abiecisset sacram cucullam: ea deposita, quì potuit illum agnoscere Catarina Senensis? Sed perge narrare de te. AD. Dum adhuc uolueremur

iuxta

iuxta nauim, arbitrio fluctuum huc & illhuc se uoluentẽ, clauus illisus fregit femur eius qui tenebat læuum cornu. Sic ille reuulsus est: sacrificus precatus illi requiem æternam, succeßit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenuè moucrem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeò Neptunus nobis non balneum tantùm salsum, sed potionem etiam salsam temperarat, quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. AN. Quod obsecro? AD. Quoties unda nobis occurreret, ille oppositi occipitium, ore clauso. ANT. Strenuum senem mihi narras. AD. Vbi iam aliquandiu sic natantes nonnihil promouissemus, sacrificus quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo, sentio uadum. Ego non ausus tantum sperare felicitatis, Longius, inquam, abstumus à littore, quàm ut uadum sperandum sit. Imò, inquit, sentio pedibus terrã. Est, inquam, fortaßis è scrinijs aliquod, quod huc deuoluit mare. Imo, inquit, scalptu digitorum planè sentio terram. Quum adhuc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret uadũ, Tu fac, inquit, quod tibi uidetur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, & uado me credo: simulq; expectato fluctuum decessu, pedibus sequutus est quanto potuit cursu. Rursus accedentibus undis, utraq; manu complexus utrunq; genu, obnitebatur fluctui, occultans sese sub undis, quemadmodum solent mergi & anates: rursus abeunte fluctu promicabat & currebat. Ego uidẽs hoc illi succedere, sum imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter se prælongis hastilibus fulciebant se aduersus impetum undarum uiri robusti, & fluctibus

bus assueti, sic ut ultimus hastam porrigeret annatanti. Ea contacta, omnibus in littus se recipientibus, tutò pertrahebatur in siccum. Hac ope seruati sunt aliquot. AN. *Quot?* AD. *Septem, uerùm ex his duo soluti sunt tepore, admoti igni.* AN. *Quot eratis in naui?* AD. *Quinquaginta octo.* AN. *O sæuum mare, saltem decimis fuisset contentũ, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit?* AD. *Ibi experti sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, uestes, uiaticum.* AN. *Quæ gens erat?* AD. *Hollandica.* ANT. *Ista nihil humanius, quum tamen feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum.* AD. *Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem.* ANT. *Et ego malim audire tales fabulas, quàm experiri.*

DIVERSORIA.

BERTVLPHVS, GVLIELMVS.

BER. *Cur ita uisum est plerisque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec peruenero, quò constitui.* GV. *Imò ego admiror quenquam illhinc auelli posse.* BERT. *Quam ob rem tandem?* GV. *Quia illhic locus est, unde nõ poterant auelli socij Vlyssis, illhic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur melius, quàm illhic in pandocheo.* BE. *Quid fit?* GV. *Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ conuiuium exhilararet facetijs, ac leporibus. Et est illhic mira formarum felicitas. Primùm adibat materfamiliâs, quæ salutabat, iubens nos hilares esse, & quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia mulier elegans, moribus*

moribus ac lingua adeò festiuis, ut posit uel ipsum Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum hospitibus ignotis, sed ueluti cum olim notis ac familiaribus. BER. Agnosco Gallicæ gentis humanitatem. GVL. Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuò, quòd essent obeunda munia domestica, reliquiq; conuiuæ consalutandi, cõtinẽter adstabat puellula quædam ad omneis iocos instructa, una satis erat omnium iaculis excipiendis: hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. BERT. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur uenter. GVL. Profectò lautus, ut ego mirer illos tam uili posse accipere hospites. Rursus peracto conuiuio, lepidis fabulis alunt hominẽ, ne quid obrepat tædij. Mihi uidebar domi esse, non peregre. BE. Quid in cubiculis? GV. Illhic nusquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, lasciuiẽtes, lusitãtes, ultro rogabant, si quid haberemus uestium sordidarum: eas lauabãt, ac lotas reddebãt. Quid multis? Nihil illhic uidimus præter puellas ac mulierẽs, nisi in stabulo: quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoq; affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. BE. Fortassis isti mores decent Gallos, mihi magis arridẽt Germaniæ mores, utpote masculi. GVL. Mihi nunquam contigit uidere Germaniam, quare te quæso, ne graueris commemorare, quibus modis accipiant hospitem. BER. An ubiq; sit eadem tractandi ratio, nescio: quod ego uidi, narrabo. Aduenientem nemo salutat, ne uideantur ambire hospitem. Id enim sordidum & abiectum existimant, & indignum Germanica

ſeueritate. Vbi diu inclamaueris, tandem aliquis per fenestellam æſtuarij (nam in his degunt ferè uſque ad ſolſtitium æſtiuum) profert caput, non aliter quàm è teſta proſpicit teſtudo. Is rogãdus eſt, an liceat illhic diuerſari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi ſit ſtabulum, mota manu commonſtrat. Illhic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admouet. Si celebrius eſt diuerſorium, ibi famulus commonſtrat ſtabulum, atq; etiam locum equo minimè commodum. Nam commodiora ſeruant uenturis, præſertim nobilibus. Si quid cauſeris, ſtatim audis: Si non placet, quære aliud diuerſorium. Fœnũ in urbibus ægrè ac perparcè præbent, nec multo minoris uendunt, quàm ipſam auenam. Vbi conſultum eſt equo, totus commigras in hypocauſtum, cum ocreis, ſarcinis, luto, id eſt unum omnibus commune. GVL. Apud Gallos deſignant cubicula, ubi ſeſe exuant, extergãt, calfaciant, aut quieſcant etiã, ſi libeat. BE. Hîc nihil tale. In hypocauſto exuis ocreas, induis calceos, mutas, ſi uoles, induſium, ueſtes pluuia madidas ſuſpendis iuxta hypocauſtum, ipſe te admoues, ut ſicceris. Eſt & aqua parata, ſi libeat lauare manus, ſed ita munda plerunq;, ut tibi pòſt alia quærenda ſit aqua, qua lotionem eam abluas. GV. Laudo uiros nullis delicijs effœminatos. BE. Quòd ſi tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. GV. Quam ob rem? BE. Nihil apparant, niſi uideant omnes, ut eadem opera miniſtretur omnibus. GV. Quærunt compendium. BE. Tenes. Itaq; frequenter idem in hypocauſtum conueniunt octoginta aut

nona

nonaginta, pedites, equites, negotiatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. G v. Isthic verè cœnobium est. B E. Alius ibi pectit caput, alius absterget sudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quàm olim in turri Babel. Quòd si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, cõtemplantes, quasi nouum aliquod animantis genus adductũ sit ex Africa, adeò ut posteà quàm accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aspiciant, nec dimoueant oculos, cibi immemores. G v. Romæ, Lutetiæ ac Venetiæ nemo quicquam miratur. B E. Nefas est interim tibi quicquam petere. Vbi iam multa est uespera, nec sperãtur plures aduẽturi, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu toruo, sordido uestitu. G v. Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse à poculis. B E. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto: quò plures adesse uidet, hòc uehementius accenditur hypocaustũ, etiam si alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non assuetus uapori, aperiat rimam fenestræ ne præfoctetur, protinus audit: Claude. Si respondeas, Non fero: audis, Quære igitur aliud diuersorium. G v. Atqui mihi nihil uidetur esse periculosius, quàm tam multos haurire eundem uaporem, maximè resoluto corpore, atque hîc capere cibum, & horas complures commorari. Iam enim omitto ructus alliatos, & uentris flatum, halitus putres: multi sunt, qui morbis occultis laborant

Cœnobium, id est, uitæ communio.

Ex Africa. Vide prouerbium Africa semper aliquid affert noui.

borant, nec ullus morbus non habet suum contagium. Certè plerique scabiem habent Hispanicam, siue, ut quidam uocant, Gallicam, quum sit omnium nationum communis. Ab his opinor non multò minus esse periculi, quàm à leprosis. Iam tu diuina, quantum discriminis sit in pestilentia. B E. Sunt uiri fortes, ista rident ac negligũt. G V. Sed interim multorum periculo fortes sunt. B E. Quid facias? Sic assuerunt, & constantis est animi, non discedere ab instituto. G V. Atqui ante annos uiginti quoque nihil receptius erat apud Brabantos, quàm thermæ publicæ: eæ nunc frigent ubiq;. Scabies enim noua docuit nos abstinere. B E. Sed audi cætera. Pòst redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed ò Deum immortalem, quàm non Milesijs, canabea diceres ex antẽnis detracta. Destinauit enim unicuique mensæ conuiuas, ut minimùm octo. Iam quibus est notus mos patrius, accumbunt, ubi cuiq; libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem ac diuitem, inter herum ac famulum. G V. Hæc est illa uetus æqualitas, quam nunc è uita submouit tyrannis. Sic opinor uixisse Christum cum suis discipulis. B E. Pòst quàm accubuerunt omnes, rursum prodit toruus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia: mox reuersus apponit, singulis pinaceum ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, déinde cyathũ uitreum, aliquantò pòst panem: eum sibi quisq; per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horæ spatio. G V. Nullus hospitũ interim efflagitat cibum? B E. Nullus, cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur uinum,

Ironicè dixit Ganymedem, quòd hic puer delicatus foui sit à poculis. Milesia, texta mollia.

Deus

Deus bone, quàm non fumosum. Non aliud oportebat bibere Sophistas: tanta est subtilitas & acrimonia. Quòd si quis hospes, etiam oblata priuatim pecunia roget, ut aliunde paretur aliud uini genus, primùm dissimulant, sed eo uultu, quasi interfecturi: si urgeas, respondent: Hìc diuersati sunt tot Comites & Marchiones, neq; quisquam quæstus est de uino meo, si non placet, quære tibi aliud diuersorium. Solos enim nobiles suæ gentis habẽt pro hominibus, & horum insignia nusquã non ostentãt. Iam igitur habent offam, quam obijciant latranti stomacho: mox magna pompa ueniunt disci. Primus fermè habet offas panis madefactas iure carnium, aut, si dies est pisculentus, iure leguminum. Déinde aliud ius, pòst aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorũ recalfactorum. Rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probè domito stomacho apponant carnes assas, aut pisces elixos, quos nõ posis omnino contemnere: sed hic parci sunt, & subitò tollunt. Hoc pacto totum conuiuiũ tẽperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros, ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curant autem, ut extremus actus sit optimus. G v. *Et hoc est boni poẽtæ.* B E. *Porrò piaculum sit, si quis interim dicat, tolle hunc discum, nemo uescitur. Desidendum est usq; ad præscriptũ spatium, quod illi clepsydris, ut opinor, metiũtur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipse uestitu minimùm à famulis differens, rogat ecquid animi nobis sit. Mox adfertur uinum aliquod generosius. Amant autem eos qui bibunt largius, cùm nihilo plus soluat ille, qui plurimum hauserit uini, quàm qui minimum.* G v. *Mi-*

Extrem⁹ actus sit optim⁹. Sententia Cic. est. Alluditur ad actus fabulæ, quorũ ultimus est quintus. Vide prouerb. Supremum fabulæ actum.

rum gentis ingenium. B E. *Quum nonnunquam sint qui duplo plus absumant in uino, quàm soluant pro conuiuio. Sed antè quàm finiam hoc conuiuium, dictu mirum, quis sit ibi strepitus ac uocum tumultus, postquàm omnes cœperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter ficti moriones, quo genere hominum quum nullum sit magis detestandum, tamen uix credas, quàtopere delectentur Germani: illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciant, ut hypocaustum uideatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea uidentur sibi suauiter uiuere, atque illhic desidendum est uolenti nolenti usq; ad multam noctem.* G V. *Nunc tandem absolue conuiuium. Nam me quoque tædet tam prolixi.* B E. *Faciam. Tandem sublato caseo, qui uix illis placet, nisi putris ac uermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos, id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis, Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponũt pecuniam, déinde alius atque alius, donec expleatur pinacium. Déinde notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite.* G V. *Quid si quid superfit?* B E. *Fortasse redderet, & faciunt hoc nonnunquam.* G V. *Nemo reclamat iniquæ rationi?* B E. *Nemo qui sapit. Nam protinus audiret, Quid tu es hominis? Nihilo plus solues quàm alij.* G V. *Liberũ hominum genus narras.* B E. *Quòd si quis ex itinere lassus, cupiat mox à cœna petere lectũ, iubetur expectare, donec cæteri quoq; cant cubitum.* G V. *Videor mihi uidere ciuitatem Platonicam.* B E. *Tum suus cuiq;*

Pinaciũ: id est, tabellam, à pinax Græco, tabula.

Platonicã, ubi æqualia sunt omnium omnia.

cuique nidus ostenditur, & uerè nihil aliud quàm cubiculum: tantùm enim ibi lecti sunt, & prætereà nihil quo utaris, aut quod fureris. GA. *Illhic mundities est.* BE. *Eadem quæ in conuiuio, lintea fortè lota ante menses sex.* GV. *Quid interim fit de equis?* BE. *Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines.* GV. *Sed est eadem ubique tractatio?* BE. *Alicubi ciuilior est, alicubi durior quàm narraui: uerùm in genere talis est.* GV. *Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ, quam Longobardiam uocant, rursus in Hispania, déinde in Anglia, & in Vualia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, ut ex his duabus gentibus mixti. Vuali se prædicant* αὐτόχθονας *Anglos.* AE. *Quæso te, ut narres. Nam mihi nunquàm contigit eas adire.* GV. *In præsentia non est otium. Nam nauta iussit, adessem ad horam tertiam, nisi uellem relinqui, & habet sarcinulam: aliàs dabitur opportunitas ad satietatem usque garriendi.*

Id est, indigenas. Aiũt enim Anglos cęteros ex Gallis, & mox ex Saxonibus esse mixtos.

ADOLESCENTIS ET SCORTI.

LVCRETIA, SOPHRONIVS.

LV. Euge mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi uideris abfuisse seculum. Prima fronte uix te agnoscebam. SO. *Quam ob rem mea Lucretia?* LV. *Quia pro imberbi nobis redisti barbatulus. Quid rei est meum corculum? Nam uidere solito toruior.* SO. *Cupio tecum seorsim colloqui familiarius.* LV. *Au, au, non solæ sumus mea mentula?* SO. *Secedamus in locum secretiorem.* LV. *Agè concedamus in cubiculum interius, si quid libet.* SO. *Nondum hic locus mihi uidetur*

detur satis secretus. LV. Vnde iste nouus pudor? Est mihi musæon, ubi repono mundum meum, locus adeò obscurus, ut uix ego te uisura sim, aut tu me. SO. Circunspice rimas omnes. LV. Rima nulla est. SO. Nullus est in propinquo, qui nos exaudiat? LV. Ne musca quidẽ, mea lux. Quid cunctaris? SO. Fallemus hic oculos Dei? LV. Nequaquam, ille perspicit omnia. SO. Et angelorum? LV. Illorum oculos non licet effugere. SO. Quî fit igitur, ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere in conspectu hominum? LV. Quid hoc nouæ rei est? uenisti huc concionaturus? Induc cucullam Franciscanam, conscende suggestum, & audiamus te barbatule. SO. Nec istud grauarer facere, si te queam ab isto uitæ genere reuocare, non solùm turpissimo, uerumetiam miserrimo. LV. Quam ob rem ô bone? uictus alicunde parãdus est. Sua quenq; alit ars, hoc est nostrum opificium, hic fundus noster. SO. Optarim, mea Lucretia, ut excussa paulisper ista animi temulentia, rem ipsam mecum considereres. LV. Serua concionem tuam in aliud tempus: nunc uiuamus mi Sophroni. SO. Tu quæstus gratia facis quicquid facis. LV. Non multùm aberrasti à scopo. SO. Nihil decedet tuo lucro, dabo quadruplum, ut auscultes tantùm. LV. Dic quæ uoles. SO. Primùm illud mihi respondc, Habesne quæ tibi malè uolunt? LV. Non unam. SO. Et quas tu uicissim odisti? LV. Vt merentur. SO. Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne? LV. Citius miscerem illis toxicum. SO. Atqui cogita nunc, an illis quicquam potueris facere gratius, quàm quòd uident te uiuere hãc uitam

Fundus. I. reditus, nam fructus annuos reddit fundus.

Viuamus, pro gaudeamus, siue lçtẽ agamus.

dedec

dedecorosam, ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius ijs, qui tibi bene uolunt? LV. Sic erat fatum meum. SO. Iam quod esse solet omnium difficilimum ijs, qui deportantur in insulas, aut relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumpsisti. LV. Quidnam est istud? SO. An non sponte renuntiasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amitæ, materteræ, cæterisq; quoscunq; tibi natura cõiunxit? Nam & illos tui pudet, nec tu sustines in illorum uenire conspectum. LV. Imò feliciter commutaui affectus meos: pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es unus, mihi fratris loco semper habitus. SO. Mitte iocos, aut rem ipsam, ut habet, expĕde seriò. Quæ tam multos habet amicos, ea nullum habet amicũ, mihi crede Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potius. Vide quò teipsam deieceris misera. Christus te tam charam habuit, ut te suo sanguine redemerit, ut te cœlestis hæreditatis cõsortem esse uoluerit, & tu te facis cloacam publicam, ad quam cõmeãt quilibet sordidi, impuri, scabiosi, suamq; spurcitiam in te repurgant. Quòd si nondum eius lepræ contagium, quam uocant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quòd si fiat, quid te infelicius, etiamsi cætera essent sequunda, puta, res & fama, quid aliud eris, quàm uiuum cadauer? Matri grauabaris esse morigera, nunc seruis lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat, hîc sæpe tibi uapulandum est ab ebrijs & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quò uictum quæreres: hîc quos tumultus, quæ peruigilia

sustines? L V. *Vnde nobis hic concionator nouus?* S O. *Iam mihi & illud fac cogites. Iste formæ flos, qui tibi conciliat amatores, breui defluxerit. Quid tum facies misera? Quod sterquilinium te fuerit abiectius? fies ex meretrice lena. Non omnibus cõtingit ista dignitas: & si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ malitiæ uicinius?* L V. *Vera sunt mi Sophroni propémodum quæ dicis omnia. Sed unde tibi ista noua sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo te uno frequentius aut intempestiuius huc commeabat. Audio te fuisse Romæ.* S O. *Fui.* L V. *Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diuersum accidit?* S O. *Dicam, quia non eodem animo, modoq; Romam adij. Cæteri ferè ideo eunt Romam, ut redeant deteriores: & ad eam rem ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cũ probo uiro profectus sum, cuius hortatu pro lagœna libellum mecum attuli, Nouum testamentum ab Erasmo uersum.* L V. *Ab Erasmo? Aiunt illum esse sesquihæreticum.* S O. *Num & huc peruenit illius uiri nomen?* L V. *Nullum celebrius apud nos.* S O. *Vidistin' hominem?* L V. *Nunquam, sed optarim uidisse, de quo tam multa audiui mala.* S O. *Fortassis à malis.* L V. *Imò à uiris reuerendis.* S O. *A quibus?* L V. *Non expedit dicere.* S O. *Quam ob rem?* L V. *Quia si tu effutires, et res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet.* S O. *Ne metue, lapidi dixeris.* L V. *Admoue aurem.* S O. *Inepta, quid opus est admota aure, quum sumus soli, ac ne Deus exaudiat? Prob Deum immortalem, uideo te piam meretricem, quæ mendicos subleues eleemosyna.* L V. *At ego ex istis mendicis*

Admoue aurẽ. Est hoc usu receptum, ut res silendas, etiam si duo soli sint in agro, tamen qui loquitur, dicat uoce submissiore, cùm nihil sit opus.

Mendicos subleues. Videtur significasse nescio qd de monachis mendicitatẽ professis.

cis plus capio lucri, quàm ex uobis diuitibus. S O. Spoliãt matronas bonas, ut effundant in meretrices malas. L V. Sed perge de libro. S O. Faciam, & præstat. Ibi me docuit Paulus, qui nescit mentiri, quòd nec scorta, nec scortatores regni cœlestis hæreditatem consequentur. Hoc ubi legissem, sic cœpi cogitare apud me: modica res est, quam expecto ex hæreditate paterna, & tamen malim renuntiare scortis omnibus, quàm à patre exhæredari: quantò magis cauendum est, ne me exhæredet pater cœlestis? Et aduersus exhæredantem aut abdicantem patrem, aliquod præsidium porrigunt humanæ leges: aduersus exhæredantem Deum, nihil est suffragij. Itaq; mihi protinus interdixi omnem scortorũ usum. L V. Si quidẽ poßis cõtinere. S O. Bona continentiæ pars est, ex animo continentem esse uelle. Postremò supereſt extremum mali remedium, uxor. Romæ in pœnitentiarij sinum totum Augiæ stabulum effudi: is multis prudenter hortatus ad puritatem animi & corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad uitæ sobrietatem, pro pœna nihil aliud indixit, quàm ut flexis genibus ad summum altare dicerem psalmum, Miserere mei Deus: & si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam Carolinum unum. Admiranti mihi quòd pro tot scortationibus tantillum pœnæ infligeret, satis facetè respõdit, Fili, inquit, si uerè pœnitet, si uitam commutas, nihil moror pœnam: sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis pœnarum exiget, etiam si sacerdos non indicat. Me uide lippum, tremulum, incuruum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas. Sic ego resipui. L V. Ergo, ut uideo, perdidi meum

Augiæ stabulum. Vide prouerbium de diuitiis sordibus.

meum Sophronium. S O. Imò lucrifeciſti. Nam antè perierat, nec ſibi amicus, nec tibi. Is nunc te ucrè amat, ac tuam ſitit ſalutem. L V. Quid igitur ſuades mi Sophroni? S O. Vt quàm primùm te ſubducas ab iſta uita. Adhuc puella es: quod contractum eſt labis, poteſt elui. Aut nube marito, nos aliquid ad dotem conferemus: aut confer te in collegium aliquod ſacrum, quod lapſas recepit: aut commutato loco dedas te in familiam alicuius honeſtæ matronæ. Ad horum quodlibet offero tibi operam meam. L V. Amabò te mi Sophroni, circunſpicito, ſequar tuum conſilium. S O. Sed interim hinc te ſubmoueto. L V. Hui tam citò? S O. Cur non potius hodie quàm cras, ſi dilatio damnum habet, mora periculum? L V. Quò me uertam? S O P. Colliges omnem mundum tuum, eum trades mihi ueſperi: famulus clàm deferet ad fidelem matronam: aliquantò pòſt ego te producam, ueluti deambulandi gratia: apud eam matronam latitabis meo ſumptu, donec tibi proſpexero, id fiet breui. L V. Agè mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem. S O. Gaudebis olim facto.

CONVIVIVM POETICVM.

Hilarius, Leonardus, Crato, Conuiuæ, Margareta, Carinus, Eubulus, Sbrulius, Parthenius, Mus ſeruus Hilarij.

HILARIVS. Leuis apparatus, animus eſt lautiſſimus. L E. Cœnam ſiniſtro es auſpicatus omine. HI. Imò abſit omen triſte. Sed cur hoc putas? L E. Cruenti iambi haud congruunt conuiuio. C R. Euge, certum eſt adeſſe Muſas, effluunt carmina imprudentibus.

HIL.

HI. *Si rotatiles trochæos mauelis, en accipe:*
Vilis apparatus hic est, animus est lautissimus.
Quanquàm & iambi olim ad rixas ac pugnas nati, pòst
didicerunt omni seruire materiæ. O pepones, habetis pe-
pones in horto nostro natos. En lactucas sessiles, succo
tenerrimo, suo nomini respondentes. Has delicias quis sa-
nus non præferat apris, murænis, & attagenis? CR. *Si li-*
cet in cõuiuio poëtico uera loqui, quas tu lactucas uocas,
betæ sunt. HI. *Hoc omen auertant superi.* CR. *Sic res ha-*
bet, uide figuram. Tum ubi succus lacteus, ubi molles acu-
lei? HI. *Facis ut addubitem. Heus accerse huc famulam.*
Margareta. Tisiphone, quid tibi uenit in mentem, ut pro
lactucis nobis apponeres betas? MA. *Data opera feci.* HI.
Quid ais uenefica? MA. *Volebam experiri, an inter tot*
poëtas esset, qui lactucam dignoscereat à beta: nam scio te
non posse dignoscere. Dicite mihi bona fide, quis animad-
uertit esse betas? CON. *Crato.* MA. *Facilè diuinabam non*
fuisse poëtam. HI. *Si quid tale posthac designaris, ego te*
pro Margareta uocabo Bliteam. CON. *Ha ha hæ.* MA.
Istæ nomenclaturæ nec obesiorem me reddunt, nec maci-
lentiorem. Sæpe uicies in die mihi cõmutat nomen: ubi quid
cupit eblandiri, uocat me Galateam, Euterpen, Calliopen,
Callirhoën, Melissam, Venerem, Mineruam. Quid non?
Vbi quid stomachatur, repentè fio Tisiphone, Megæra,
Alecto, Medusa, Baucis, aut aliud, quicquid illi suggesse-
rit splendida bilis. HIL. *Abi hinc cum tuis betis Blitea.*
MA. *Quorsum attinebat huc euocare?* HIL. *Vt redires*
unde ueneras. MA. *Vetus dictum est, Procliuius est euo-*
care cacodæmonem, quàm abigere. CON. *Ha ha hæ,*

Lactucas sessiles, quòd non erigant sese, sed humi spargant sese.

Blitea. Alludit ad gẽmã laudatissimã, et Græci beram appellant βλίτον unde bliteos appellamus stultos ac nihili, eò quòd beta uilis & insipida herba est.

Galateam, à colore lacteo. Euterpen à delectando, Musæ nomen est. Calliopen à pulchritudine uocis. Callirhoë, nympha, quòd pulchrè fluat. Melissa, apis, opinor fuisse ancillam Chrysippi. Baucis, anus & pauperacula apud Ouidium.

Splendida bilis. alluserit ad illud Horat. Siue aliud nomẽ, iusserit quod splendida bilis: id est, insania.

appositè. Vt tibi res habet Hilari, opus est aliquo carmine magico, quo illam hinc abigas. H I. Habeo in promptu.

φύγετε &c. hoc carmē Plin. indicat usurpari solere in magicis remedijs: id est, Fugite cantharides, lupus crudelis uos persequitur. Cantharis insecti genus, uenenum habens letale.

Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ὄπισθεν ὕμμε διώκει.

M A. Quid ais Aesope? C R. Caue tibi Hilari, impinget colaphum, sic abegisti tuo Græco carmine. O magum egregium. H I. Quid tu credis Crato esse hanc? Ego tali carmine abegissem decem magnos cacodæmones. M A. Pi= li non facio tuos uersus Græcanicos. H I. Adhibendus est igitur, ut uideo, bombus magicus, aut si nec hic sufficiet,

Mercurij caduceū. Hac uirga dat & adimit somnos, hac animas euocat orco: & rursum quas uelit in Tartara mittit. Lege Vergilium in iij. Aeneid.

Mercurij caduceum. C R. Mea Margareta, scis poëtarum genus esse afflatum, non ausim dicere furiosum: rogo te, ut istam rixam in aliud tempus proroges, nosq; hac cœ= na, uel mea causa suauiter tractes. M A. Quid mihi cum istius uersiculis? Sæpenumero quum est cundum ad ma= cellum, non habet quòd numeret, & interim cantillat uersiculos. C R A T. Sic sunt poëtæ. Sed agè fac sodes, quod dico. M A R G. Equidem faciam in tuam gratiam, quoniam noui te probum, qui nunquàm contriueris ce= rebrum tuum in eiusmodi deliramentis: ac demiror, quo fato in hunc incideris chorum. C R A T. Vnde id conie= ctas? M A R G. Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentum. Nunc mihi huius nasum con= templare, & risum Sardonium. C R. Sed obsecro, meum suauium, ut istam iram mihi condones. M A R G. Abeo, nec postulo, ut quisquam cæterorum hoc nomine mihi gratias agat. H I L. Abijt'ne iam? M A R G. Non tam procul, quin audiat te. Mūs. Iam est in culina, secum ne= scio quid murmurans. C R A T. Famulam habes minimè mutam. H I. Aiunt bonam famulam oportere tribus do=

tibus

tibus esse præditum, ut sit fidelis, ut sit deformis, ut sit ferox, quam uulgò malam uocant. Fidelis non diminuit rem, deformem non ambiunt proci, ferox facilè tuetur ius heri sui. Nam aliquoties opus est non solùm lingua, uerum etiam manibus. Hæc mea è tribus duas habet uirtutes, deformis iuxtà ac mala, de fide dubito. C R. Linguam audiuimus, sed ego metuebam tibi à manibus. H I L. Admouete manus peponibus, de lactucis actum est. Etenim si nunc iuberem apponi lactucas, sat scio carduos apponeret. Sunt & meloncs, si quis hoc genere magis capitur. En fici recentes, modo decerptos à matre testatur lac in pedunculo. A ficis solet aqua sumi, ne quid obliment stomachum, en habetis è limpidissimo fonticulo uiuam ac frigidissimam, utilem & uino diluendo. C R. At ego nescio, utrum utro diluam, uinum aqua, an aquam uino, adeò mihi hoc uinum uidetur haustum ex eodem fonticulo Musarum. H I. Tale uinum conducit acuendis ingenijs poëtarum: uos crassi crassis delectamini. C R. Vtinam Crassus essem ille beatus. H I. Ego malim esse Codrus, aut Ennius. Quandoquidem mihi contigit habere conuiuas tam multos, tamq; insigniter eruditos, non committam, ut nihilo doctior eos dimittam. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet. Nam pleriq; codices sic habent: Sic existimet, sciat, responsum, non dictum esse, quia læsit prior. Qui bene uertendo, & eas describendo malè, &c. In his uerbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim ideo læsit prior, quia malè uertit Græcas fabulas, sed quia Terentianas carpserat. E V. Iuxta uulgò iactatum prouerbium, Qui pessimè canit, pri-

mus incipiet. Cùm essem Londini apud Thomam Linacrum, uirum sic in omni genere philosophiæ doctißimum, ut nihilo secius has grammaticorum minutias ad unguem calleat, ostendit mihi codicem mira uetustate, in quo sic habebatur scriptum, Sic existimet, sciat,
Responsum, non dictum esse, quale sit, prius
Qui bene uertendo, & eas describendo malè,
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas,
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.
Sic autem ordinandus est sermo, ut quale sit, indicet subijciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur se uicißim reprehensurum aliquid in fabulis eius, à quo fuerat reprehensus. Atq; hic negat uideri debere conuicium, sed responsum. Qui laceßit, iacit dictum: qui regerit laceßitus, respondet. Huius rei promittit exemplum, quale sit, quod Græcis dicitur ὁποῖον, Latinis, quod genus, aut ueluti, siue uidelicet, aut puta. Déinde subijcit reprehensionẽ, in qua, prius, aduerbium respondet ad alterum aduerbium ueluti diuersum, quod sequitur, nuper: quemadmodum pronomen, qui, respondet ad dictionem, idem. Veteres enim Latinij fabulas in totum damnat, quoniam iam exciderant ex hominũ memoria. In his quas nuper dedisset, certa notat loca. Mihi uidetur hæc germana lectio, uerusq; Comici sensus, nisi quid dissentit senatus populusq; poëticus. C O. Imò pedibus omnes in tuam discedimus sententiam. E V. At ego uicißim à uobis quiddam leue ac facilimum discere cupiam, quo pacto metiendus sit hic uersiculus: Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas. Micate digitis. H I, Opinor more ueterum elidi, s, ut secundo loco

sit

sit anapæstus. E V. Accederem, nisi casus auferendi desineret in, is, natura longam. Itaq; submota consonante, nihilo minus manet longa uocalis. H I. Vera prædicas. C R. Si quis illiteratus & ignotus ingrederetur, planè crederet nos inter nos micatione digitorum, rusticorum ludum renouare. L E. Nos quantum uideo, frustra micamus digitis, tu si potes expedi. E V. Videte quantula res nonnunquam torquet homines etiam eruditos: præpositio ex, pertinet ad finem carminis præcedentis:

Qui bene uertendo, & eas describendo malè, ex
Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita nihil est scrupuli. L E. Sic est per Musas. C A. Quandoquidem cœpimus micare digitis, uelim ut aliquis mihi uersum hunc ex Andria, digerat in suos pedes: Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Nam mihi sæpe tentanti non successit. L E. Sine in, iambus est: uidia, anapæstus: laudem in, spõdeus: uenias, anapæstus: & ami, rursus anapæstus. C A. Habes iam pedes quinq;, & supersunt tres syllabæ, quarum prima est longa: ut nec iambum facere possis, aut tribrachyn. L E. Profectò uera prædicas. Hæremus in uado: quis nos expediet? E V. Nemo melius, quàm qui induxit in hoc uadum. Agè Carine, ne cela, si quid habes inter candidos amiculos. C A. Nisi me fallit memoria, uideor mihi quiddam tale legisse apud Priscianum, qui docet apud Latinos comicos, u, consonantem perinde elidi ut uocalem, quemadmodum frequenter in hac dictione, enimuero, sic ut pars, enie, faciat anapæstum. L E. Itaq; metire nobis. C A. Faciam: Sine inidi, proceleumaticus est, nisi mauis elidi, i, per synæresin: ut quum

Vergilius, aureo, ponit in fine carminis heroici pro, auro. Quod si placet, erit primo loco tribrachys: a lau, spondeus est: dinueni, dactylus: as & a, dactylus: micos, spondeus: pares, iambus. S B. Carinus nos explicuit ex hoc sanè uado. Sed est in eadem scena locus, quem haud scio an quisquam animaduerterit. H I L A. Obsecro profer. S B. Illhic hunc in modum loquitur Simo: Sine ut eueniat, quod uolo, In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes. H I. Quid hìc te offendit? S B. Quum Sine, sit minitantis, nihil hìc sequitur, quod faciat ad minas. Proinde suspicor à poëta scriptum fuisse: Sin eueniat, quod uolo, ut, sin, respondeat ad Si, quod præcesßit:

Si propter amorem uxorem nolit ducere.

Proponit enim senex duas partes inter se diuersas. Si Pamphilus ob amorẽ Glycerij recusat nuptias, erit quod cum illo expostulem: sin ille non recusarit, tum mihi restat exorandus Chremes. Porrò hyperbaton longius fecit interpellatio Sosiæ, & stomachus Simonis in Dauum. H I. Mus, porrige mihi codicem. C R. Committis tu muri codicem? H I. Tutius quàm uinum. Dispeream nisi uerum dixit Sbrulius. P A. Trade mihi codicem, ut ostendã aliũ scrupulum. In prologo Eunuchi uersus hic non constat, Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur. Quanquam enim Comici Latini præcipuè sumunt sibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos senarium claudere spondeo, nisi fortè legendum est, condonabitur, ἀπροσωπως. aut condonabimus, mutato numero personæ. M A. O mores uerè poëticos. In ipso limine conuiuij micant digitis, & librum adhibent. Lusus

Micant digitis: rusticorũ lusus est uulgaris etiã Italiæ. Vide puerbiũ. Dignus qui cã in tenebris mices. Metiebant uersus sublatis ac repressis digitis, id mulier putat esse mica re digitis.

& lite

& literas præstat seruare in mensas secundas. C R. *Non omnino pessimum consilium dat Margareta, obtemperabitur: placato stomacho reuocabimus lusum, interim digitis micabimus in disco.* H I. *Videte luxum poëticum. Habetis triplex ouorum genus, elixa, assa, frixa, omnia recentissima sunt, intra biduum nata.* P A. *Ego butyri esum non fero: si frixa sunt oleo, perplacebunt.* H I. *Abi puer, disce ex Margareta, in utro frixa sint.* Mūs. *In neutro, inquit,* H I. *Nec in butyro, nec in oleo? In quo igitur?* Mūs. *In lixiuio, ut ait.* C R. *Qualis percontatio, talis responsio. Quid negotij est dignoscere butyrum ab oleo?* C A. *Præsertim his, qui tam facilè discernunt lactucam à beta.* H I. *Habetis ouationem, sequetur aliquando triumphus. Heus puer, circunfer oculos. Nihil'ne uides hic deesse?* Mūs. *Permulta.* H I. *Hæc oua desiderant condimentum, quo temperetur calor.* Mūs. *Quod uis?* H I. *Dic ut ex contusis uitis clauiculis mittat nobis succū.* Mūs. *Dicam.* H I. *Quid huc redis inanis?* Mūs. *Negat è clauis succum exprimi solere.* L E. *O famulam.* S B. *Certè fabulis condiemus oua nostra. In Epodis Horatianis offendi locum quendam, non deprauatum, quod ad scripturam attinet, sed deprauatè interpretatum, nec à Mancinello solùm, cæterisq; recentioribus, uerùm etiam ab ipso Porphyrione. Locus est in carmine, quo canit palinodiam Canidiæ ueneficæ:*

Tuusq; uenter Pactumeius, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunq; fortis exilis puerpera.

Existimant enim omnes hic, exilis nomen esse, cùm sit uerbum. Adscribam uerba Porphyrionis, si tamen illius

Vitis clauiculis. Natura addidit uitiū palmitibus laqueos quosdā quibus repit, & aligat sese, has Plini' uocat claiculas lib. 23. in prologo. E clauis, perueršè respōdet, quasi paruos clauos iusserit contundi.

esse credendum est: Exilem autem, inquit, sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis, per exilitatem corporis maciem naturalem dicit. Pudendus lapsus, si uir tantus non sensit metri legem reclamare huic sensui. Neque enim quartus locus admittit spondeum. Verum poëta iocatur illam uerè peperisse, quanquàm non diu languisset, ac decubuisset à partu, sed statim exilisset è lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ. HI. Habemus tibi gratiam Sbruli, qui tam laute condieris oua nostra. LE. Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro, Odæ initium est: Tu ne quæsieris. Sic autem habet constans lectio: Neu Babylonios Tentaris numeros, ut melius quicquid erit pati. Hunc locum ita transiliunt ueteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: solus Mancinellus sentiens orationem imperfectam, iubet addi, posse. SB. Habes aliquid de hac re compertius? LE. Nescio, sed mihi uidetur Horatius Græci sermonis idioma reddidisse, quod nullus poëtarum facit libentius aut frequentius: nam Græcis est familiare aparemphaton adiungere huic dictioni ὡς & ὥστε. Sic Horatius, ut pati, pro ut patiaris. Quanquàm quod diuinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. HI. Mihi uehementer arridet quod dicis. Curre Mῦς, & adfer si quid est reliquum. CR. Quid istuc est nouarum deliciarum? HI. Hic est cucumis sectus in laminulas: hoc est ius ex coctis intestinis cucurbitæ, conducit lubricandis intestinis. SB. O cœnam uerè medicam. HI. Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra. SB. Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario uocabimus Apicium. HI. Agè nunc ridete quantum uoletis, cras

ἀπαρέμφατον, id est, infinitũ, ut pati.

forte sse

fortasse seriò laudabitis hanc cœnam. SB. *Quî sic?* HI. *Cùm senseris tibi probè conditum esse prandium.* SB. *Fame?* HI. *Scilicet.* CR. *Scis Hilari quid prouinciæ te uellem susciperè?* HI. *Sciam, si dixeris.* CR. *Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis deprauatos: eos cuperem tua opera nobis restitui: ut autem exemplum proferam, ita canimus: Hostis Herodes impie, Christum uenire quid times? Ordo dictionis unius inuersus geminum uitium inuexit carmini. Nam hostis, cùm trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico: & Hero, spondeus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est quin uersus ita primùm scriptus sit: Herodes hostis impie. Iam epithetum, impie, mollius cohæret cum hostis, quàm cum Herodes. Porrò quoniam Herodes dictio Græca est, η uertitur in ε, in casu uocandi, ut Σωκράτης ὦ Σώκρατες, quemadmodum & in Ἀγάμεμνον, ω mega recti casus uertitur in ο micron. Rursum ita canimus hymnum: IESV corona uirginum, Quem mater illa concepit, Quæ sola uirgo parturit: dubium non est, quin cõcipit sit pronuntiandum. Nam temporis hypallage gratiam etiam addit sermoni. Ridiculum autem est nos offendi in, concipit, quum sequatur, parturit.* HI. *Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare: nam mihi uidetur Ambrosius in hoc carmine nõ parum habere gratiæ: adeò ferè finit dimetrũ dictione trisyllaba, & cæsurã ferè collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quàm ut casus uideri possit. Si quæritis exemplum: Deus creator, hîc est penthemimeris, accinitur omniũ: poliq; rector, accinitur uestiens: diem*

Fame. Alluſit ad dictũ Socratis, qui dixit, famem esse condimẽtum omniũ, & iucũdiſsimũ, & minimo parabile.

decoro, accinitur lumine: noctem soporis, accinitur grátia. Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit oua, & excluſit pullos. CR. Indigna erat quæ necaretur. CA. Si licet aliquid admiscere de studijs seuerioribus, habeo quod proponam. HI. Modò ne nimium sit tetricum. CA. Non est. Cœpi nuper legere Senecæ epistolas, & in ipso statim portu, quod aiunt, impegi: locus est in prima epistola: Et si uolueris, inquit, attendere, magna uitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. In hac sententia affectat nescio quid argutiæ, quod ego non satis assequor. LE. Diuinabo si uoles. CA. Maximè. LE. Nemo perpetuò peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisq; uitijs, magna uitæ pars perit, sed multò maior uitæ portio perit nihil agentibus. Porrò nihil agere dicuntur, non qui uiuunt in otio, sed qui rebus friuolis, & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur: inde prouerbium, Satius est cessare, quàm nihil agere. Sed tota uita perit aliud agentibus. Aliud agere dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota uita, quoniam cum uacamus uitijs, aliud agimus: dum uacamus friuolis, aliud agimus: dum studemus philosophiæ, quoniã id facimus supinè & oscitanter, aliud agimus parum attenti, uelut ad rem minimè seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas, quas in hoc scriptore damnat A. Gellius, ut friuolè argutas. HI. Mihi sanè satis arridet. Sed interim strenuè ad gallinam. Nolim uos falli, nihil præterea parati est: quadrat enim ad id quod præcesſit: Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit. Id

Nihil agere.

Aliud agere.

fit. Id autẽ declarat hac trimẽbri sententia. At paulò pòst uideor mihi uidere mendum: Mortem non prospicimus. Magna pars eius iam præterijt. Nã legendum arbitror, Mortem prospicimus. Prospicimus enim quæ procul ab sunt, quum mors magna ex parte præterierit nobis. L E. Si sibi permittunt philosophi, ut aliquando diuertant in prata Musarum, fortasse non uidebitur absurdum, si nos aliquando uel animi gratia diuertamus in illorum regionem. H I. Quid ni? L E. Quum nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῆς ἑλίγχων, quorũ argumentum est rhetoribus cum philosophis magna ex parte cõmune, comperi insignes errores interpretũ. Neq; dubi tandũ est, quin hìc qui Græcè nesciũt, in multis locis egregiè delirarint. Aristoteles enim ꝓponit huiusmodi genus ambigui, qd' nascitur ex uoce, quæ eadẽ declarat diuersa, Ὅλῳ μανθάνουσιν οἱ ἐπισάμενοι. τὰ δ' ἀκουσόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. ἔστι μανθάνειν ὁμώνυμον τό τε ξυνίεναι καὶ μανθάνειν τὴν ἐπιστήμην καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id uerterũt in hũc modum: Quoniam discunt scientes: Nam secundum os grammatici discunt. Discere enim æquiuocum ad intelligere eum, qui utitur disciplina, & accipere disciplinam. H I. Visus es mihi nunc Hebraicè loqui, non Latinè. L E. Est ne quisquam uestrum qui audiuit hìc ullam uocem æquiuocam? H I L. Nullam. L E. Quid igitur stultius, quam id uelle uertere, quod uerti non poterat? Neq; enim quẽadmodũ Græcis μανθάνειν, sonat μαθεῖν, & μαθητεύειν: ita Latinis discere, doctrinam accipere, aut tradere. Quanquam an hoc sit uerum, nescio, magis arbitror sic manthanin esse anceps apud Græcos, quemadmodum cognosce

Prospicimus quæ à fronte sunt, sed procul respicimus à tergo relicta.

Locus Aristotelis.

gnoscere apud Latinos? Cognoscit enim qui nouit, & cognoscit iudex qui discit causam. Sic, opinor, Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælectã pueris, & pueri quibus prælegitur. Quàm uerò uenustè reddidit, τὰ γὰρ ἀποσοφιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί: Nam secundũ os grãmatici discũt: quũ uertere debuerit, Nã grãmatici quæ dictant, docẽt. Hic interpretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem uerba, sed eandẽ rei speciem exhiberet. Quanquã hoc loco suspicor etiã in Græca scriptura nõnihil esse mendæ, scribendũ autem, ἐμὲ ἐθέλουσι λαβεῖν καὶ θέλουσι λαμβάνειν. Paulò pòst subijcit aliud exemplũ ambigui, quod nascitur non ex uario uocis eiusdem significatu, sed ex diuersa connexione: τὸ βούλεσθέ με λαβεῖν τὰς πολεμίους, uelle me accipere pugnantes. Sic enim uertit pro eo quod erat, uelle me capere hostes: & si legas βούλεσθε, sermo fit dilucidior: Vultis me capere hostes. Nam pronomen potest præcedere uerbum capere, & potest sequi. Si præcedat, hic erit sensus: Vultis, ut ego capiam hostes? Si sequatur, erit hic: Vultis ut hostes me capiant? Subijcit eiusdem generis aliud exemplum, ἆρα ὃς γινώσκει, τοῦτο γινώσκει: id est, An quod quis nouit, hoc nouit? Ambiguitas est in τοῦτο. Id si sumatur accusandi casu, sensus erit: Quicquid alicui cognitum est, id illi cognitum esse. Sin nominandi casu, sensus hic erit: Quã rẽ quis intelligit, ea intelligit, quasi cognosci non possit, nisi quod uicissim cognoscat. rursus aliud subijcit, ἆρα ὃς ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ, ὁρᾷ ὁ τὸν κίονα, ὅτι ὁρᾷ ὁ κίονα: an quod quis uidet, id uidet? sed uidet columnam, columna igitur uidet: rursus in τοῦτο est ambiguitas, quam prius indicauimus. Ve-

Cognoscere.

rum

rùm hæc utcunq; reddi poterant Latinis auribus, quod sequitur, nullo modo reddi poterat, ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι, φὴς δὲ λίθον εἶναι, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi sic reddiderunt: Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse: dicis autem lapidem esse, tu ergo lapis dicis esse. Obsecro, quis omnino sensus humanus ex his uerbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in maiore ac minore, quanquàm in maiore est & alia ambiguitas, in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit: Quicquid te dicis esse, hoc tu es. Sin accusandi, sensus erit: Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse: & ad hunc sensum subsumit: λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus: Phaselus iste, quem uidetis hospites, Ait fuisse nauium celerrimus. Sic enim ferebatur hic uersus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuum. Καὶ ἆρα εἰσὶ σιγῶντα λέγειν, διττὸν γὰρ εἰσὶ, τὸ σιγῶντα λέγειν. τό τε τὸν λέγοντα σιγᾶν, καὶ ἃ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum, Et putas est tacentem dicere. Duplex enim est, tacentem dicere, & hunc dicere tacentem, & quæ dicuntur. An non hæc Sibyllæ foliis obscuriora? H I. Mihi nec Græca satis liquent. L E. Exponam pro mea diuinatione. An possibile est tacentem dicere? Hæc interrogatio duplicem habet sensum, quorum alter est falsus & absurdus, alter

Catulli locus.

esse

esse potest uerus. Nam fieri non potest, ut qui loquitur, non dicat ea quæ loquitur, hoc est, ut loquendo taceat: sed fieri potest, ut is qui loquitur, taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit in alteram formam, quam paulò pòst subijcit. Rursum illud admiror, quòd mox in genere ambiguitatis, quæ nascitur ex pluribus dictionibus coniunctis, mutarint Græci uocē seculi in literas, ἐπίσταθαι τὰ γράμματα: quum Latini codices habeāt scire seculū. Hìc enim duplex sensus nascitur, uel ut ipsum seculum sciat aliquid, uel ut aliquis sciat seculum. Verum hoc mollius est in ἀῶνα, siue in κόσμον, quàm in γράμματα. Nam literæ dicuntur absurdè scire quippiam. Verum nihil absurdi sit, si quis dicat, aliquid nostro seculo notum esse, aut aliquē nosse suū seculum. Iam aliquantò pòst, ubi proponit exemplum ambigui ex accentu, non ueritus est interpres pro uerbis Homeri supponere Vergiliana, quum cadē fuerit necessitas in illo exemplo: Quicquid dicis esse, hoc est. Ex Homero refert Aristotel. ὃ κατανύει τὴν ὄμβρον. Si ὃ aspiretur ac circunflectatur, sonat, cuius computrescit pluuia: sin οὗ sit exile & acutum, sonat, non computrescit pluuia. Atque hoc quidem sumptum est ex Iliados ϑ. Alterum est, Διὶ δόμεν ὃ δι εὐχωλὴν ἀνέσθαι: accētu collocato super penultimā sonat, concede illi: sin super primā, δόμεν, sonat, damus. At poēta non sentit Iouem dicere, cōcedimus illi: sed Iupiter mandat ipsi somnio, ut illi, ad quem mittitur, concedat potiri uoto. Dictum est enim δόμεν pro δόναι. Pro his duobus Homericis subiecerunt hæc ex nostris poētis, uelut illud ex Odis Horatij:

Me tuo. Horatius diuisit, ut subaudias, amico.

Me tuo longas percunte noctes

Lydia

Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in,me,correpto: & tu, sit graue, unica dictio est,metuo,id est,timeo. Quanquàm hæc ambiguitas pendet non solùm ex accentu, uerum etiam ex compositione. Alterum suppositum ex Vergilio:

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi.

Quanquàm hæc quoq; ex compositione nascitur ambiguitas. HI. Sunt ista quidem arguta dignaq; cognitu, Leonarde, sed interim uereor, ne cui conuiuium hoc sophisticum uideatur magis, quàm poeticũ: aliàs si uidebitur, uel totum diem uenabimur elenchos in elenchis. LE. Hoc est, in luco ligna, in mari quæremus aquam. HI. Vbi est meus Mus? M v. Adest. HI. Mone Margaretam, ut tradat bellaria. M v. Abeo. HI. Rursum ades uacuus? M v. Negat se de bellarijs cogitasse, & ait satis diu sessum esse. HI. Vereor ne si diutius hîc philosophemur, illa nobis mensam subuertat, quemadmodum Xanthippe Socrati: consultius est igitur, ut bellaria sumamus in horto: ibi simul & ambulabimus, & liberè nugabimur. Interea sibi quisq; decerpat ex arbore quod lubet. CO. Placet consilium. HI. Est illhic fonticulus quouis uino suauior. CA. Quî fit, ut hortus tuus magis niteat, quàm aula? HI. Quia hîc uersor frequentius. Si quid arridet hîc, ne parcite nostris opibus hortensibus. Iam si satis uidetur deambulatum, quid si consideamus huc sub tilia, & Musas cieamus? PA. Agè fiat. HI. Thema suppeditet hortus ipse. PA. Si præcesseris, sequemur. HI. Agè faciam. Præposterè facit, cui uarijs delicijs niteat hortus, quũ animum habeat nullis disciplinis, nullis uirtutibus excultum. LE. Credemus adesse Musas, si reddideris

Elenchos, id est, redargutiones: ἐλέγχους enim redarguere est.

dideris eandem sententiam carmine. H I. Hoc mihi longè procliuius, prosam orationem uertere carmine, quàm argentum commutare auro. LE. Dic igitur. H I.

Cui renitet hortus undiquaq; floſculis,
Animumq; nullis expolitum dotibus
Squallere patitur, is facit præpoſteré.

Habetis carmen Muſis & Apolline nullo. Sed elegans fuerit, ſi ſinguli hanc ſententiam diuerſo genere carminis reddatis. LE. Qui uicerit, quid præmij feret? H I. Hunc calathum onuſtum malis, aut prunis, aut ceraſijs, aut meſpilis, aut pyris, aut ſi quid aliud magis adblanditur. LE. Quis erit arbiter certaminis? HIL. Quis niſi Crato? Et idcirco ſolus non certabit, quò magis auſcultet. CR. Vereor ne talem ſitis habituri iudicem, qualem olim habebant coccyx & luſcinia, inter ſe de canendi gloria decertantes. H I. Sat eſt, ſi places omnibus. CO. Placet arbiter, incipe Leonarde. LE.

Et Apolline nullo. Alluſit ad illud Martialis: Muſis & Apolline nullo, Quòd ſcribis uerſus, hoc Ciceronis habes.

Adblãditur, id eſt, placet, ſicut arridere dicit. quod placet.

Coccyx, qui Latinè dicitur Cuculus penul: produ. Notus eſt Apologus de certamine canẽdi inter luſciniam & cuculũ, aſſino iudice.

Cui tot delicijs renitet hortus,
Herbis, floribus, arborumq; fœtu,
Et multo, & uario, nec excolendum
Curat pectus, & artibus probatis
Et uirtutibus, is mihi uidetur
Læuo iudicio, parumq; recto. DIX I.

Arrodit unguẽ. Geſtus eſt cogitãtis. Perſius: Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues. Idem: Chereſtrat' unguem Arrodẽs ait hoc.

H I. Carinus arrodit unguem, expectamus aliquid elaboratum. CA. Nulla adeſt Muſa.

Cura cui eſt, ut niteat hortus floſculis ac fœtibus,
Negligenti excolere pectus diſciplinis optimis:
Hic labore, mihi ut uidetur, ringitur præpoſtero.

H I. Non fruſtra arroſus eſt unguis. EV. Quoniam ordo

me

me uocat, ne nihil adferam:
Qui studet, ut uarijs niteat cultißimus hortus
Delicijs, patiens animum squallere, nec ullis
Artibus expoliens, huic est præpostera cura.

HIL. Non est quur extimulemus Sbrulium. Nam ille sic scatet uersibus, ut plerunq; uel imprudens effundat carmina. SB.

Cui uernat hortus cultus & elegans,
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpostera is cura laborat.
Sic ratio tibi prima mentis. PA.

Quisquis accurat uarijs ut hortus
Floribus uernet, neque pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet præ-
postera cura.

HY. Nunc experiamur, cui hortus suppeditet plures sententias. LE. Quid ni faciat tam diues? Vel hoc rosetum mihi suggeret quod dicam. Vt breuis est rosæ nitor, ita fugax est iuuentus: properas carpere rosam prius, quàm marcescat, magis adnitendũ est, ne sine fructu tibi effluat iuuentus. HI. Thema satis aptum carmini. CA. Vt inter arbores suus cuiq; fœtus est, ita inter homines suæ cuique dotes sunt. EV. Vt terra si excolatur, uarias opes gignit in usus humanos, neglecta spinis ac uepribus obducitur: ita hominis ingenium si excolatur optimis studijs, plurimas edit uirtutes: sin negligas, uarijs occupatur uitijs. SB. Hortus quotannis colendus est, ut niteat: animus semel excultus honestis studijs, perpetuò floret ac uernat. PA. Vt amœnitas hortorum non auocat animum ab ho-

r nestis

neſtis ſtudijs, ſed ad hæc inuitat potius: ita quærendi ſunt luſus ac ioci, qui non abſunt à literis. HIL. Euge uideo examen ſententiarum. Nunc ad uerſus: ſed antè quàm id aggrediamur, mea ſententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, ſi primâ ſententiâ toties reddamus Græcis uerſiculis, quoties reddidimus Latinis. Hîc auſpicabitur Leonardus iam olim familiaris Muſis Græcanicis. LE. Ineptiam, ſi iubes. HI. Iubeo, atq; impero. LE.

ὦ κῆπός ἐστιν ἄνθεσιν γελῶν κλεΐς,
ὃν ἦν νῦς μαλ' ὧν χμῶν, τοῖς κλεῖς μαθήμασιν
οὐκ ἔστι κόμφῳ, ὅτος ἂν ὀρθῶς φρονᾷ,
πρὶν πλέον ὢ τοιῶν τὰ φαῦλ' ἢ κρείττονα.

Ego præſulem. Alluſit ad Salios ſacerdotes Martis, ni fallor, qui ſaltabãt in pompa: præſul autem, qui ſaltat primus.

Ego præſulem egi, ſuccedet qui uolet. HI. Carinus. CA. Imò Hilarius. LE. Sed uideo Margaretam interuenire, adfert neſcio quid deliciarum. HI. Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers? MA. Sinapi, quo condiatis ueſtra bellaria: an nõ pudet hîc garrire in multã noctẽ, & poſtea uos poëtæ multa blateratis in loquacitatẽ fœminarum? CR. Haud malè monet Margareta. iam tempus eſt ut ſuum quiſq; nidum adeat, aliâs in hoc pulcherrimo certaminis genere uel ſolidum diem conſumemus. HI. Sed cui addicis præmium? CR. In præſentia quidem mihi ipſi adjicio. Nullus enim uicit præter unum me. HI. Quũ uicisti, qui non certaueris? CR. Vos certaſtis, at non decertaſtis. Ego quod nemo ueſtrum potuit, uici Margaretam. CA. Hilari, æquum poſtulat, auferat calathum.

Eſt in quibuſdã choreis mos, ut unus ſol' auſpicet ſaltationẽ, unde quiſquis alijs cunctantibus rem cœpit, dicitur incœpiſſe choream.

INQVISITIO DE FIDE.

AVLVS, BARBATIVS.

Puerorũ. In libello cui titul' Cato, nã is pueris prælegitur.

AV. Puerorum eſt cãtilena: Saluta libenter. Verum haud

ſcio

scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem. BAR. Equidem malim qui det salutem, quàm qui dicat. Sed quam ob rem isthuc ais Aule? AVL. Quam ob rem? Quia, si scire uis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis. BA. Sunt & Veioues, sunt bruta fulmina, multum etiam origine dissidentia à fatidicis. Nam, ut suspicor, tu de anathemate sentis. AV. Rem coniectas. BA. Audiui quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non sensi. AV. Quî sic? BA. Quia nihilo pcius concoquo, neq; irrequietius dormio. AV. Sed hòc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verùm hæc bruta fulmina, quæ tu uocas, feriunt montes & maria. BA. Feriunt, sed irritis ictibus. Est & fulgor è uitro seu uase æreo. AV. Certè territat & hoc. BA. Verum, sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam. AV. Quid si Deus est in suo uicario? BA. Vtinam sit. AV. Imò multi demirantur te iandudum non esse quouis carbone atriorem. BAR. Finge me talem. Atqui tanto magis erat optãda salus perdito, si placet Euangelica doctrina. AV. Optanda quidem, at non dicenda. BA. Cur ita? AV. Quò audesceat ictus fulmine, ac resipiscat. BAR. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. AVL. Quam ob rem? BA. Quia quum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris satanæ: hoc est, modis omnibus excõmunicatissimi, tum ille maximè nobiscum confabulatus est per filium suum, suoq; colloquio nos restituit in uitam, quum essemus mortui. AVL. Ista quidem uerè narras. BA. Imò malè agerctur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus grauat æserum: imò tum maximè conueniebat adesse medicum.

Veioues, sunt Ioues sinistri & noxij. Sicuocãt poëtæ numen læuũ Veiouẽ. Bruta Fulmina. Vide Plin. lib. 2. cap. 43.

Bruta, quasi sine ratione ueniunt, nec quicquã portendũt.

Fatidica prædicunt aliquid.

Montes & maria, &c. Refert Plinij uerba ex loco quem modo citaui.

Fulgur è uitro. Vide puerbiũ. Carbone atriorem. Videtur innuere quempiam excõmunicatum.

AVL. At ego metuo, ne tu mihi citius affles aliquid tui mali, quàm fiat ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu uenit, ut pro medico fiat palæstrites, qui uisit ægrotum. BA. Ita quidem usu uenit in corporum morbis: uerùm in animi malis est tibi parata antidotus aduersum omne contagium. AV. Quænam? BA. Adamantinum propositum, non diuelli à sententia semel infixa. Deinde quur palæstram metuis, ubi res uerbis agitur? AV. Est aliquid quod dicis, si modò spes sit profectus. BA. Prouerbio dicitur, Donec spirat homo, sperandum esse. Et iuxta Paulum, Charitas nescit desperare, quia sperat omnia. AV. Non pessimè mones, atq; hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper: at, si pateris, medicum agam. BA. Licet. AV. Vulgò sunt inuisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percontantur de singulis. BA. Percontare à cœlo usque ad terram, si libet. AV. Experiar, modò fidem des te responsurum ex animo. BA. Do, modò sciam qua de re uelis percontari. AV. De symbolo apostolorum. BA. Audio militare uerbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hic fefellero. AVL. Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? BA. Et quicquid cœlo terraq; continetur, atq; etiam mentes angelicas. AV. Quum deum dicis, quid sentis? BA. Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec maius, nec sapientius, nec melius. AV. Ista quidem satis pié. BA. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerum uisibilium: quæ sapientia mirabili moderatur, ac gubernat uniuersa, sua b

nitu

Palęstrites. i. luctator, nimirū quum inuisit phreneticum.

Ac cœlo usque ad terrā. Plautinum prouerbium, à capite usq; ad pedes. Militare uerb. Qui baptizantur, dant nomē imperatori Christo, cuius sacramentis autorātur. Et symbolū apud milites signū est, quod inter ipsos conuenit, siue id uocale est siue mutum. Deus pater-

nitate pascit ac seruat omnia, atque hominum genus collapsum gratuitò restituit. AVL. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? BA. Quum omnipotentem cogito, me totum illi summitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ literæ, simulq; futurũ, quicquid ille promisit, quando nutu quicquid uult, potest, quantumuis homini uideatur impossibile. Ita fit ut meis uiribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapiẽtiæ, uerum credo omnia rectissimè iustissimé'que ab eo fieri, etiam si iuxta sensum humanum uideantur absurda aut iniqua. Quum bonitatem considero, uideo nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficẽtiæ nõ debeam: & nullum arbitror esse tantũ crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neq; quicquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. AV. Num satis esse putas, quòd credis illum esse talem? BAR. Nequaquam, sed syncero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans satanam omnemq; idololatriam, & quicquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec præferens, nec æquans, non angelum, non parentes, non liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non uoluptates, paratus & uitam illius causa perdere, si iusserit, certus eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. AV. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unum Deum? BA. Si quid ueneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius

gloriam referens, semper illi gratias agens, siue læta contingunt, siue tristia: siue mori datur, siue uiuere. A v. Sana quidē est hactenus tua oratio. De secūda persona quid sentis? B A. Scisciture. A v. Credis Iesum fuisse Deum & hominem? B A R. Maximē. A v. Quī fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? B A. Isthuc illi facile fuit efficere, qui quicquid uult potest. Et ob diuinam naturam, quam eandem habet cum patre, quicquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo patri, idē tribuo & filio: quicquid debeo patri, debeo & filio: nisi quòd ita uisum est patri, ut per filium conderet ac donaret nobis omnia. A v. Quur igitur sacræ literæ filiū frequentius appellant dominum quàm Deum? B A. Quia Deus autoritatis: hoc est, principatus est nomen, quæ patri præcipuè conuenit: qui simpliciter principium est omnium atq; ipsius etiam deitatis fons. Dominus, redemptoris & assertoris uocabulum est. Quanquàm & pater redemit per filiū, & filius Deus est, sed ex Deo patre. Solus autem pater à nullo est, & in personis diuinis principem locum obtinet. A v. Ergo & in Iesu collocas tuam fiduciam? B A. Quid ni? A v. Sed propheta maledictum dicit, qui fidit in homine. B A. Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quanquàm nec in hoc fiduciæ spei q; meæ sacram, ut aiunt, ancoram figerem ni Deus esset. A v. Quur eum filium appellat? B A R. Ne quis somniet esse creaturam. A v. Quur unicum? B A. Vt discernat naturæ filium à filijs adoptiuis, cuius cognominis honorem nobis etiam impartit

Deus filius.

Ne quis somniet, &c. Arrius docuit filiū Dei etiā iuxta perfectissimam naturā fuisse creaturam. At qui natura filius est, gignitur ex substantia patris: Dei substantia idiuisibilis est: eandem igitur oportet esse patris & filij. de diuinis personis loquor.

impartit, ut neminẽ præter hunc alium expectemus. AV. Quur eum qui Deus erat, hominem fieri uoluit? BA. Vt homines homo reconciliaret Deo. AV. Credis conceptum citra uirilem operam, opificio spiritus sancti, ac natum ex incorrupta Virgine Maria, de illius substantia sumpto mortali corpore? BA. Maximé. AV. Quur sic nasci uoluit? BA. Quia sic decebat nasci Deum, sic decebat nasci, qui nostræ conceptionis ac natiuitatis sordes purificaret. Hominis filius nasci uoluit Deus, ut nos in illum renascentes efficeremur filij Dei. AV. Credis illum uersatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quæ prodita sunt literis Euangelicis? BA. Certius quàm te credo esse hominem. AV. Non sum inuersus Apuleius, ut suspiceris asinũ latère sub hominis specie. Sed credis hũc eundem esse Messiam illum, quem deliniarant figuræ legis, quẽ promiserant oracula prophetarum, quem tot seculis expectarãt Iudæi? BA. Nihil habeo persuasius. AV. Credis huius doctrinam ac uitam sufficere ad perfectam pietatem? BA. Admodum. AV. Credis eundem uerè comprehensum à Iudæis, uinctum, colaphis & alapis cæsum, conspútum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac deniq; suffixum in crucem, atq; inibi mortuum? BA. Maximé. AV. Credis illum ab omni lege peccati cuiuscunque fuisse immunem? BA. Quid ni? Agnum absque macula. AV. Credis illum sua sponte hæc omnia perpessum? BA. Imò libẽter, atq; etiã sitienter, sed ex uoluntate patris. AV. Quur pater filiũ suum unicũ innocentẽ, sibiq; charissimum, hæc tam atrocia pati uoluit? BA. Vt hac uictima nos nocẽtes sibi reconciliaret, in illius nomẽ

Apuleius. Nam is mentẽ hominis tegebat sub asinina specie, quũ multi sint qui sub humana specie tegũt asinum.

collocantes fiduciam ac ſpem noſtram. AV. Quur Deus paſſus eſt ſic collabi totum humanum genus? Et ſi paſſus eſt, non patuit alia uia ſarciendi ruinam noſtram? BA. Hoc mihi perſuaſit, non humana ratio, ſed fides, nulla ratione potuiſſe fieri melius, neq; ad ſalutẽ noſtram utilius. AV. Quur hoc mortis genus illi potißimum placuit? BA. Quia iuxta mundum erat probroſißimum: quia diri lentiq; cruciatus: quia cõueniebat illi, qui porrectis in omnẽ mundi plagam membris, omneis orbis nationes inuitaret ad ſalutem, & homines terrenis curis affixos reuocaret ad cœleſtia. Deniq; ut referret nobis ſerpentem æneum, quem Moſes ſuſpenderat in ſtipite, ut quicunq; defigerent in illum oculos, ſanarentur à uulnere ſerpentum: fidemq; prophetæ liberaret, qui prædixerat: Dicite in nationibus, regnauit à ligno Deus. AV. Quur & ſepelirì uoluit, idque tam accuratè, oblitus myrrha & unguentis, incluſus nouo monumento è ſolido uiuoque ſaxo exciſo, obſignato oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis? BA. Quò magis conſtaret eſſe uerè mortuum. AV. Quur non ſtatim reuixit? BA. Hac ipſa de cauſa. Etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio, ſed hanc uoluit eſſe certißimã. AV. Credis huius animam deſcendiſſe ad inferos? BA. Hanc particulam non fuiſſe quondam additam nec in ſymbolo Romano, nec in ſymbolo orientalium eccleſiarum, teſtis eſt Cyprianus, nec recenſetur apud Tertullianũ uetuſtißimum ſcriptorem: ego tamen & hoc firmiter credo, uel quia congruit cum prophetia pſalmi, Non derelinques animam meam in inferno. & rurſus: Domine eduxiſti ab inferno animam

Viuo ſaxo. An ſaxa naſcantur & augeſcãt incertũ. Viua tamen ſaxa dicũtur, quæ nondum ſuo loco ſunt amota.

mam meam.uel quia Petrus apostolus in epistolæ prioris, de cuius autore nunquàm fuit dubitatum, capite tertio scripsit hunc in modum: Mortificatus quidẽ carne, uiuificatus autem spiritu, in quo & his qui in carcere erant, spiritu ueniens prædicauit. Verùm ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illhic aliquid esse passum: descendit enim, non ut illhic cruciaretur, sed ut nobis frangeret regnum satanæ. AVL. Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos reuocaret ad uitam. Cæterum quur reuixit? BA. Tribus potissimum de causis. AV. Quibus? BA. Primùm, ut nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus eum immortalẽ esse, nec unquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocauimus. Postremò, ut nos quoq; per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum unà cum illo sepulti, per gratiam eius reuocemur ad uitæ nouitatem. AV. Credis ne, quòd idem corpus, quod mortuũ fuit in cruce, quod reuixit in sepulchro, quod uisum & contrectatũ est discipulis, subuexerit in cœlum? BA. Maximè. AV. Quur uoluit relinquere terras? BA. Vt illũ omnes spiritualiter amaremus, neq; quisquam in terris sibi Christũ propriè uindicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, sciẽtes illhic esse caput nostrum. Etenim si nunc homines tantopere sibi placent ob uestis colorem ac figurã, quumq; sic quidam ostentent sanguinem aut præputium Christi, & lac matris Virginis: quid credis futurum, si mansisset in terris uestitus, comedens, loquens? Quæ dißidia parassent ista corporis peculiaria? AVL. Credis illhic immortalitate donatum aßidere dextrũ patri? BA.

neſtis ſtudijs, ſed ad hæc inuitat potius: ita quærendi ſunt luſus ac ioci, qui non abſunt à literis. HIL. *Euge uideo examen ſententiarum. Nunc ad uerſus: ſed antè quàm id aggrediamur, mea ſententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, ſi primâ ſententiâ toties reddamus Græcis uerſiculis, quoties reddidimus Latinis. Hic auſpicabitur Leonardus iam olim familiaris Muſis Græcanicis.* LE. *Ineptiam, ſi iubes.* HI. *Iubeo, atq; impero.* LE.

ὦ κλιπόσ ἐσσι ἄνθεσιν χλαῖν καλεῖς,
Ὃ δ' οὐ νῦς μαλ' ἀυχμῶν, πῖς καλεῖς μαθήμασιν
Οὐκ ἔσ κόμψ⊙, ὅπως ἂν ὀρθῶς φρονῇ,
Πφὶ πλέον⊙ ποιῶν τὰ φαῦλ' ἢ χρήσ⊙να.

Ego præſulem. Alluſit ad Salios ſacerdotes Martis, ni fallor, qui ſaltabãt in pompa: præſul autem, qui ſaltat primus. Eſt in quibuſdã choreis mos, ut unus ſol⁹ auſpicetur ſaltationẽ, unde quiſquis aliis cunctantibus rem cœpit, dicitur incœpiſſe choream.

Ego præſulem egi, ſuccedet qui uolet. HI. *Carinus.* CA. *Imò Hilarius.* LE. *Sed uideo Margaretam interuenire, adfert neſcio quid deliciarum.* HI. *Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers?* MA. *Sinapi, quo condiatis ueſtra bellaria: an nõ pudet hîc garrire in multã noctẽ, & poſtea uos poëtæ multa blateratis in loquacitatẽ fœminarum?* CR. *Haud malè monet Margareta. iam tempus eſt ut ſuum quiſq; nidum adeat, aliâs in hoc pulcherrimo certaminis genere uel ſolidum diem conſumemus.* HI. *Sed cui addicis præmium?* CR. *In præſentia quidem mihi ipſi adijcio. Nullus enim uicit præter unum me.* HI. *Quũ uicisti, qui non certaueris?* CR. *Vos certaſtis, at non decertaſtis. Ego quod nemo ueſtrum potuit, uici Margaretam.* CA. *Hilari, æquum poſtulat, auferat calathum.*

INQVISITIO DE FIDE.

AVLVS, BARBATIVS.

Puerorũ. In libello cui titul⁹ Cato, nã is pueris prælegitur.

AV. *Puerorum eſt cãtilena: Saluta libenter. Verum haud*

ſcio

scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem. BAR. *Equidem malim qui det salutem, quàm qui dicat. Sed quam ob rem isthuc ais Aule?* AVL. *Quam ob rem? Quia, si scire uis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis.* BA. *Sunt & Veioues, sunt bruta fulmina, multum etiam origine diſſidentia à fatidicis. Nam, ut ſuſpicor, tu de anathemate ſentis.* AV. *Rem coniectas.* BA. *Audiui quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non ſenſi.* AV. *Quî ſic?* BA. *Quia nihilo peius concoquo, neq; irrequietius dormio.* AV. *Sed hòc periculoſius ſolet eſſe malum, quia non ſentitur. Verùm hæc bruta fulmina, quæ tu uocas, feriunt montes & maria.* BA. *Feriunt, ſed irritis ictibus. Eſt & fulgor è uitro ſeu uaſe æreo.* AV. *Certè territat & hoc.* BA. *Verum, ſed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam.* AV. *Quid ſi Deus eſt in ſuo uicario?* BA. *Vtinam ſit.* AV. *Imò multi demirantur te iandudum non eſſe quouis carbone atriorem.* BAR. *Finge me talem. Atqui tanto magis erat optãda ſalus perdito, ſi placet Euangelica doctrina.* AV. *Optanda quidem, at non dicenda.* BA. *Cur ita?* AV. *Quòd pudeſcat ictus fulmine, ac reſipiſcat.* BAR. *Si ſic nobiſcum egiſſet Deus, perieramus omnes.* AVL. *Quam ob rem?* BA. *Quia quum eſſemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in caſtris ſatanæ: hoc eſt, modis omnibus excõmunicatiſſimi, tum ille maximè nobiſcum confabulatus eſt per filium ſuum, ſuoq; colloquio nos reſtituit in uitam, quum eſſemus mortui.* AVL. *Iſta quidem uerè narras.* BA. *Imò malè ageretur cum omnibus ægrotis, ſi medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus grauat miſerum: imò tum maximè conueniebat adeſſe medicum.*

Veioues, ſunt Ioues ſiniſtri & noxij. Sicuocãt poëtæ numen Ixuũ Veiouẽ.

Bruta Fulmina. Vide Plin. lib. 2. cap. 43.

Bruta, quaſi ſine ratione ueniunt, nec quicquã portendũt.

Fatidica prædicunt aliquid.

Montes & maria, &c. Refert Plinij uerba ex loco quem modo citaui.

Fulgur è uitro. Vide puerbiũ, Carbone atriorem. Videtur innuere quempiam excõmunicatum.

AVL. *At ego metuo, ne tu mihi citius affles aliquid tui mali, quàm fiat ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu uenit, ut pro medico fiat palæstrites, qui uisit ægrotum.*

Palęstrites.ì. luctator, nimirũ quum inuisit phreneticum.

BA. *Ita quidem usu uenit in corporum morbis: uerùm in animi malis est tibi parata antidotus aduersum omne contagium.* AV. *Quænam?* BA. *Adamantinum propositum, non diuelli à sententia semel infixa. Deinde quur palæstram metuis, ubi res uerbis agitur?* AV. *Est aliquid quod dicis, si modò spes sit profectus.* BA. *Prouerbio dicitur, Donec spirat homo, sperandum esse. Et iuxta Paulum, Charitas nescit desperare, quia sperat omnia.* AV. *Non pessimè mones, atq; hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper: at, si pateris, medicum agam.* BA. *Licet.* AV. *Vulgò sunt inuisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percontantur de singulis.* BA. *Percontare à cœlo usque ad terram, si libet.* AV. *Experiar, modò fidem des te responsurum ex animo.* BA. *Do, modò sciam qua de re uelis percontari.* AV. *De symbolo apostolorum.* BA. *Audio militare uerbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hic fefellero.* AVL. *Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram?* BA. *Et quicquid cœlo terraq; continetur, atq; etiam mentes angelicas.* AV. *Quum deum dicis, quid sentis?* BA. *Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec maius, nec sapientius, nec melius.* AV. *Ista quidem satis pié.* BA. *Quæ nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerum uisibilium: quæ sapientia mirabili moderatur, ac gubernat uniuersa, sua bo-*

A cœlo usque ad terrã. Plautinum prouerbium, à capite usq; ad pedes.

Militare uerb. Qui baptizantur, dant nomẽ imperatori Christo, cuius sacramentis autorãtur. Et symbolũ apud milites signũ est, quod inter ipsos conuenit, siue id uocale est siue mutum.

Deus pater-

ni cura

nitate pascit ac seruat omnia, atque hominum genus collapsum gratuitò restituit. AVL. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? BA. Quum omnipotentem cogito, me totum illi summitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ literæ, simulq; futurũ, quicquid ille promisit, quando nutu quicquid uult, potest, quantumuis homini uideatur impossibile. Ita fit ut meis uiribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapiẽtiæ, uerum credo omnia rectissimè iustissimè'que ab eo fieri, etiam si iuxta sensum humanum uideantur absurda aut iniqua. Quum bonitatem considero, uideo nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficẽtiæ nõ debeam: & nullum arbitror esse tantũ crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neq; quicquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. AV. Num satis esse putas, quòd credis illum esse talem? BAR. Nequaquam, sed syncero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans satanam omnemq; idololatriam, & quicquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec præferens, nec æquans, non angelum, non parentes, non liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non uoluptates, paratus & uitam illius causa perdere, si iusserit, certus eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. AV. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unum Deum? BA. Si quid ueneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius

gloriam referens, semper illi gratias agens, siue læta contingunt, siue tristia: siue mori datur, siue uiuere. A v. Sana quidē est hactenus tua oratio. De secūda persona quid sentis? B A. Scisciture. A v. Credis Iesum fuisse Deum & hominem? B A R. Maximé. A v. Quî fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? B A. Isthuc illi facile fuit efficere, qui quicquid uult potest. Et ob diuinam naturam, quam eandem habet cum patre, quicquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo patri, idē tribuo & filio: quicquid debeo patri, debeo & filio: nisi quòd ita uisum est patri, ut per filium conderet ac donaret nobis omnia. A v. Quur igitur sacræ literæ filiū frequentius appellant dominum quàm Deum? B A. Quia Deus autoritatis: hoc est, principatus est nomen, quæ patri præcipuè conuenit: qui simpliciter principium est omnium atq; ipsius etiam deitatis fons. Dominus, redemptoris & assertoris uocabulum est. Quanquàm & pater redemit per filiū, & filius Deus est, sed ex Deo patre. Solus autem pater à nullo est, & in personis diuinis principem locum obtinet. A v. Ergo & in Iesu collocas tuam fiduciam? B A. Quid ni? A v. Sed propheta maledictum dicit, qui fidit in homine. B A. Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quanquàm nec in hoc fiduciæ spei; meæ sacram, ut aiunt, ancoram figerem ni Deus esset. A v. Quur eum filium appellat? B A R. Ne quis somniet esse creaturam. A v. Quur unicum? B A. Vt discernat naturæ filium à filijs adoptiuis, cuius cognominis honorem nobis etiam impartit

Deus filius.

Ne quis somniet, &c. Arrius docuit filiū Dei etiā iuxta perfectissimam naturā fuisse creaturam. At qui natura filius est, gignitur ex substantia patris: Dei substantia idiuisibilis est: eandem igitur oportet esse patris & filij. de diuinis personis loquor.

impartit, ut neminẽ præter hunc alium expectemus. A v. Quur eum qui Deus erat, hominem fieri uoluit? B A. Vt homines homo reconciliaret Deo. A v. Credis conceptum citra uirilem operam, opificio spiritus sancti, ac natum ex incorrupta Virgine Maria, de illius substantia sumpto mortali corpore? B A. Maximé. A v. Quur sic nasci uoluit? B A. Quia sic decebat nasci Deum, sic decebat nasci, qui nostræ conceptionis ac natiuitatis sordes purificaret. Hominis filius nasci uoluit Deus, ut nos in illum renascentes efficeremur filij Dei. A v. Credis illum uersatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quæ prodita sunt literis Euangelicis? B A. Certius quàm te credo esse hominem. A v. Non sum inuersus Apuleius, ut suspiceris asinũ latêre sub hominis specie. Sed credis hũc eundem esse Messiam illum, quem deliniarant figuræ legis, quẽ promiserant oracula prophetarum, quem tot seculis expectarãt Iudæi? B A. Nihil habeo persuasius. A v. Credis huius doctrinam ac uitam sufficere ad perfectam pietatem? B A. Admodùm. A v. Credis eundem uerè comprehensum à Iudæis, uinctum, colaphis & alapis cæsum, conspútum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac denicq; suffixum in crucem, atq; inibi mortuum? B A. Maximé. A v. Credis illum ab omni lege peccati cuiusceunque fuisse immunem? B A. Quid ni? Agnum absque macula. A v. Credis illum sua sponte hæc omnia perpessum? B A. Imò libẽter, atq; etiã sitienter, sed ex uoluntate patris. A v. Quur pater filiũ suum unicũ innocentẽ, sibiq; charissimum, hæc tam atrocia pati uoluit? B A. Vt hac uictima nos nocẽtes sibi reconciliaret, in illius nomẽ

Apuleius. Nam is mentẽ hominis tegebat sub asinina specie, quũ multi sint qui sub humana specie tegũt asinum.

collocantes fiduciam ac ſpem noſtram. AV. Quur Deus paſſus eſt ſic collabi totum humanum genus? Et ſi paſſus eſt, non patuit alia uia ſarciendi ruinam noſtram? BA. Hoc mihi perſuaſit, non humana ratio, ſed fides, nulla ratione potuiſſe fieri melius, neq; ad ſalutē noſtram utilius. AV. Quur hoc mortis genus illi potißimum placuit? BA. Quia iuxta mundum erat probroſißimum: quia diri lentiq; cruciatus: quia cōueniebat illi, qui porrectis in omnē mundi plagam membris, omneis orbis nationes inuitaret ad ſalutem, & homines terrenis curis affixos reuocaret ad cœleſtia. Deniq; ut referret nobis ſerpentem æneum, quem Moſes ſuſpenderat in ſtipite, ut quicunq; defigerent in illum oculos, ſanarentur à uulnere ſerpentum: fidemq; prophetæ liberaret, qui prædixerat: Dicite in nationibus, regnauit à ligno Deus. AV. Quur & ſepeliri uoluit, id quę tam accuratè, oblitus myrrha & unguentis, incluſus nouo monumento è ſolido uiuo que ſaxo exciſo, obſignato oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis? BA. Quò magis conſtaret eſſe uerè mortuum. AV. Quur non ſtatim reuixit? BA. Hac ipſa de cauſa. Etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio, ſed hanc uoluit eſſe certißimā. AV. Credis huius animam deſcendiſſe ad inferos? BA. Hanc particulam non fuiſſe quondam additam nec in ſymbolo Romano, nec in ſymbolo orientalium eccleſiarum, teſtis eſt Cyprianus, nec recenſetur apud Tertullianū uetuſtißimum ſcriptorem: ego tamen & hoc firmiter credo, uel quia congruit cum prophetia pſalmi, Non derelinques animam meam in inferno. & rurſus: Domine eduxiſti ab inferno animam

Viuo ſaxo. An ſaxa naſcantur & augeſcāt incertū. Viua tamen ſaxa dicūtur, quæ nondum ſuo loco ſunt amota.

mam meam.uel quia Petrus apostolus in epistolæ prioris, de cuius autore nunquàm fuit dubitatum, capite tertio scripsit hunc in modum: Mortificatus quidẽ carne, uiuificatus autem spiritu, in quo & his qui in carcere erant, spiritu ueniens prædicauit. Verùm ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illhic aliquid esse passum: descendit enim, non ut illhic cruciaretur, sed ut nobis frangeret regnum satanæ. AVL. Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos reuocaret ad uitam. Cæterum quur reuixit? BA. Tribus potißimum de causis. AV. Quibus? BA. Primùm, ut nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus eum immortalẽ esse, nec unquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocauimus. Postremò, ut nos quoq; per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum una cum illo sepulti, per gratiam eius reuocemur ad uitæ nouitatem. AV. Credis'ne, quòd idem corpus, quod mortuũ fuit in cruce, quod reuixit in sepulchro, quod uisum & contrectatũ est discipulis, subuexerit in cœlum? BA. Maximé. AV. Quur uoluit relinquere terras? BA. Vt illũ omnes spiritualiter amaremus, neq; quisquam in terris sibi Christũ propriè uindicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, sciẽtes illhic esse caput nostrum. Etenim si nunc homines tantopere sibi placent ob uestis colorem ac figurã, quumq; sic quidam ostentent sanguinem aut præputium Christi, & lac matris Virginis: quid credis futurum, si mansisset in terris uestitus, comedens, loquens? Quæ dißidia parassent ista corporis peculiaria? AVL. Credis illhic immortalitate donatum aßidere dextrũ patri? BA.

Quid ni? ut rerum omniũ dominum, & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit Stephano martyri suo. AV. *Cur hoc exhibuit?* BA. *Ne nos ulla in re trepidaremus, gnari, quàm potentem patronum ac dominum habeamus in cœlis.* AV. *Credis illum eodem corpore redi-turum, ut iudicet uiuos & mortuos?* BA. *Quàm habeo certum, esse hactenus peracta, quæ prophetæ de Christo prædixerant: tam habeo certum, fore quicquid in posterũ uoluit nos expectare. Prior aduentus exhibitus est iuxta uaticinia prophetarum, quo uenit humilis, ut nos institueret ac seruaret. Exhibebitur & secundus, quo ueniet sublimis in gloria patris: ante cuius tribunal sisti cogentur omnes homines cuiuscunque nationis, cuiuscunq; status, siue reges, siue plebeij, siue Græci, siue Scythæ: nec solùm hi, quos aduentus ille deprehendet uiuos, uerumetiã omnes qui ab initio mundi usque ad illud tempus mortui fuerint, subitò reuiuiscent, & suo quisque corpore conspiciet iudicem. Aderũt & angeli beati, tanquàm famuli fideles: aderunt & dæmones iudicandi. Tum è sublimi pronuntiabit illam ineuitabilem sententiam, quæ diabolum cum his, qui illi adhæserũt, tradet æternis supplicijs, ut postea nulli possint nocere: pios transferet in consortium regni cœlestis, tutos ab omni molestia: quanquàm huius aduentus diem nobis ignotũ esse uoluit.* AV. *Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiã personã.*

Deus spiritus sanctus.

BA. *Vt uidetur.* AVL. *Credis in spiritum sanctum?* BA. *Credo hunc esse uerũ Deum unà cum patre & filio. Credo hoc spiritu afflatos fuisse, qui nobis ueteris ac noui*

Testa-

Testameuti libros tradiderunt, sine cuius ope nemo peruenit ad salutem. A V. *Quur appellatur spiritus?* B A. *Quia quemadmodum corpora nostra uiuunt halitu, ita tacito sancti spiritus afflatu uiuificãtur animi nostri.* A V. *An non licet patrem uocare spiritum?* B A. *Quid ni?* A V. *An non igitur confunduntur personæ?* B A. *Non. Nam pater spiritus dicitur, quòd sit incorporeus, id quod omnibus personis est commune iuxta naturam diuinam. Sed tertia persona dicitur spiritus, quòd alicunde spiret, & per animos sese transfundat insensibiliter, uelut à terra seu fluuijs spirant auræ.* A V L. *Cur personæ secundæ tribuitur nomen filij?* B A. *Ob perfectam naturæ & uoluntatis similitudinem.* A V L. *Est filius similior patri, quàm spiritus sanctus?* B A. *Non, iuxta naturam diuinam, nisi quòd hòc magis refert proprietatem patris, quòd ab ipso quoq; procedat spiritus sanctus.* A V L. *Quid igitur prohibet spiritum sanctum appellari filium?* B A. *Quia cum diuo Hilario nusquam hunc lego genitum, nec huius lego patrem: spiritum & procedentem lego.* A V. *Cur in symbolo solus pater dicitur Deus?* B A. *Quòd hic, ut dixi, simpliciter sit autor omnium, quæ sunt, ac totius deitatis fons.* A V. *Dic clarius.* B A. *Quoniam nihil nominari potest, cuius origo non manat à patre. Siquidẽ hoc ipsum quòd filius ac spiritus sanctus Deus est, patri acceptum referunt. Præcipua igitur autoritas: hoc est, originis ratio, est in patre solo, quòd unus ille à nullo est. In symbolo tamen sic accipi potest, ut Dei nomẽ non sit personæ proprium, sed in genere positũ, quod mox per patris, filij, & spiritus sancti uocabulum distinguatur. In unum Deum,*

quæ

dideris eandem sententiam carmine. HI. Hoc mihi longè procliuius, prosam orationem uertere carmine, quàm argentum commutare auro. LE. Dic igitur. HI.

Cui renitet hortus undiquaq; flosculis,
Animumq; nullis expolitum dotibus
Squallere patitur, is facit præposteré.

Habetis carmen Musis & Apolline nullo. Sed elegans fuerit, si singuli hanc sententiam diuerso genere carminis reddatis. LE. Qui uicerit, quid præmij feret? HI. Hunc calathum onustum malis, aut prunis, aut cerasijs, aut mespilis, aut pyris, aut si quid aliud magis adblanditur. LE. Quis erit arbiter certaminis? HIL. Quis nisi Crato? Et idcirco solus non certabit, quò magis auscultet. CR. Vereor ne talem sitis habituri iudicem, qualem olim habebant coccyx & luscinia, inter se de canendi gloria decertantes. HI. Sat est, si places omnibus. CO. Placet arbiter, incipe Leonarde. LE.

Cui tot delicijs renitet hortus,
Herbis, floribus, arborumq; fœtu,
Et multo, & uario, nec excolendum
Curat pectus, & artibus probatis
Et uirtutibus, is mihi uidetur
Læuo iudicio, parumq; recto. DIXI.

HI. Carinus arrodit unguem, expectamus aliquid elaboratum. CA. Nulla adest Musa.

Cura cui est, ut niteat hortus flosculis ac fœtibus,
Negligenti excolere pectus disciplinis optimis:
Hic labore, mihi ut uidetur, ringitur præpostero.

HI. Non frustra arrosus est unguis. EV. Quoniam ordo

mc

Et Apolline nullo. Alluſit ad illud Martialis: Musis & Apolline nullo, Quod scribis uersus, hoc Ciceronis habes.

Adhlãditur, id est, placet, sicut arridere dicit, quod placet.

Coccyx, qui Latinè dicitur Cuculus penul: produ. Notus est Apologus de certamine canẽdi inter luscíniam & cuculũ, asino iudice.

Arrodit unguẽ. Gestus est cogitãtis. Persius: Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues. Idem: Chaerestrat⁹ unguem Arrodẽs ait hoc.

me uocat,ne nihil adferam:
Qui ſtudet,ut uarijs niteat cultiſſimus hortus
Delicijs,patiens animum ſquallere,nec ullis
Artibus expoliens,huic eſt præpoſtera cura.

HIL. *Non eſt quur extimulemus Sbrulium. Nam ille ſic ſcatet uerſibus,ut plerunq; uel imprudens effundat carmina.* SB.

Cui uernat hortus cultus & elegans,
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpoſtera is cura laborat.
Sic ratio tibi prima mentis. PA.
Quiſquis accurat uarijs ut hortus
Floribus uernet,neque pectus idem
Artibus ſanctis colit,hunc habet præ-
poſtera cura.

HI. *Nunc experiamur,cui hortus ſuppeditet plures ſententias.* LE. *Quid ni faciat tam diues? Vel hoc roſetum mihi ſuggeret quod dicam. Vt breuis eſt roſæ nitor, ita fugax eſt iuuentus: properas carpere roſam prius, quàm marceſcat,magis adnitendũ eſt,ne ſine fructu tibi effluat iuuentus.* HI. *Thema ſatis aptum carmini.* CA. *Vt inter arbores ſuus cuiq; fœtus eſt,ita inter homines ſuæ cuique dotes ſunt.* BV. *Vt terra ſi excolatur, uarias opes gignit in uſus humanos, neglecta ſpinis ac uepribus obducitur: ita hominis ingenium ſi excolatur optimis ſtudijs, plurimas edit uirtutes: ſin negligas, uarijs occupatur uitijs.* SB. *Hortus quotannis colendus eſt, ut niteat: animus ſemel excultus honeſtis ſtudijs, perpetuò floret ac uernat.* PA. *Vt amœnitas hortorum non auocat animum ab ho-*

r neſtis

neſtis ſtudijs, ſed ad hæc inuitat potius: ita quærendi ſunt luſus ac ioci, qui non abſunt à literis. HIL. *Euge uideo examen ſententiarum. Nunc ad uerſus: ſed antè quàm id aggrediamur, mea ſententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, ſi primã ſententiã toties reddamus Græcis uerſiculis, quoties reddidimus Latinis. Hic auſpicabitur Leonardus iam olim familiaris Muſis Græcanicis.* LE. *Ineptiam, ſi iubes.* HI. *Iubeo, atq; impero.* LE.

ὦ κἠπόσ ἐσ᾽ ἄνθεσιν γελᾶν καλοῖς,
Ὃ δ᾽ νῦς μαλ᾽ οὐ χμῶν, πῖς καλοῖς μαθήμασιν
Οὐκ ἐσ κόμφ⊙, ὅπος ἐκ ὀρθῶς φρονᾷ,
Πφὶ πλέον⊙ ποιῶν τὰ φαῦλ᾽ ἢ κφίτ᾽ονα.

Ego præſulem. Alluſit ad Salios ſacerdotes Martis, ni fallor, qui ſaltabãt in pompa: præſul autem, qui ſaltat primus. Eſt in quibuſdã choreis mos, ut unus ſol⁹ auſpicet ſaltationẽ, unde quiſquis alijs cunctantibus rem cœpit, dicitur incœpiſſe choream.

Ego præſulem egi, ſuccedet qui uolet. HI. *Carinus.* CA. *Imò Hilarius.* LE. *Sed uideo Margaretam interuenire, adfert neſcio quid deliciarum.* HI. *Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers?* MA. *Sinapi, quo condiatis ueſtra bellaria: an nõ pudet hìc garrire in multã noctẽ, & poſtea uos poëtæ multa blateratis in loquacitatẽ fœminarum?* CR. *Haud malè monet Margareta. iam tempus eſt ut ſuum quiſq; nidum adeat, aliàs in hoc pulcherrimo certaminis genere uel ſolidum diem conſumemus.* HI. *Sed cui addicis præmium?* CR. *In præſentia quidem mihi ipſi adijcio. Nullus enim uicit præter unum me.* HI. *Quũ uicisti, qui non certaueris?* CR. *Vos certaſtis, at non decertaſtis. Ego quod nemo ueſtrum potuit, uici Margaretam.* CA. *Hilari, æquum poſtulat, auferat calathum.*

INQVISITIO DE FIDE.

AVLVS, BARBATIVS.

Puerorũ. In libello cui titul⁹ Cato, nã is pueris prælegitur.

AV. *Puerorum eſt cãtilena: Saluta libenter. Verum haud*

ſcio

scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem. BAR. Equidem malim qui det salutem, quàm qui dicat. Sed quam ob rem isthuc ais Aule? AVL. Quam ob rem? Quia, si scire uis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis. BA. Sunt & Veioues, sunt bruta fulmina, multum etiam origine dißidentia à fatidicis. Nam, ut suspicor, tu de anathemate sentis. AV. Rem coniectas. BA. Audiui quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non sensi. AV. Quî sic? BA. Quia nihilo peius concoquo, neq; irrequietius dormio. AV. Sed hòc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verùm hæc bruta fulmina, quæ tu uocas, feriunt montes & maria. BA. Feriunt, sed irritis ictibus. Est & fulgor è uitro seu uase æreo. AV. Certè territat & hoc. BA. Verum, sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam. AV. Quid si Deus est in suo uicario? BA. Vtinam sit. AV. Imò multi demirantur te iandudum non esse quouis carbone atriorem. BAR. Finge me talem. Atqui tanto magis erat optãda salus perdito, si placet Euangelica doctrina. AV. Optanda quidem, at non dicenda. BA. Cur ita? AV. Quòd pudescat ictus fulmine, ac resipiscat. BAR. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. AVL. Quam ob rem? BA. Quia quum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris satanæ: hoc est, modis omnibus excõmunicatißimi, tum ille maximè nobiscum confabulatus est per filium suum, suoq; colloquio nos restituit in uitam, quum essemus mortui. AVL. Ista quidem uerè narras. BA. Imò malè agerctur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus grauat miserum: imò tum maximè conuenichat adesse medicum.

Veioues, sunt Ioues sinistri & noxij. Sicuocãt poëtæ numen læuũ Veiouẽ.

Bruta Fulmina. Vide Plin. lib. 2. cap. 43.

Bruta, quasi sine ratione ueniunt, nec quicquã portendũt.

Fatídica prædicunt aliquid.

Montes & maria, &c. Refert Plinij uerba ex loco quem modo citaui.

Fulgur è uitro. Vide puerbiũ, Carbone atriorem. Videtur innuere quempiam excõmunicatum.

AVL. At ego metuo, ne tu mihi citius affles aliquid tui mali, quàm fiat ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu uenit, ut pro medico fiat palæstrites, qui uisit ægrotum.

Palęstrites.i. luctator, nimirū quum inuisit phreneticum.

BA. Ita quidem usu uenit in corporum morbis: uerùm in animi malis est tibi parata antidotus aduersum omne contagium. AV. Quænam? BA. Adamantinum propositum, non diuelli à sententia semel infixa. Deinde quur palæstram metuis, ubi res uerbis agitur? AV. Est aliquid quod dicis, si modò spes sit profectus. BA. Prouerbio dicitur, Donec spirat homo, sperandum esse. Et iuxta Paulum, Charitas nescit desperare, quia sperat omnia. AV. Non pessimè mones, atq; hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper: at, si pateris, medicum agam. BA. Licet. AV. Vulgò sunt inuisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percontantur de singulis. BA. Percontare à cœlo usque ad terram, si libet. AV. Experiar, modò fidem des te responsurum ex animo. BA. Do, modò sciam qua de re uelis percontari. AV. De symbolo apostolorum. BA. Audio militare uerbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hic fefellero. AVL. Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? BA. Et quicquid cœlo terraq; continetur, atq; etiam mentes angelicas. AV. Quum deum dicis, quid sentis? BA. Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec maius, nec sapientius, nec melius. AV. Ista quidem satis pié. BA. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerum uisibilium: quæ sapientia mirabili moderatur, ac gubernat uniuersa, sua bonitate

A cœlo usque ad terrā. Plautinum prouerbium, à capite usq; ad pedes.

Militare uerb. Qui baptizantur, dant nomē imperatori Christo, cuius sacramentis autorātur. Et symbolū apud milites signū est, quod inter ipsos conuenit, siue id uocale est siue mutum.

Deus pater-

nitate pascit ac seruat omnia, atque hominum genus collapsum gratuitò restituit. AVL. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? BA. Quum omnipotentem cogito, me totum illi summitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ literæ, simulq; futurũ, quicquid ille promisit, quando nutu quicquid uult, potest, quantumuis homini uideatur impossibile. Ita fit ut meis uiribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapiẽtiæ, uerum credo omnia rectissimè iustissimè'que ab eo fieri, etiam si iuxta sensum humanum uideantur absurda aut iniqua. Quum bonitatem considero, uideo nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficẽtiæ nõ debeam: & nullum arbitror esse tantũ crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neq; quicquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. AV. Num satis esse putas, quòd credis illum esse talem? BAR. Nequaquam, sed syncero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans satanam omnemq; idololatriam, & quicquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec præferens, nec æquans, non angelum, non parentes, non liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non uoluptates, paratus & uitam illius causa perdere, si iusserit, certus eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. AV. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unum Deum? BA. Si quid ueneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius

gloriam referens, semper illi gratias agens, siue lætu contingunt, siue tristia: siue mori datur, siue uiuere. A v. Sana quidē est hactenus tua oratio. De secūda persona quid
Deus filius. sentis? B A. Scisciture. A v. Credis Iesum fuisse Deum & hominem? B A R. Maximé. A v. Quī fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? B A. Isthuc illi facile fuit efficere, qui quicquid uult potest. Et ob diuinam naturam, quam eandem habet cum patre, quicquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo patri, idē tribuo & filio: quicquid debeo patri, debeo & filio: nisi quòd ita uisum est patri, ut per filium conderet ac donaret nobis omnia. A v. Quur igitur sacræ literæ filiū frequentius appellant dominum quàm Deum? B A. Quia Deus autoritatis: hoc est, principatus est nomen, quæ patri præcipuè conuenit: qui simpliciter principium est omnium atq; ipsius etiam deitatis fons. Dominus, redemptoris & assertoris uocabulum est. Quanquàm & pater redemit per filiū, & filius Deus est, sed ex Deo patre. So-
Ne quis somniet, &c. Arrius docuit filiū Dei etiā iuxta perfectissimam naturā fuisse creaturam. At qui natura filius est, gignitur ex sub stantia patris: Dei substantia idiuisibilis est: eandem igitur oportet esse patris & filij. de diuinis personis loquor.
lus autem pater à nullo est, & in personis diuinis principem locum obtinet. A v. Ergo & in Iesu collocas tuam fiduciam? B A. Quid ni? A v. Sed propheta maledictum dicit, qui fidit in homine. B A. Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quanquàm nec in hoc fiduciæ speiq; meæ sacram, ut aiunt, ancoram figerem ni Deus esset. A v. Quur cum filium appellat? B A R. Ne quis somniet esse creaturam. A v. Quur unicum? B A. Vt discernat naturæ filium à filijs adoptiuis, cuius cognominis honorem nobis etiam impartit

impartit, ut neminē præter hunc alium expectemus. A v. Quur eum qui Deus erat, hominem fieri uoluit? B A. Vt homines homo reconciliaret Deo. A v. Credis conceptum citra uirilem operam, opificio ſpiritus ſancti, ac natum ex incorrupta Virgine Maria, de illius ſubſtantia ſumpto mortali corpore? B A. Maximé. A v. Quur ſic naſci uoluit? B A. Quia ſic decebat naſci Deum, ſic decebat naſci, qui noſtræ conceptionis ac natiuitatis ſordes purificaret. Hominis filius naſci uoluit Deus, ut nos in illum renaſcentes efficeremur filij Dei. A v. Credis illum uerſatum in terris, ea geſſiſſe miracula, ea docuiſſe, quæ prodita ſunt literis Euangelicis? B A. Certius quàm te credo eſſe hominem. A v. Non ſum inuerſus Apulcius, ut ſuſpiceris aſinū latēre ſub hominis ſpecie. Sed credis hūc eundem eſſe Meſſiam illum, quem deliniarant figuræ legis, quē pronziſerant oracula prophetarum, quem tot ſeculis expectarāt Iudæi? B A. Nihil habeo perſuaſius. A v. Credis huius doctrinam ac uitam ſufficere ad perfectam pietatem? B A. Admodùm. A v. Credis eundem uerè comprehenſum à Iudæis, uinctum, colaphis & alapis cæſum, conſputum, irriſum, flagellatum ſub Pontio Pilato, ac deniq; ſuffixum in crucem, atq; inibi mortuum? B A. Maximé. A v. Credis illum ab omni lege peccati cuiuſcunque fuiſſe immunem? B A. Quid ni? Agnum abſque macula. A v. Credis illum ſua ſponte hæc omnia perpeſſum? B A. Imò libēter, atq; etiā ſitienter, ſed ex uoluntate patris. A v. Quur pater filiū ſuum unicū innocentē, ſibiq; chariſſimum, hæc tam atrocia pati uoluit? B A. Vt hac uictima nos nocētes ſibi reconciliaret, in illius nomē

Apuleius. Namis mentē hominis tegebat ſub aſinina ſpecie, quū multi ſint qui ſub humana ſpecie tegūt aſinum.

collocantes fiduciam ac ſpem noſtram. AV. Quur Deus paſſus eſt ſic collabi totum humanum genus? Et ſi paſſus eſt, non patuit alia uia ſarciendi ruinam noſtram? BA. Hoc mihi perſuaſit, non humana ratio, ſed fides, nulla ratione potuiſſe fieri melius, neq; ad ſalutẽ noſtram utilius. AV. Quur hoc mortis genus illi potißimum placuit? BA. Quia iuxta mundum erat probroſißimum: quia diri lentiq; cruciatus: quia cõueniebat illi, qui porrectis in omnẽ mundi plagam membris, omneis orbis nationes inuitaret ad ſalutem, & homines terrenis curis affixos reuocaret ad cœleſtia. Deniq; ut referret nobis ſerpentem æneum, quem Moſes ſuſpenderat in ſtipite, ut quicunq; defigerent in illum oculos, ſanarentur à uulnere ſerpentum: fidemq; prophetæ liberaret, qui prædixerat: Dicite in nationibus, regnauit à ligno Deus. AV. Quur & ſepeliri uoluit, id quę tam accuratè, oblitus myrrha & unguentis, incluſus nouo monumento è ſolido uiuo que ſaxo exciſo, obſignato oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis? BA. Quò magis conſtaret eſſe uerè mortuum. AV. Quur non ſtatim reuixit? BA. Hac ipſa de cauſa. Etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio, ſed hanc uoluit eſſe certißimã. AV. Credis huius animam deſcendiſſe ad inferos? BA. Hanc particulam non fuiſſe quondam additam nec in ſymbolo Romano, nec in ſymbolo orientalium eccleſiarum, teſtis eſt Cyprianus, nec recenſetur apud Tertullianũ uetuſtißimum ſcriptorem: ego tamen & hoc firmiter credo, uel quia congruit cum prophetia pſalmi, Non derelinques animam meam in inferno. & rurſus: Domine eduxiſti ab inferno animam

Viuo ſaxo. An ſaxa naſcantur & augeſcãt incertũ. Viua tamen ſaxa dicũtur, quæ nondum ſuo loco ſunt amota.

mam meam. uel quia Petrus apostolus in epistolæ prioris, de cuius autore nunquàm fuit dubitatum, capite tertio scripsit hunc in modum: Mortificatus quidē carne, uiuificatus autem spiritu, in quo & his qui in carcere erant, spiritu ueniens prædicauit. Verùm ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illhic aliquid esse passum: descendit enim, non ut illhic cruciaretur, sed ut nobis frangeret regnum satanæ. AVL. Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos reuocaret ad uitam. Cæterum quur reuixit? BA. Tribus potißimum de causis. AV. Quibus? BA. Primùm, ut nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus eum immortalē esse, nec unquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocauimus. Postremò, ut nos quoq; per pœnitentiam mortui peccatis, per baptißmum unà cum illo sepulti, per gratiam eius reuocemur ad uitæ nouitatem. AV. Credis ne, quòd idem corpus, quod mortuū fuit in cruce, quod reuixit in sepulchro, quod uisum & contrectatū est discipulis, subuexerit in cœlum? BA. Maximé. AV. Quur uoluit relinquere terras? BA. Vt illū omnes spiritualiter amaremus, neq; quisquam in terris sibi Christū propriè uindicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, sciētes illhic esse caput nostrum. Etenim si nunc homines tantopere sibi placent ob uestis colorem ac figurā, quumq; sic quidam ostentent sanguinem aut præputium Christi, & lac matris Virginis: quid credis futurum, si mansißet in terris uestitus, comedens, loquens? Quæ dißidia parassent ista corporis peculiaria? AVL. Credis illhic immortalitate donatum aßidere dextrū patri? BA.

Quid ni? ut rerum omnium dominum, & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit Stephano martyri suo. AV. *Cur hoc exhibuit?* BA. *Ne nos ulla in re trepidaremus, gnari, quàm potentem patronum ac dominum habeamus in cœlis.* AV. *Credis illum eodem corpore rediturum, ut iudicet uiuos & mortuos?* BA. *Quàm habeo certum, esse hactenus peracta, quæ prophetæ de Christo prædixerant: tam habeo certum, fore quicquid in posterũ uoluit nos expectare. Prior aduentus exhibitus est iuxta uaticinia prophetarum, quo uenit humilis, ut nos institueret ac seruaret. Exhibebitur & secundus, quo ueniet sublimis in gloria patris: ante cuius tribunal sisti cogentur omnes homines cuiuscunque nationis, cuiuscunq; status, siue reges, siue plebeij, siue Græci, siue Scythæ: nec solùm hi, quos aduentus ille deprehendet uiuos, uerumetiã omnes qui ab initio mundi usque ad illud tempus mortui fuerint, subitò reuiuiscent, & suo quisque corpore conspiciet iudicem. Aderũt & angeli beati, tanquàm famuli fideles: aderunt & dæmones iudicandi. Tum è sublimi pronuntiabit illam ineuitabilem sententiam, quæ diabolum cum his, qui illi adhæserũt, tradet æternis supplicijs, ut postea nulli possint nocere: pios transferet in consortium regni cœlestis, tutos ab omni molestia: quanquàm huius aduentus diem nobis ignotũ esse uoluit.* AV. *Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiã personã.*

Deus spiritus sanctus.

BA. *Vt uidetur.* AVL. *Credis in spiritum sanctum?* BA. *Credo hunc esse uerũ Deum unà cum patre & filio. Credo hoc spiritu afflatos fuisse, qui nobis ueteris ac noui*

Testa

Testamenti libros tradiderunt, sine cuius ope nemo peruenit ad salutem. AV. *Quur appellatur spiritus?* BA. *Quia quemadmodum corpora nostra uiuunt halitu, ita tacito sancti spiritus afflatu uiuificãtur animi nostri.* AV. *An non licet patrem uocare spiritum?* BA. *Quid ni?* AV. *An non igitur confunduntur personæ?* BA. *Non. Nam pater spiritus dicitur, quòd sit incorporeus, id quod omnibus personis est commune iuxta naturam diuinam. Sed tertia persona dicitur spiritus, quòd alicunde spiret, & per animos sese transfundat insensibiliter, uelut à terra seu fluuijs spirant auræ.* AVL. *Cur personæ secundæ tribuitur nomen filij?* BA. *Ob perfectam naturæ & uoluntatis similitudinem.* AVL. *Est filius similior patri, quàm spiritus sanctus?* BA. *Non, iuxta naturam diuinam, nisi quòd hòc magis refert proprietatem patris, quòd ab ipso quoq; procedat spiritus sanctus.* AVL. *Quid igitur prohibet spiritum sanctum appellari filium?* BA. *Quia cum diuo Hilario nusquam hunc lego genitum, nec huius lego patrem: spiritum & procedentem lego.* AV. *Cur in symbolo solus pater dicitur Deus?* BA. *Quòd hic, ut dixi, simpliciter sit autor omnium, quæ sunt, ac totius deitatis fons.* AV. *Dic clarius.* BA. *Quoniam nihil nominari potest, cuius origo non manat à patre. Siquidẽ hoc ipsum quòd filius ac spiritus sanctus Deus est, patri acceptum referunt. Præcipua igitur autoritas: hoc est, originis ratio, est in patre solo, quòd unus ille à nullo est. In symbolo tamen sic accipi potest, ut Dei nomẽ non sit personæ proprium, sed in genere positũ, quod mox per patris, filij, & spiritus sancti uocabulum distinguatur. In unum Deum,*

quæ

quæ naturæ uox comprehendit patrem, filiũ, & spiritum sanctũ, hoc est tres personas. A v. *Credis in sanctam eccle-*
Credere eccle-siam. *siam?* B A. *Non.* A v. *Quid ais? non credis?* B A. *Credo sanctam ecclesiam, quæ est corpus Christi: hoc est, congregatio quædam omniũ per uniuersum orbem, qui consentiunt in fide Euangelica, qui colunt unum Deum patrem, qui totam suam fiduciam collocant in eius filio, qui eodem huius spiritu aguntur, à cuius consortio resecatur, quisquis admittit crimen letale.* A v. *Quur horres dicere, Credo in sanctam ecclesiam?* B A. *Quia sic me docuit diuus Cyprianus, in solum Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciã reponimus. Ecclesia uerò propriè dicta, quanquam non constat nisi ex bonis, tamen ex hominibus constat, qui ex bonis possunt fieri mali,*
Sanctorum cõ-munio. *qui falli possunt & fallere.* A v. *Quid sentis de communione sanctorum?* B A. *Hic articulus omnino non attingitur apud Cyprianum, quum ille nominatim indicet, quid in quibus ecclesijs plus habeatur aut minus. Sic enim ille connectit. Sequitur nanque post hunc sermonem, Sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem.* Ac *nonnullis uidetur hæc pars non esse diuersa à superiore, sed explicare & infigere quod modò dictum erat, sanctam ecclesiam: ut nihil aliud sit ecclesia, quàm unius Dei, unius Euangelij, unius fidei, unius spei professio, eiusdem spiritus, eorundem sacramentorum participatio: breuiter, talis quædam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerũt ab initio mundi usque ad finem, qualis est membrorum corporis inter ipsa societas, sic ut aliorum beneficia subueniant alijs,*

donec

donec uiua sunt membra corporis. Cæterùm extra societatem hanc ne propria quidem benefacta conducunt cuiquam ad salutem, nisi reconcilietur sanctæ congregationi: & ideo sequitur, Remissionem peccatorum, quia extra ecclesiam non est ulla peccatorum remissio, quantumuis homo maceret se pœnitentia, aut exerceat opera misericordiæ. In ecclesia, inquam, non hæreticorum, sed sancta: hoc est, spiritu Christi congregata, est remissio peccatorum per baptismum, & post baptismum, per pœnitentiam & claues ecclesiæ datas. A V L. Ista sunt adhuc sani hominis. Credis'ne futuram carnis resurrectionem? B A. Frustra crederem cætera, si hoc, quod est omnium caput, non crederem. A V. Quid sentis quum dicis carnem? B A. Corpus humanum humana anima animatum. A V. Num unaquæq; anima accipiet suum corpus, quod exanime reliquerat? B A R. Idem hoc unde demigrarat. Et ideo in symbolo Cypriani additum est huius carnis. A V L. Quî fieri potest, ut corpus iam toties ex alijs in alia uersum, possit idem reuiuiscere? B A R. Qui potuit, quicquid uult, ex nihilo creare, an huic difficile sit quod ex sua forma mutatum est, in pristinam naturam restituere? Non anxiè disputo, quibus modis id fiat: mihi satis est, quòd qui promisit hoc futurũ, sic uerax est, ut mentiri non possit: sic potens est, ut quicquid uelit, nutu ualeat efficere. A V. Quid opus erit tum corpore? B A. Vt totus homo glorietur cum Christo, qui hîc totus afflictus erat pro Christo. A V L. Quid sibi uult, quod addit, Et uitam æternam? B A. Ne quis suspicetur nos sic reuicturos, quemadmodum sub uernum tempus reuiuiscunt ranæ

Remissio peccatorum.

Carnis resurrectio.

Vita æterna.

næ, rursus morituræ. Nam hîc duplex mors est, corporis bonis ac malis omnibus communis, & animi. Mors autem animi, peccatum est. At post resurrectionem pijs erit æterna uita, tum corporis, tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti, aut ulli incommodo, sed spirituale factũ spiritus arbitrio mouebitur: nec animus deinceps ullis uitijs aut doloribus solicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est Deus. Contrà, impios mors æterna possidebit tum corporis, tum animi. Nam & corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale, & animum peccatorum stimulis semper afflictum absque spe ueniæ. A V. Credis hæc ex animo, ac serio? B A. Sic, inquam, ut mihi minus certum sit, te mecum colloqui. A V. Ego quum essem Romæ, non omneis reperi æquè syncerè credentes. B A R. Imò si excutias, reperies & alibi multos, quibus hæc non æquè persuasa sunt. A V. Quum in tam multis & arduis consentias nobiscum, quid obstat quo minus totus sis noster? B A. Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi uideor orthodoxus, etiam si uitam meam nolim præstare, tametsi sedulò conor, ut professioni respondeat. A V. Vnde igitur tantum bellum inter uos & orthodoxos? B A R. Exquire. Sed heus medice, si non pœnitet huius procœmij, sumes nobiscum prandiolum, & à prandio per otium percontaberis de singulis, præbebo brachium utrunque, inspicies excrementa tum crassiora, tum liquidiora. Denique facies, si uidebitur, totius huius pectoris anatomiã, quò certius de me iudices. A V. At religio est tecum mensam habere communem. B A. Atqui id solent medici, quò melius

Orthodoxus, id est, rectæ opinionis, cui contrariũ est hæretici uocabulũ.

Præstare dicitur, qui suo periculo ultrũ aut corripit aut defendit.

melius obseruent, quid affectent aut peccent ægroti. AV. Sed uereor ne uidear fauere hæreticis. BA. Imò nihil est sanctius, quàm fauere hæreticis. AV. Quî sic? BA. Non'ne Paulus optauit anathema fieri pro Iudæis plus quàm hæreticis? An nõ fauet ille qui studet ut quis ex malo fiat bonus, ex mortuo uiuus? AV. Maximè. BAR. Sic igitur faue, nec erit quod metuas. AV. Nunquàm audiui ægrotum commodius respondentem. Agè duc me ad prandium. BA. Medicè accipieris, & ut decet apud ægrotũ, & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo secius animus idoneus sit ad disputandum. AVL. Fiat bonis auibus. BAR. Imò malis piscibus fiet: nisi fortè nunc oblitus es esse diẽ Veneris. AV. Id quidem est præter symbolum nostrum.

Bonis auibus id est, feliciter, alter arripuit iocum ex ambiguo.

Præter symbolum. Rursum iocus est ex ambiguo. Nã in symbolo apostolorum nulla mentio est de pũcibus, & dicũtur symbola cõuiuiorum.

ΓΕΡΟΝΤΟΛΟΓΙΑ, siue ὄχημα.

EVSEBIVS, PAMPIRVS, POLYGAMVS, GLYCION.

EV. Quas nouas aues hîc ego uideo? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, uideo tres ueteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum, & Glycionem. Certè ipsi sunt. PA. Quid tibi uis cum tuis uitreis oculis fascinator? Congredere propius Eusebi. PO. Salue multùm exoptate Eusebi. GL. Bene sit tibi uir optime. EV. Saluete uos omnes una salute, pariter mihi charissima capita. Quis Deus, aut casus Deo felicior uos coniunxit? Nam nemo nostrum uidit alium annis, opinor, iam quadraginta. Mercurius caduceo suo non potuisset melius nos in unum contrahere. Quid hîc agitis? PA. Sedemus. EV. Video, sed qua de causa? PO Opperimur currum, qui nos deuehat Antuuerpiã. EV.

Eusebius, pius.

Pampirus omnia expertus.

Polygamus, qui sæpe duxit uxorem.

Glyciõ, dulcis siue dulcior.

Nouas aues, alludit ad peregrinas aues.

Rara auis.

Vitreis oculis, significat uitrea perspicilla: & fascinatio est in oculis.

Ad

Ad mercatum? PO. *Scilicet, sed spectatores magis quàm negotiatores: quanquàm aliis aliud est negotij.* EVS. *Et nobis eôdem est iter. Verùm quid obstat, quo minus eatis?* PO. *Nondum conuenit cum aurigis.* EV. *Difficile genus hominum. Sed uis ne, ut illis imponamus?* PO. *Liberet, si liceret.* EV. *Simulemus nos uelle simul abire pedites.* PO. *Citius credant cancros uolaturos, quàm nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos.* GL. *Vultis rectum uerumq; consilium?* PO. *Maximè.* GL. *Illi potant: id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos deijciant in lutum.* PO. *Admodùm diluculo uenias oportet, si sobrium aurigam uelis.* GLY. *Quò maturius peruenia-mus Antuuerpiam, nobis quatuor solis currum stipule-mur. Contemnendũ sentio tantillum pecuniæ. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur, sedebimus cõmodius, ac mutuis fabulis suauissimè transigemus hoc iter.* PO. *Rectè suadet Glycion, ut in uehiculo quoq; iucundus co-mes pro uehiculo sit. Quin & iuxta Græcorum prouer-bium, liberius loquemur, nõ de plaustro, sed in plaustro.* GL. *Transegi, conscendamus. Vah, nunc mihi libet uiue-re, posteà quàm ex tanto interuallo uidere cõtigit mihi charissimos olim sodales.* EV. *Ac mihi uideor repubesce-re.* PO. *Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ conui-ximus?* EV. *Arbitror haud pauciores quadraginta duo-bus.* PA. *Tum uidebamur omnes æquales.* EV. *Ita fer-me eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillum erat.* PAM. *At nunc quanta inæqualitas? Nam Glycion nihil habet senij, & huius auus uideri queat Polygamus.* EV. *Profectò sic res habet. Quid rei in causa?* PAM. *Quid?*

In plaustro. Alludit ad prouerbiũ, E plaustro loqui.

aut

aut hic cessauit ac restitit in cursu, aut ille anteuertit. E V. Ohe non cessant anni, quantumuis cessent homines. P O. Dic bona fide Glycion, quot annos numeras? G L. Plures quàm ducatos. P O. Quot tandem? G L Y. Sexaginta sex. E V. O uere πόωνῦ γῆρας, quod aiunt. P O. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? Nam neq; canities adest, neque rugosa cutis, uigent oculi, nitet utrinque dentium series, color uiuidus est, corpus succulentum. G L. Dicam artes meas, modò tu uicißim narres nobis artes tuas, quibus senectutem acceleraßi. P O. Recipio me facturum. Dic igitur, quò te contulisti relicta Lutetia? G L. Rectà in patriam. Illhic cõmoratus ferè annum, dißpicere cœpi de deligendo uitæ genere, quam ego rem non leue momentum habere credo ad felicitatem: circunßpiciebam quid cuiq; succederet, quid secus. P O. Miror tibi tantum fuisse mentis, quum Lutetiæ nihil fuerit te nugacius. G L. Tum ferebat ætas. Et tamen ò bone, non hîc meo Marte rem omnem gessi. P O. Mirabar. G L. Prius quàm quicquam aggrederer, adij quendam è ciuibus natu grandem, longo rerum usu prudentißimum, totius'que ciuitatis testimonio probatißimum, ac meo quidem iudicio etiam felicißimum. E V. Sapiebas. G L. Huius usus consilio duxi uxorem. P O. Pulchrè dotatam? G L. Dote mediocri, ac planè iuxta prouerbium, τὸ κατ' ἐμαυτόν. Nam & mihi res erat mediocris. Ea res mihi planè cessit ex animi sententia. P O. Quot annos tum eras natus? G L. Viginti fermè duos. P O. O te felicem. G L. Non totum hoc fortuna debeo, ne quid erres. P O. Quî sic? G L Y. Dicam. Alij prius diligunt quàm deligant, ego iudicio

τὸ θάνῦ γῆρας, de lõgæua, sed florida senectute. Vide prouerbium.

Vtrinq;, id est, superne & infernè, est enim gemina series.

Ferebat, id est, postulabat.

Id est, pro mea sorte. Vide prouerbiũ Pittaci, Aequalem tibi duxito.

delegi quam diligerem: & tamen hanc magis duxi ad posteritatem, quàm ad uoluptatem. Cum ea uixi suauissimè annos non plures octo. PO. Reliquit orbum? GLY. Imò supereſt quadriga liberorum, filij duo, filiæ totidem. POL. Priuatus ne uiuis, an magiſtratu fungeris? GLY. Eſt mihi munus publicum, poterant contingere maiora: uerùm hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, ut me uindicaret à contemptu, cæterùm minimè moleſtis negotijs obnoxium. Ita nec eſt, quod quiſquam obijciat, me mihi uiuere, & eſt unde nonnunquam & amicis dem operam. Hoc contentus, nihil unquam magis ambij. Verùm ſic geßi magiſtratum, ut illi ex me dignitas accreuerit. Hoc ego pulchrius duco, quàm ex muneris ſplendore dignitatem mutuò ſumere. EV. Nihil uerius. GL. Sic inter ciues meos conſenui charus omnibus. EV. Iſthuc uerò difficilimum eſt, quum non absre dictum ſit, Qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quenquam: & felicitatis ſemper inuidiam eſſe comitem. GL. Inſignem felicitatem comitari ſolet inuidia: mediocritas tuta eſt. Et hoc mihi perpetuum ſtudium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam, quam Græci uocant ἀπραξίαν, quantum licuit, amplexus ſum. Nullis negotijs ingeßi memet, ſed præcipuè continui me ab his, quæ ſine offenſa multorum ſuſcipi non poterant. Itaque ſi iuuandus erit amicus, ſic illi benefacio, ut hac de cauſa nullum mihi parem inimicum. Et ſi quid ortum fuerit ſimultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officijs extinguo, aut diſſimulatione patior intermori: à contentione ſemper abſti

ἀπραξία, id eſt, otiũ, ſiue abſtinentia à negotijs. Hinc uerſus puerbialis, φιλοπραγμοσύνη ἰσοπαλὴς κακίῃ, ἀπραξίᾳ.

abſtineo: quæ ſi inciderit, malo rei, quàm amicitiæ facere iacturam. In cæteris Mitionem quendam ago, nulli lædo os, arrideo omnibus, ſaluto ac reſaluto benigniter, nullius animo repugno, nullius inſtitutum aut factum damno, nemini me præfero, patior ſuum cuique pulchrum eſſe. Quod taceri uelim, nemini credo. Aliorum arcana non ſcrutor: & ſi quid forte noui, nunquàm effutio. De his qui præſentes non ſunt, aut taceo, aut amicè loquor, ac ciuiliter. Magna pars ſimultatum inter homines naſcitur ex linguæ intemperantia. Alienas ſimultates nec excito, nec alo: ſed ubicunq; datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus uitaui inuidiam, ac beneuolentiam ciuium meorum alui. P A. *Non ſenſiſti grauem cœlibatum?* G L. *Mihi quidem nihil accidit acerbius in uita unquam uxoris morte, ac uehementer optaſſem illam unà mecum conſeneſcere, liberis'que communibus frui: ſed quando aliter uiſum eſt ſuperis, iudicaui ſic magis expedire utrique, neque cauſam putaui cur me inani luctu diſcruciarem, præſertim quum is nihil prodeſt defunctæ.* P O. *Nunquam'ne inceſſit libido repetendi matrimonij, præſertim quum iſtud tibi feliciter ceſſiſſet?* G L Y. *Inceſſit, ſed liberorum cauſa duxeram uxorem, liberorum cauſa rurſus non duxi.* P O L. *At miſerum eſt cubare ſolum totas noctes.* G L Y C. *Nihil eſt difficile uolenti. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates cœlibatus. Quidam omni ex re decerpunt ſi quid eſt incommodi, qualis fuiſſe uidetur Crates ille, cuius titulo fertur epigramma uitæ mala colligens. Nimirùm his placet illud: Optimum*

Mitionem. Ex Adelphis Terentij.

Vide prouerbium, Optimũ non nasci.

non nasci. Mihi magis arridet Methrodorus, undequaque decerpens si quid ineſt boni. Sic enim fit uita dulcior. Et ego ſic induxi animum, ut nihil uehementer uel oderim, uel expetam. Ita fit, ut ſi quid obtingat boni, non efferar, aut inſoleſcã: ſi quid decedat, non admodum crucier. P A. Næ tu philoſophus es uel ipſo Thalete ſapientior, ſi quidem iſthuc potes. G L. Si quid ægritudinis obortum eſt animo, ut multa fert huiuſmodi uita mortalium, protinus eijcio ex animo, ſiue ſit ira ex offenſa, ſiue quid aliud indignè factum. P O. At ſunt quædam iniuriæ, quæ uel placidiſſimo moueant ſtomachum: tales ſunt frequenter & famulorum offenſæ. G L. Nihil ego patior reſidere in animo meo. Si mederi, queam medeor: ſin minus, ſic cogito, Quid proderit me ringi re nihilo melius habitura? Quid multis? Patior, ut hoc mox impetret à me ratio, quod paulò pòſt tempus eſſet impetraturum. Certè nullus eſt tantus animi dolor, quem patiar mecum ire cubitum. E V. Nihil mirum, ſi tu non ſeneſcis, qui tali ſis animo. G L. Atq; adeò ne quid reticeam apud amicos, cum primis caui, ne quid flagitij committerem, quod uel mihi, uel liberis meis probro eſſe poſſet. Nihil enim irrequietius animo ſibi malè conſcio. Quòd ſi quid culpæ admiſſum eſt, non eo cubitum prius, quàm me Deo reconciliaro. Veræ tranquillitatis, ſeu, ut Græcè dicam, εὐθυμίας fons eſt, bene conuenire cum Deo. Nam qui ſic uiuunt, his nec homines magnopere nocere poſſunt. E V. Num quando te cruciat metus mortis? G L Y. Nihilo magis quàm macerat dies natiuitatis. Scio moriendum: iſta ſolicitudo fortaſſis adimat mihi aliquot uitæ dies, certè nihil poſſit

εὐθυμία, id eſt animi tranquillitas.

adijcere

adiscere. Itaque totam hanc curam superis committo: ipse nihil aliud curo, quàm ut bene suauiterq; uiuam. Non potest autem suauiter, nisi qui bene. P A. *At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eadem urbe, etiam si Romæ contingat uiuere.* G L. *Habet quidem loci mutatio noluptatis nonnihil: longinquæ uerò peregrinationes ut prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum. Mihi uideor tutius totum orbẽ obire in tabula geographica, neq; paulò plus uidere in historijs, quàm si uiginti totos annos ad Vlyssis exemplum, per omnes terras mariaq; uolitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab urbe non plus quàm duobus millibus passuum: ibi nonnunquam ex urbano fio rusticus: atq; ibi recreatus, redeo nouus hospes in urbem: nec aliter saluto ac salutor, quàm si renauigassem ex insulis nuper inuentis.* E V. *Non adiuuas ualetudinem pharmacis?* G L. *Nihil mihi rei cum medicis. Nec incîdi uenam unquam, nec deuoraui catapotia, nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis, moderatione uictus, aut rusticatione propello malum.* E V. *Nihil'ne tibi cum studijs?* G L. *Est. Nam in his est præcipua uitæ oblectatio: uerùm his oblecto me, non macero. Siquidem uel ad uoluptatem studeo, uel ad utilitatem uitæ, non autem ad ostentationem. A' cibo sumpto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo: nec unquam incumbo libris ultra horam: tum surgo, & arrepta testudine pauliſper obambulans in cubiculo, uel cantillo, uel repeto mecum quid legerim: & si in promptu est cõgerro, refero, mox ad librum redeo.* E V. *Dic mihi bona fide, nullá'ne sentis incommoda senectutis, quæ feruntur esse pluri-*

Catapotia, Græcè trochisci, siue pilulæ quas deglutimus.

Lassitudinis. Lassitudo nulla de causa obortа, significat morbũ inflare iuxta medicos.

ma? G L. Somnus aliquanto deterior est, nec perinde te-
Liberaui fidē, id est, persolui quod debui. Et enim qui promittit, obstringit fidem suam.
nax memoria, nisi si quid infixero. Liberaui fidem meam. Exposui uobis magicas artes meas, quibus alo iuuentutem meam: nunc referat nobis pari fide Polygamus, unde tantum collegerit senij. P O. Equidem nihil celabo tam fidos sodales. E V. Narrabis etiam taciturus. P O. Quum agerem Lutetiæ, quàm non abhorruerim ab Epicuro, nostis ipsi. E V. Sanè meminimus, sed arbitrabamur te mores eos unà cum adolescentia Lutetiæ relicturū. P O. Ex multis quas illhic adamarā, unam mecum abduxi domum, eamq; grauidam. E V. In ædes paternas? P O. Rectà, sed
Verti solum. de exulibus propriè dicit, qui demigrant in aliam regionē. Futuri temporis. Alludit ad sērētiam iurecō sultorū, quā sequunt & Theologi. Si quis dicat puellæ, ducam te, & mox habeat rem cū illa, ratum matrimoniū, perinde quasi dixisset duco te. Hoc reti multi adolescentes capiūtur: magno suo malo discētes hoc sophisma.
mentitus eam esse coniugem cuiusdam amici mei, qui mox esset uenturus. G L. Id credidit pater? P O. Imò rem olfecit intra quatriduum. Mox sæua iurgia. Nec tamen interim temperabam à conuiuijs, ab alea, cæterisq; malis artibus. Quid multis? Quum pater non faceret obiurgandi finem, negans se tales gallinas alere uelle domi, ac subinde minitans abdicationem, uerti sōlum, & cum gallina mea gallus aliò demigraui: ea mihi genuit aliquot pullos. P A. Vnde res suppetebat? P O. Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea conflatum est æris alieni plus satis. E V. Repericbantur tam fatui, ut tibi crederent? P O. Sunt qui nullis credant libentius. P A. Quid tandem? P O. Tandem ubi pater seriò pararet abdicationem, interceserunt amici, ac bellum hoc his legibus composuerunt, ut nostratem uxorem ducerem, cum Galla diuortium facerem. E V. Erat uxor? P O. Interceserant uerba futuri temporis, sed acceserat congressus præsentis tēporis. E V. Quî licuit igitur ab illa diuertere? P O. Pòst rescitum

est

est, meæ Gallæ Gallum esse maritum, unde pridem se subduxerat. EV. Ergo nunc habes uxorem? PO. Non nisi præter hanc, octauam. EV. Octauam? Non sine augurio dictus es Polygamus. Fortasis steriles omnes decessere. PO. Imò nulla non reliquit aliquot catulos domi meæ. EV. Ego malim totidem gallinas, quæ mihi poncrent oua domi. Non tædet polygamiæ? PO. Adeo tædet, ut si hæc octaua moreretur hodie, perendie ducerem nonam. Imò hoc me malè habet, quòd non liceat habere binas aut ternas, quum unus gallus gallinaceus tot gallinas possideat. EV. Equidem haud miror gallinacee, si parum pinguis, quodq; tantum senij tibi collegeris. Nihil enim æquè accelerat senectutem, quàm immodicæ atq; intempestiuæ compotationes, impotentes amores mulierum, & salacitas immoderata. Sed quis alit familiam? PO. Ex obitu parentum accessit res mediocris, & gnauiter laboratur manibus. EV. Desciuisti igitur à literis? PO. Planè ab equis, quod aiunt, ad asinos, ex heptatechno factus monotechnus faber. EV. Miser, toties tibi ferendus erat luctus, toties cœlibatus? PO. Nunquàm uixi cœlebs ultra dies decem, semperq; noua nupta ueterē luctum expulit. Habetis bona fide uitæ meæ summam. Atq; utinam Pampirus narret nobis suæ quoq; uitæ fabulam, qui satis bellè portat ætatem. Nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis est grandior. PA. Dicam equidem, si uobis audire uacat tale somnium. EVS. Imò uolupe fuerit audire. PA. Vbi domum rediissem, statim pater senex urgere cœpit, ut aliquod uitæ genus amplecterer, unde nonnihil quæstus accederet rei familiari: ac post longam consultationem placuit

Gallinas. Nam ponunt oua, & obstrepunt fœminæ.

Ab equis ad asinos, id est, à melioribus ad deteriora. Vide ,puerbium. Heptatechno, id est, septē artiū perito. Tot enim numerantur artes liberales.

negotiatio. P O. *Miror hoc uitæ genus arrisisse potissimum.* P A. *Eram natura sitiens cognoscendi res nouas, uarias regiones, urbes, linguas ac mores hominum. Ad id maximè uidebatur apposita negotiatio. Quibus ex rebus nascitur, & prudentia.* P O. *Sed misera, uidelicet, quæ plerunq; magnis malis sit illis emenda.* P A. *Sic est. Itaque pater numerauit sortem satis amplam, ut dextro Hercule, ac bene fortunante Mercurio negotiationem auspicarer. Simulq; ambiebatur uxor cum amplissima dote, sed ea forma, quæ uel indotatam commendare poterat.* E V. *Successit?* P A. *Imò prius quàm redirem domum, perijt & sors & usura.* E V. *Naufragio fortassis.* P A. *Planè naufragio. Nam impegimus in scopulum quauis Malea periculosiorem.* E V. *In quo mari occurrit iste scopulus, aut quod habet nomen?* P A. *Mare non possum dicere, sed scopulus plurimorum infamis exitijs. Latinè dicitur alea, quomodo uos Græci nominetis, nescio.* E V. *O te stultum.* P A. *Imò stultior pater, qui tantam summam crederet adolescenti.* G L. *Quid deinde factum est?* P A. *Nihil actum, sed cœpi cogitare de suspendio.* G L. *Adeón' erat pater implacabilis? Nam res sarciri potest, & uenia datur ubique protopiro, multò magis Pampiro debebatur.* P A. *Verum fortasse narras, sed interim miser excidi ab uxore. Nam parentes puellæ simulatque cognouerunt hæc auspicia, renuntiarunt affinitatem. Et amabam, ut qui perditissimè.* G L. *Miseret me tui. Sed quid interim consilij tentatum est?* P A. *Id quod solet in rebus desperatis. Pater abdicabat, perierat res, perierat uxor, undiq; audiebam, gurges, nepos, helluo. Quid plura? Seriò mecum*

Dextro Hercule. Retulit uerba Persij. Herculi uouebatur decima bonorum pars, ita illo fauente putabatur res domestica prosperari.

Malea periculosiorē. De Malea promontorio naufragijs infami, uide puer. Maleam legēs.

Protopiro. Vide prouerbiū, πρωτόπυρον πρωτοπύρου, id est, primum experienti ignoscendum.

cum deliberabam, an suspenderem me, an aliquo conijcerem memet in monasterium. E V. Crudele consilium. Scio utrum elegeris, mitius mortis genus. P A. Imò quod mihi tunc usum est crudelius, adeò mihi displicebam totus. G L. Atqui complures eò se deijciunt, ut suauius uiuant. P A. Corraso uiaticulo, furtim me subduxi procul à patria. G L. Quò tandem? P A. In Hiberniam, illhic factus sum Canonicus ex horum genere, qui extimè linei sunt, intimè lanei. G L. Apud Hibernos igitur hybernasti? P A. Non, sed duos menses apud hos uersatus nauigaui in Scotiam. G L. Quid te offendit apud illos? P A. Nihil, nisi quòd institutum illud mihi uidebatur mitius quàm pro meritis eius, qui non uno suspendio dignus erat. E V. Quid in Scotia designatum est? P A. Illhic ex lineo factus sum pelliccus apud Carthusios. E V. Homines planè mundo mortuos. P A. Ita mihi usum est, quum audirem illos canentes. G L. Quid? canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotus? P A. Propémodum sex. G L. O constantiam. E V. Quid illhic offendit? P A. Quia mihi uisa est uita segnis ac delicata. Déinde multos illhic reperi, non admodùm sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri, uerebar ne totum periret. P O. Quò deinde deuolasti? P A. In Galliam. Illhic reperi quosdam totos pullatos ex instituto diui Benedicti, qui colore uestis testantur se lugere in hoc mundo: & inter hos, qui pro summa ueste cilicium ferrent reti simile. G L. O grauem corporis macerationem. P A. Hîc egi menses undecim. E V. Quid obstitit, quo minus illhic maneres perpetuò? P A. Quia plus illhic reperi

ceremoniarum, quàm ueræ pietatis. Præterea audieram esse quosdam his multò sanctiores, quos Bernardus ad seueriorem disciplinã reuocasset, pulla ueste mutata in candidam: apud hos uixi menses decem. E V. Hîc quid offendebat? P A. Nihil admodùm. Nam hos reperi sat commodos sodales. Sed mouebat me Græcorum prouerbium, Δεῦ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Itaque decretũ erat aut nõ esse monachum aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses, homines planè cælestes, ad hos me cõtuli. E V. Quot mẽses illhic egisti? P A. Biduum, nec id sanè totum. G L. Vsqueadeò placuit hoc uitæ genus? P A. Non recipiunt, nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeò insaniebam, ut facilè me præberem capistro, quod nunquam licet excutere. Et quoties audiebam canentes uirgines, cruciabat animum uxor erepta. G L. Quid deinde? P A. Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquam satis sicbat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdem præferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit, sed remorabatur electionem uarietas: alij gestabant albam, alij rubram, alij uiridem, alij uersicolorem, alij simplicem, alij duplicem, nonnulli quadruplicem, alij alia atque alia figura uariatam. Ego ne quid intentatum relinquerem, omnes ferme formas gessi. Verùm ipsa re comperi, longè aliud esse circunferre crucem in pallio seu tunica, quàm in corde. Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam: ut semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam, ac redibo domum sanctimonia onustus. P O. Num eò profectus es? P A. Maximè. P O. Vnde suppetebat uiaticum?

Vide prouerbium, Testudines edendę, aut non.

P A.

P A. Demiror istud nunc denique tibi uenire in mentem ut rogares, ac non multò antè percontatũ fuisse. Sed nosti prouerbium, τὸ τέχνιον πᾶς γὴ τρέφει. G L. Quam artem circunferebas? P A. Chiromanticam. G L. Vbi eam didiceras? P A. Quid refert? G L. Quo præceptore? P A. Eo qui mihi non docet, uentre. Prædicebam præterita, futura, præsentia. G L. Et sciebas? P A. Nihil minus: sed diuinabam audacter, idq; tutò, uidelicet prius accepto pretio. P O. An ars tam ridicula poterat alere te? P A. Poterat, & quidem cum duobus famulis. Tantum est ubique fatuorum & fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cuiusdam magnatis prædiuitis, qui natus annos septuaginta negabat se æquo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymã. E V. Ac domi reliquerat uxorem? P A. Atque etiam liberos sex. E V. O senem impiè pium. Atq; illhinc rediisti sanctus? P A. Vis uerum fatear? Aliquanto deterior, quàm iueram. E V. Sic, ut audio, excussus est religionis amor. P A. Imò magis incanduit. Itaque reuersus in Italiam, addixi me militiæ. E V. Itáne religionem uenabaris in bello, quo quid esse potest sceleratius? P A. Erat sancta militia. E V. Fortassis in Turcas. P A. Imò sanctius quiddam, ut tum quidam prædicabant. E V. Quid nam? P A. Iulius secundus belligerabatur aduersus Gallos. Porrò militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia. E V. Multarum, sed malarum. P A. Ita pòst comperi. Et tamen hic durius uixi, quàm in monasterijs. E V. Quid tum postea? P A. Iam mihi uacillare cœpit animus, utrum ad negotiationem intermissam redirem, an religionem

Id est, artificiosum quæuis terra alit. Vide Chiliades.

Imo sanctius. Hoc tum iactabant, qui Iulio aderant.

gionem fugientem persequerer. Interim uenit in mentem utrunq; alteri posse coniungi. E V. Quid ut simul esses & negotiator & monachus? P A. Quid ni? Nihil religiosius ordinibus mendicantium: & tamen nihil similius negotiationi. Volitant per omnes terras ac maria, multa uident, multa audiunt, penetrant omneis domos plebeiorum, nobilium, atque regum. E V. At non cauponantur. P A. Sæpe nobis felicius. E V. Quod genus ex his delegisti? P A. Omnes formas expertus sum. E V. Nulla placuit? P A. Imò perplacuerant omnes, si licuisset statim negotiari. Verum perpendebam mihi diu sudandum in choro, prius quàm crederetur mihi negotiatio. Iamq; cogitare cœpi de uenanda Abbatia, sed primùm non omnibus hîc fauet Delia, & sæpe longa est uenatio. Itaque consumptis hunc in modum annis octo, quum esset nuntiata mors patris, domum reuersus, ex consilio matris duxi uxorem, & ad ueterem negotiationem redij. G L. Dic mihi quum tam subinde nouam uestem sumeres, ac uelut in aliud animal transformareris, quî potuisti seruare decorum? P A. Quî minus quàm hi qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam sumunt personam? E V. Dic nobis bona fide, qui nullum uitæ genus non expertus es, quod omnium maximè probas? P A. Non omnibus omnia congruunt: mihi nullum magis arridet, quàm hoc quod secutus sum. E V. Multa tamen incommoda habet negotiatio. P A. Sic est. Sed quando nullum uitæ genus omnibus caret incommodis, hanc Spartam, quæ contigit, orno. Verùm nunc supereſt Eusebius, qui non grauabitur apud amicos uitæ suæ scenã aliquam explicare. E V. Imò totam fabulam

Spartam quæ con. Vide prouerbium. Spartã nactus es, hãc orna.

Scenam. Fabula diuiditur in scenas, ad id aludit. Et scenam aperit, qui operta patefacit.

fabulam, si uidetur, nam habet actus non multos. G L. *Erit magnopere gratum.* E V. *Vbi rediſſem in patriam, annum apud me deliberaui quodnam uitæ genus amplecti uellem, simulq; me ipſum exploraui, ad quod genus eſſem propenſus aut idoneus. Interim oblata eſt præbenda, quam uocant, ſatis optimi prouentus: accepi.* G L. *Vulgò malè audit hoc uitæ genus.* E V. *Mihi, ut ſunt res humanæ, ſatis exoptandum uidetur. An mediocrem felicitatem eſſe putatis, ſubitò uelut è cœlo dari tot commoda, dignitatem, ædes honeſtas, beneq; inſtructas, annuos reditus ſatis amplos, ſodalitium honorificum, déinde templum, ubi, ſi libeat, uaces religioni?* P A. *Illhic me luxus offendebat, & concubinarum infamia, tum quòd plerique iſtius generis odere literas.* E V. *Ego non ſpecto quid agãt alij, ſed quid mihi ſit agendum: & melioribus me adiungo, ſi non poſſum alios meliores reddere.* P O. *In iſto genere uixiſti perpetuò?* E V. *Perpetuò, niſi quòd interim quatuor annos primum egi Patauij.* P O. *Quam ob rem?* E V. *Hos annos ita partitus ſum, ut ſeſquiannum darem ſtudio medicinæ, reliquum tempus Theologiæ.* P O. *Quur id?* E V. *Quò melius & animum, & corpus meum moderarer, nonnunquam & amicis conſulerem. Nam & concionor nonnunquam pro mea ſapientia. Sic hactenus ſatis tranquillè uixi, contentus unico ſacerdotio, nec præterea quicquam ambiens, recuſaturus etiam ſi offeratur.* P A. *Vtinam liceret diſcere, quid agant cæteri noſtri ſodales, quibus cum tum familiariter uiximus.* E V. *De nonnullis poſſum commemorare quædam, ſed uideo nos non procul abeſſe à ciuitate: quare ſi uidetur, conueniemus*

in

in idem diuersorium: ibi per otium de cæteris conferemus affatim. HVGVITIO *auriga. Vnde tam miseram sarcinam nactus es lusce?* HENRICVS *auriga. Imò quò tu defers istud lupanar ganeo?* HV. *Debueras istos frigidos senes alicubi effundere in urticetum, ut calescerent.* HE. *Imò tu iustum gregem cura ut præcipites alicubi in profundam lamam ut refrigerentur, nam calent plus satis.* HV. *Non soleo præcipitare sarcinam meam.* HEN. *Non? Atqui nuper uidi te sex Carthusienses deiecisse in cœnum sic, ut pro candidis emergerent nigri: tu interim, quasi re bene gesta ridebas.* HV. *Nec iniuria, dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo.* HE. *At mei senes egregiè subleuarunt currum meum per totum iter perpetuò garrientes. Nunquàm uidi meliores.* HV. *Non soles tamen talibus delectari.* HE. *Sed bi seniculi boni sunt.* HV. *Quî scis?* HE. *Quia per eos ter bibi per uiam ceruisiam insigniter bonam.* HVG. *Haha hæ. Sic tibi boni sunt.*

Effundere. Faciunt hoc nõ raro aurigæ Brabãti uel gratis, nonnunquã cõducti.

ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ.

CONRADVS, BERNARDINVS, Pastor, Pandocheus, Vxor.

Atqui pastorem decet hospitalitas. PA. *Pastor sum ouium, non amo lupos.* CO. *At non perinde fortasis odisti lupas. Sed quo tandem merito sic abhorres à nobis, ut ne tecto quidem digneris? Neq; enim te grauabimur cœna.* PA. *Dicam, quia si conspiceretis in ædibus meis gallinam aliquam aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicati hospitij.* CO. *Non omnes sumus istiusmodi.*

Hospitalitas. Nam à pascendo dicitur pastor, & à præbẽdo Græcis parochus.

Lupas: Locus est ex ãbiguo. lupa uxor lupi, & lupa scortũ.

Gallinã appellat concubinã, pullos liberos.

modi. PA. Sitis cuiusmodi uoletis, ego uix sancto Petro fiderem, si tali cultu ueniret ad me. CO. Si ita stat sententia, saltem indica diuersorium aliud. PA. Est in hoc uico diuersorium publicum. CO. Quod habet signum? PA. In tabula pensili uidebitis canem os inferentem in ollam: hoc agitur in culina. Ad abacum rationalem sedet lupus. CO. Signum inaspicatum. PA. Fruamini. BE. Quod genus pastoris hoc est? per illū liceret perire fame. CO. Si non melius pascit oues, quàm nos, oportet esse parum obesas. BE. In malis rebus opus est bono consilio. Quid fiet? CO. Perfricāda frons est. BE. Nimirum inutilis est pudor, quum urget necessitas. CO. Admodum, sanctus Franciscus aderit nobis. BE. Pro fortuna. CO. Non expectabimus Pandochei responsum pro foribus, sed recta irrumpemus in ipsum uaporarium, nec facilè patiemur nos eiici. BE. O ficinus impudens. CO. Hoc satius, quàm noctem agere sub dio, ac perire frigore. Interim depone pudorem in sacculo, cras resumpturus ubi uidebitur. BE. Scilicet, sic res ipsa suadet. PA. Quod animantium genus hic uideo? CO. Seruos Dei, filios sancti Francisci, uir optime. PA. An Deus talibus seruis delectetur, nescio: ego mihi nolim multos esse domi. CO. Quam ob rem? PA. Quia ad edendum & bibendum plus quàm uiri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes. Ohe uos estis filij sancti Francisci? Soletis prædicare eum esse uirginem, & ille habet tot filios? CO. Spiritus filij sumus, non carnis. PA. Infelix genitor ille. Nam quod in uobis pessimum est, animus est: corpore nimium ualetis, planeq; melius habetis ista parte, quàm expediat nobis,

qui

qui alimus uxorem, & filias. C O. Tu fortè suspicaris nos esse ex eorum genere, qui degenerant à progenitoris instituto: nos sumus obseruantes. P A. Ego igitur obseruabo, ne quid adferatis detrimenti. Nam istud genus ego odi peßimè. C O. Quam ob rem te quæso? P A. Quia circunfertis dentes, nec circunfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratißimum. C O. At laboramus uobis. P A N. Vultis ostendam uobis, quomodo laboretis? C O N. Ostende. P A. Inspicite picturam uobis proximam ad læuam: illhic uidetis uulpem concionantem, sed à tergo anser collum profert è cuculla. Rursum uidetis lupum absoluentem confessum, sed prominet pars ouis occultatæ sub ueste. Videtis simiam aßidentem ægroto in veste Franciscana, altera manu præfert crucem, alteram habet in crumena ægrotantis. C O N. Non inficiamur hac ueste nonnunquam tegi lupos, uulpes, ac simias, sed fatemur etiam sæpe tegi porcos, canes, equos, leones, ac regulos: quin eadem uestis tegit multos bonos uiros. Vestis ut neminem reddit meliorem, ita nullum reddit deteriorem. Proinde iniquum est, quenquam ex veste æstimare: alioqui tua uestis, qua nonnunquam uteris, esset execranda, quæ multos tegit fures, homicidas, uenefícos & adulteros. P A. De veste cedam, si numeretis. C O. Rogabimus Deum pro te. P A. Ego uicißim pro uobis, operam operæ pensans. C O. Atqui non ab omnibus accipiendum. P A. Quur uobis religio est contingere pecuniam? C O. Quia pugnat cum professione nostra. P A. Itidem cum nostra professione pugnat admittere gratuitum hospitem. C O N. At nos cogit regula, non contingere pecuniam.

P A.

PA. *At mea regula diuersum præcipit.* CO. *Vbi est tua regula?* PA. *Lege uersus istos:*

Hospes in hac mensa, fuerint cum uiscera tensa,
Surgere ne properes, ni prius annumeres.

CON. *Nos non erimus tibi sumptui.* PA. *At qui mihi non sunt sumptui, ne quæstui quidem sunt.* CO. *Deus abundè pensabit, si quid officij nobis præstiteris.* PA. *Istis uerbis non alo familiam.* CO. *Abdemus nos in angulum uaporarij, neq; cuiquam erimus molesti.* PA. *Non fert tales homines hoc uaporarium.* CO. *Ita'ne nos eijcis, fortassis hac nocte deuorandos à lupis?* PA. *Lupus lupinam non est, ut nec canis caninam.* CO. *Crudelis esses, si hoc faceres Turcis: qualcs quales sumus, homines sumus.* PA. *Surdo canitis.* CO. *Tu molliter foues corpus tuum, nudus recubans post uaporarium, & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiam si parcant lupi.* PA. *Sic uixit Adam in paradiso.* CO. *Vixit, sed innocens.* PA. *Et ego innocens.* CO. *Fortassis detracta syllaba prima. At uide, si tu nos nunc extrudis è paradiso tuo, ne Deus te non recipiat in suum.* PA. *Bona uerba.* VX. *Mi uir, tot tua male facta saltem hoc beneficio pensa, patere hos hac nocte tecto nostro uti: sunt uiri boni, sentics quæstum hinc fieri uberiorem posthac.* PA. *Ecce deprecatricem, suspicor conuenire inter uos: nec admodùm lubens audio hoc elogium à muliere, uiri boni.* VX. *Hau: Non ita est, sed cogita quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis, saltem hac eleemosyna redime tua peccata, ne eijcias hos, quos optaris tibi adesse morienti. Scurras & sannioncs recipis sæpenumero, & hos extrudis?* PA. *Vnde ista*

Lupus lupinã. Alludit ad prouerb. Canis caninam non est.

Viri boni. Vulgus Gallorum uirũ bonũ appellat, cuius uxor parum est pudica.

concionatrix nobis? Abi tu, & cura rem culinariam. VX. Id quidem fiet. BE. Miteſcit, & ſumit induſium lineum, ſpero fore rectè. CO. Et menſam inſternunt pueris. Bene habet, quòd nulli ueniunt hoſpites, alioqui nobis erat exulandum. BE. Feliciter cecidit, quòd è proximo oppidulo retulimus nobiſcum lagunculam uini, & agni coxam aſſam: alioqui hic, ut uideo, nec fœnum quidem impartiſſet nobis. CO. Iam accubuere pueri, adiungamus nos in menſæ partem, ſic tamen, ne cui incommodemus. PA. Vobis imputandum arbitror, quòd hodie nullum habeo conuiuam, præter domeſticos & uos inutiles. CON. Niſi frequenter hoc accidit, imputa nobis. PAN. Frequentius, quàm uellem. CO. Noli laborare, uiuit adhuc Chriſtus, qui non deſeret ſuos. PA. Audiui uos dici Euangelicos: & Euangelium prohibet per uiam circunferri peram aut panes: uos manicas habetis pro pera, ut uideo: nec panes modò circunfertis, uerùm etiam uinum, & delicias carnium. CO. Fruere nobiſcum, ſi libet. PAN. Meum uinum ad iſtud collatum, uappa eſt. CO. Guſta & de carnibus, nobis enim ſupereſt. PA. O felices mendicos, uxor mea nihil hodie coxit, præter caules & laridum rancidum. CO. Communicemus, ſi uidetur, noſtros apparatus. Nam noſtra nihil refert, quibus ueſcamur. PAN. Quur igitur non circunfertis caules & uappam? CON. Quoniam hæc nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pranſi ſumus. PA. Gratis pranſi? CO. Maximè. Imò gratias etiam egerunt, & abeuntes his apophoretis onerarunt. PA. Vnde uenitis? CO. E Baſilea. PA. Hui, è tam longinquo? CO. Sic eſt. PA. Quod tandem

Apophoretis, quæ dantur in fine cõuiuij ſic ut liceat cuiq; ſi uelit, domum auferre.

dem genus hominum estis uos, qui sic oberratis sine iumento, sine crumena, sine famulitio, sine armis, sine commeatu? CO. Vides qualecunq; uestigium Euangelicæ uitæ. PA. Mihi uidetur erronum uita, qui uagantur cum reticulo. CO. Tales errones erant Apostoli, talis erat & dominus IESVS. PA. Nostis artem chiromanticam? CO. Nihil minus. PA. Vnde igitur suppetit uictus? CO. Ab eo, qui promisit. PA. Quis ille? CO. Qui dixit, Nolite esse soliciti, hæc omnia adijcientur uobis. PA. Promisit, sed quærentibus regnum Dei. CO. Id facimus pro uirili. PAN. Apostoli clarebant miraculis, sanabant ægrotos, proinde non mirum illis ubiq; suppetisse uictum, uos nihil tale potestis. CO. Possemus si similes essemus Apostolis, & si res posceret miracula. At miracula data sunt ad tempus incredulis, nunc nihil opus, nisi pia uita. Et sæpe felicius est ægrotare, quam ualere: sæpe felicius mori quam uiuere. PA. Quid igitur uos facitis? CO. Quod possumus, pro sua quisque dote diuinitus donata consolamur, exhortamur, admonemus, corripimus: ubi se dederit occasio, nonunquam & concionamur, sicubi comperimus pastores mutos: si non datur prodesse, damus operam ne quem lædamus moribus & lingua. PAN. Vtinam eras uelis nobis concionari. Nam dies est apud nos festus. CON. Cui diuo? PA. Antonio. CO. Fuit is quidem uir bonus, sed unde dies festus? PAN. Dicam. Abundat hic uicus subulcis propter uicinum nemus glandiferum. Et persuasum est, Antonio delegatam curam eius pecoris, & ideo colunt illum ne sæuiat neglectus. CON. Vtinam uerè colerent illum. PAN. Quo pacto? CON. Sanctissimè

coluit diuos, quisquis imitatus est. PA. Totus hic uicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus, lusibus, rixis & pugnis. CO. Sic ethnici quondam colebant Bachum suum. Miror autem, si sic cultus Antonius non sæuit in homines ipso pecore stultiores. Qualem habetis pastorem? mutum, ac malum? PA. Qualis sit alijs, nescio, mihi optimus est: nam hic potat totos dies: neq; quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono. Atque adeò demiror illum nunc abesse. CO. Nos experti sumus parum commodum. PA. Quid audio? salutastis hominem? CO. Ambiuimus apud illum hospitium, ille non aliter, quàm lupos abegit à limine, & huc iussit abire. PA. Ha, ha, nũc intelligo. Hinc est, quòd noluit adesse, quòd sciret uos hìc futuros. CO. Est'ne mutus? PA. Mutus? Nemo illo uocalior in uaporario, ac strenuè boat in templo, concionantem nunquam audiui. Sed quid pluribus opus? uos ipsi sensistis, ut intelligo, non esse mutũ. CO. Est'ne peritus sacrarum literarum? PA. Ait se peritißimum, sed quicquid taliũ rerum didicit, didicit in secreta confessione, sic ut fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa, qualis est populus, talis est sacerdos, & planè nacta est suum patella operculũ. CO. Fortasse non dabit locũ concionaturo. PA. Dabit, ad me recipio, sed hac lege, ne quid in illum iaculere, quẽ admodum pleriq; soletis. CO. Rei malæ assueuerunt, qui hoc solent: ego clam admoneo pastorẽ, si quid offendit: quod superest, episcoporũ est munus. PA. At tales aues huc rarò deuolãt. Equidem uideo uos esse uiros bonos. Sed quid sibi uult ista uestium uarietas? Nam plerique hoc ipso iudicant

Secreta confessione. Vulgarisoc' est in ignarum.

dicant uos esse malos, quòd sic uestiamini. CO. *Vnde id?* PA. *Nescio, nisi quòd tales multi comperiantur.* CON. *Multi hoc ipso iudicant nos esse sanctos, quòd sic uestiamur, peccant utriq; : sed tamen humanius peccant, qui ex ueste bene de nobis suspicantur, quàm qui malè.* PA. *Esto sanè. Sed quæ tandem utilitas tot discriminum?* CO. *Quid tu censes?* PA. *Mihi quidem nulla uidetur, nisi in pompis, aut in bellis: in pompis enim circũferuntur uariæ personæ, sanctorum, Iudæorum, Ethnicorum: has ex diuerso cultu dignoscimus. In bellis autem hoc præstaret cultuum uarietas, ut suum quæq; uexillũ copiæ sequerentur, neq; fieret ordinum confusio.* CO. *Pulchrè dicis, & hæc uestis est militaris: alius alium ducem sequimur, sed omnes militamus sub uno Cæsare Christo. Verùm in ueste tria spectanda sunt.* PA. *Quæ?* CO. *Necessitas, usus, & decorum. Quur sumimus cibum?* PA. *Ne pereamus fame.* CO. *Sic aliquando sumenda uestis, ne pereamus frigore.* PA. *Fateor.* CO. *Hoc melius præstat hæc uestis, quàm tua: tegit enim & caput, & collum, & scapulas, unde plurimũ est periculi. Vsus postulat uaria uestium genera. Equitaturo conuenit breuis, quiescenti longa: in æstate tenuis, in hyeme densa. Sunt Romæ, qui singulis diebus ter cõmutant uestem, manè sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub noctem aliquanto crassiorem: uerum non omnibus suppetunt mutatoria: proinde hæc uestis reperta est, una ad plurimos usus accommoda.* PA. *Quî sic?* CO. *Si flat Boreas, aut si feruet Sol, adducimus cucullam: si calor offendit, demittimus in tergum: si quiescẽdum est, demittimus uestem: si ambulã-*

In Pompis. Põpę sunt spectãcula, quæ populo exhibentur: uulgò nunc uocantur processiones, à uerbo πέμπω.

dum, subducimus, aut succingimus etiam. PA. *Non pessimè sapuit, quisquis hoc inuenit.* CO. *Est autẽ hoc ad bene uiuendum præcipuũ, ut homo consuescat esse paucis contentus: alioqui si delicijs aut affectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis. At nulla uestis inueniri potuit, quæ una tot commoditatibus subseruiret.* PA. *Assentior.* CO. *Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, si tu sumeres uxoris tuæ uestem, non'ne dicerẽt omnes te facere præter decorum?* PA. *Dicerent me insanire.* CO. *Quid tu diceres, si illa sumeret uestem tuam?* PA. *Fortasse nihil mali dicerem, sed contunderem eam bonis fustibus.*

Bonis fustibus. decus est in cõtrarijs, malis & bonis.

CO. *Atqui nihil refert, qua ueste utaris.* PA. *Hic plurimũ refert.* CO. *Nec mirum. Nam & ethnicorum leges puniunt uirum ac fœminam, si diuersi sexus cultum sumpserint.* PA. *Nec iniuria.* CO. *Agè, qd si senex octogenarius sumeret sibi uestitum adolescẽtis quindecim annos nati: aut contrà, si iuuenis sumeret uestem senis, non'ne dicant omnes rem esse fustuario dignam? Aut si anus coleretur ad modum adolescẽtulæ, & contrà?* PA. *Admodum.* CO. *Itidem, si laicus sumat cultum sacerdotis, contrà sacerdos laici.* PA. *Vterq; faceret indecorè.* CO. *Quid si priuatus sumeret ornamentũ principis, aut sacerdos priuatus episcopi, num faceret indecorè?* PA. *Scilicet.* CO. *Quid si cuius sumeret cultũ militis, plumas, cæteraq; stultitiæ Thrasonicæ insignia?* PA. *Rideretur.* CO. *Quid si inter milites Anglus gestaret crucem albã, Heluetius rubrã, Gallus nigram?* PA. *Faceret impudenter.* CO. *Quid itaq; miraris nostrum hunc cultum?* PA. *Quid intersit inter priuatum, & principem: inter uirum, ac fœminam, scio: quid*

Fustuario, id est, fustigatione.

inter

interſit inter monachum ac non monachum, neſcio. C O. Quid intereſt inter pauperem & diuitem? P A. Fortuna. C O. Et tamen indecorũ eſſet, ſi pauper imitaretur cultum diuitis. P A. Verum, ut nunc ferme coluntur diuites. C O. Quid inter ſatuum & ſapientem? P A. Aliquantò plus quàm inter diuitem & tenuem. C O. Non'ne moriones aliter ueſtiuntur, quàm qui ſapiunt? P A. Neſcio quid uos deceat, attamen ueſter cultus non multùm abeſt ab illorum cultu, ſi quis addat auriculas & tintinnabula. C O. Hoc planè deeſt: & ſumus huius mundi moriones, ſi modò ucrè ſumus, quod profitemur. P A. Quid uos ſitis, neſcio: illud ſcio, multos eſſe moriones geſtantes auriculas & tintinnabula, qui plus ſapiant ijs qui geſtant pilea ſuffulta pellibus, epomides, reliquaq; ſapientum inſignia. Itaque mihi ſtultiſſimũ uidetur, ſapientiã profiteri ueſte potius quàm ipſa re. Vidi quendam plus quàm morionem, qui geſtabat ueſtem uſq; ad talos demiſſam, epomidem Magiſtri noſtri, aderat & uultus, qui uideri poſſet grauis Theologi: diſputabat apud omneis non ſine ſpecie grauitatis: magnatibus autem non minus erat iucundus, quàm quiuis alius morio, quum ſtultitiæ genere ſuperaret omneis. C O N. Quid igitur tu poſtulas, ut princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo ueſtem? P A. Fortaſis hoc poſtularet aliquando decorum, quod tu proponis, ſi libeat repræſentare ueſte quicquid eſt in animo. C O N. Vrges tu quidem, ſed tamen arbitror non ſine cauſa ueſtem ſuam additam morionibus. P A. Ob quam? C O N. Ne lædantur à quoquam, ſi quid imprudenter dixerint, aut fecerint. P A N. Non dicam interim, quòd iſta res quoſuis iritat

Suffulta pellibus. Hoc apud Germanos aliquot doctores iuris: in Hiſpania Theologi inſignium: hoc eo albo in ſummo pileo uiola ceo, & epomide, quæ imponitur humeris nulli uſui futura, niſi ut ſignificet Magiſtrũ noſtrum.

potius ad lædendum, adeò ut frequẽter è ſtultis fiant inſani. Nec uideo quur, quum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut ſus, qui occiderit infantem, afficiantur ſupplicio: morio qui ſceleratiora commiſerit, præſidio ſtultitiæ ſinatur uiuere: illud expeto, quur uos diſtinguamini cultu à cæteris. Nã ſi quæuis cauſa ſufficit ad diuerſum cultũ, oporteret piſtorẽ aliter ueſtiri q̃ piſcatorem, calcearium aliter quàm ueſtiarium, aliter pharmacopolam quàm œnopolam, aliter aurigam quàm nautam. Vos ſi ſacerdotes eſtis, cur ſecus ueſtimini quàm reliqui ſacerdotes? Si laici, cur à nobis differtis? C O. Olim monachi nihil aliud eramus, quàm purior pars laicorũ: & hoc intererat inter monachũ & alium laicũ, quod nunc intereſt inter frugalem, & probum uirũ ſuis manibus alentẽ familiam, & inter ſnaphanum ex prædationum reditu iactantem ſeſe: pòſt Romanus Pontifex addidit nobis ſuos honores: ueſtis ex nobis nacta eſt dignitatem, quæ nunc nec laicorum eſt, nec ſacerdotum: ſed tamen huius, qualis qualis eſt, nõ puduit aliquando Cardinales & ſummos Pontifices. P A. At tandem decorum iſtud unde ſumitur? C O. Nonnunquã ex ipſa rerũ natura, nonnunquam ex conſuetudine mortalium & opinione. Non nc iudicarent omnes abſurdum, ſi quis tergore bubulo ſic ueſtireturut cornua promineret in capite, & cauda traheretur humi? P A. Ridiculum ſané. C O. Rurſum ſi quis ueſtem haberet, quæ faciem ac manus tegeret, pudenda oſtenderet? P A. Multò abſurdius. C O. Ob id notati ſunt ab ethnicis quoque ſcriptoribus, qui multitia ſumerent, fœminis etiam indecora. Verecundius enim eſt nudum eſſe, qualem te offendimus

Oenopola, qui uendit uinum.

Snaphanum. Sic Germani uocant prædonum genus ſubitò ex arcib⁹ adorientiũ uiatorem, mitigato uocabulo.

Multitium, ueſtis pellucida, mulierũ ꝓpriſſuue. Quum tu multitia ſumas.

mus in uaporario, quàm uti ueſte pellucente. P A. *Ego puto totum hoc de cultu pendêre à conſuetudine ac perſuaſione mortalium.* C O. *Quî ſic?* P A. *Non multi ſunt dies, quòd hîc diuerſati ſunt, qui ſe prædicarent peragraſſe uarias regiones nuper inuentas, & quas in priſcorum coſmographorum picturis deſideramus. Hi ſe narrabant peruenîſſe ad inſulam quandam cœli temperatißimi, ubi ſummi dedecoris loco habebatur tegere corpus.* C O. *Iſti fortaßis belluarum ritu uiuebant.* P A. *Imò, ut dicebant, humanißimam agebant uitam. Degebant ſub rege, cum comitabantur ad opus manè, non amplius quàm horam, etiam ſingulis diebus.* C O. *Quid operis faciebant?* P A. *Euellebant radicum genus, quod illis tritici loco eſt, & tritico tum gratius, tum ſalubrius: quo peracto redeũt ad ſuum quiſque negotium, & quod cuiuſq; lubitum eſt animo, faciunt. Sanctè educant liberos, uitant & puniunt flagitia, ſed nullum acerbius, quàm adulterium.* C O. *Quo ſupplicio?* P A. *Fœminis ignoſcitur, datur hoc ſexui: cæterùm uiris adulterij cõuictis hæc pœna eſt, ut per omnem uitam in publicum prodeant membro pudendo uelo obtecto.* C O. *O' graue ſupplicium.* P A. *Atqui conſuetudo perſuaſit illis, hoc eſſe quouis ſupplicio grauius.* C O. *Vbi contemplor quid poßit perſuaſio, propemodum aſſentior tibi. Etenim ſi quis uellet furem aut homicidam afficere extrema ignominia, non'ne ſatis eſſet, ſi præcideret illi interulã ſupra nates, ſi partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus conueſtiret, caligas diuerſis coloribus uariegaret: ueſtem, quæ thoracem tegit ac brachia, totam conſcinderet, ueluti rete faciens è ueſte, ſcapulas*

& pectus nudaret, barbam partim demeteret nouacula, partim demitteret, partim intorqueret, capillos tonderet, adderet pilcum undiq; sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic iuberet prodire in publicum? Non'ne magis traduceret hominem, quàm si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis ac tintinnabulis? Et tamen sic ultro sese ornant milites, ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulchrum uideatur, qum nihil posit esse insanius. PAN. Imò non desunt honesti ciues, qui hoc pro uiribus æmulentur. CON. Atqui si quis nunc conetur Indorum æmulari cultum, qui plumis auium uestiuntur, non'ne pueris omnibus uideretur insanire? PAN. Prorsus. CON. Atqui quod nos miramur, etiam longè insanius est illo. Proinde ut uerum est, nihil esse tam absurdum quod non commendet assuetudo: ita negari non potest, in uestibus esse quoddam decorum, quod apud sanos & cordatos semper decorum est: ac rursus indecorum, quod apud omneis qui sapiunt, indecorum uideri debet. Quis enim non ridet, quoties uidet fœminas onustas longa uestis coronide, quæ nobilitatē generis caudæ longitudine metiuntur? Quanquàm hoc non pudet imitari quosdam Cardinales duntaxat in pallijs. Et tamen res est adeò uiolenta consuetudo, ut non sit huic aut illi liberum mutare quod receptum est. PA. Satis de cōsuetudine. Sed dic tu mihi, quid sentias, utrū existimes satius, monachos non differre à cæteris cultu, an differre? CC. Equidē arbitror simplicius & Christianius, non æstimari quenquā ex cultu, modò sit honestus ac decorus. PA. Quur igitur uos non abijcitis cucullas? CO. Quur apostoli non statim uescebantur

Coronide, quā nunc caudam uocant.

bantur cibis quibuslibet? PA. Nescio, dic tu. CO. Quoniam obstabat inuicta cõsuetudo. Quod enim penitus infixum est animis hominũ, multoq; usu confirmatum inueterauit, ac uelut in naturã abijt, subitò tolli sine magna pernicie tranquillitatis humanæ non potest: sed ita paulatim submouendum est, quemadmodum ille reuulsit pilos caudæ equinæ. PA. Tolerarem, si monachorum omnium esset unus cultus: tot discrimina quis ferat? CO. Hoc malum usus inuexit, qui nihil non inuehit. Benedictus non commentus est nouum cultum, sed is quo tum utebatur cum suis, erat cultus laici simplicis, ac probi. Nec Franciscus inuenit nouam formam, sed hæc erat uestis pauperũ ac rusticorũ. Posteriores additis quibusdam uerterũt rem in superstitionem. Non ne uidemus & hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diuersus à cultu horum temporum, quàm meus cultus abest à tuo? PA. Videmus. CO. Itaque cum hunc cultum uides, uides reliquias prisci seculi. PA. Ergo nihil habet aliud sanctimoniæ cultus uester? CO. Nihil prorsus. PA. Quidam iactant istos cultus præmõstratos diuinitus à diua Virgine matre. CO. Ista sunt hominũ somnia. PA. Sũt, qui desperẽt se posse à morbo reualescere, ni uestiãtur cultu Dominicano: imò, qui ne sepeliri quidẽ uelint, nisi in ueste Frãciscana. CO. Ista qui suadẽt, aut captatores sunt, aut fatui: qui credunt, superstitiosi. Deus nõ minus dignoscit nebulonẽ in ueste Frãciscana, quàm in militari. PA. At minor est plumarũ uarietas in auibus, quàm in uobis cultus. CO. An non itaq; pulchrum est imitari naturam? sed pulchrius uincere. PA. Vtinam uinceretis & rostrorum uarietate.

Caudæ equinæ, id est, paulatim. uide prouerb. Caudæ pilos equinæ uellere.

CO.

CO. Sed agè uarietati quoque patrocinabor, si pateris. Non'ne aliter uestitur Hispanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? PA. Scilicet. CO. Et in eadem regione quanta uarietas uestium, etiam in eiusdem sexus, ætatis, & ordinis hominibus? Quantò alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano? Atq; hæc intra unã Italiam. PA. Credo. CO. Hinc nata est & nostra uarietas. Dominicus sumpsit cultũ à probis agricolis eius Hispaniæ partis, in qua uixit: Benedictus à rusticis eius Italiæ partis, in qua uixit: Franciscus ab agricolis diuersæ partis: atq; item de cæteris. PA. Proinde quantum uideo, uos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius uixeritis. CO. Imò peiores nobis, qui parum piè uiuentes, grauius offendamus animos simplicium. PA. Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec patronum habemus, nec cultũ, nec regulam, nec professionem? CO. Habes, ô bone, uide ut serues: quære à susceptoribus tuis, quid professus sis in baptismo, quam uestem illhic acceperis. Et humanam regulã desideras, qui regulam Euangelicam professus sis? Desideras hominem patronum, qui patronũ habeas IESVM Christum? Quum duceres uxorem, nihil professus es? Cogita, quid debeas cõiugi, quid liberis, quid familiæ, & senties te plus habere sarcinæ, quàm si Frãcisci regulam professus essēs. PA. Credis'ne ullum pandocheum ingredi cœlum? CO. Quid ni? PA. Multa fiunt, ac dicuntur in hac domo, quæ parum respondent Euangelio. CO. Quæ? PA. Alius bibit plus satis, alius obscœnè loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant: denique an cætera sint casta, nescio.

A susceptoribus, quos nunc patrinos, ac matrinos uocant, qui spondent pro pueris baptizatis.

CO.

CO. His occurrendum est, quantum potes: si non potes, certè ne alas quæstus causa hæc mala, nec uè accersas. PA. Nonnunquàm parum bonæ fidei sum in uino. CO. Quî sic? PA. Vbi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquam admisceo. CO. Istud quidè leuius est, quàm si quibuslibet uendas uinum periculosis medicamentis infectũ. PA. Dic mihi seriò, quot dies fuisti in hoc itinere? CO. Mensem fermè. PA. Quis interim uos curat? CO. Non'ne bene curantur, qui habent uxorem, liberos, parentes, & cognatos? PA. Sæpenumero. CON. Tu non habes nisi unam uxorem, nos centum: tu non nisi unicum patrem, nos centum: tu non nisi unicam domum, nos centum: tu non nisi paucos liberos, nos innumeros: tu non nisi paucos cognatos, nos infinitos. PA. Quî sic? CO. Quia latius se porrigit cognatio spiritus, quàm carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus, & experimur uerũ, quod pollicitus est. PA. Næ tu mihi præbuisti sat lepidum conuiuam: emoriar, nisi malim hanc cõfabulationem, quàm pastoris mei compotationem. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et si posthac continget te hàc facere iter, scito tibi hìc paratum locum. CO. Quid si alij ueniant? PA. Non erunt ingrati, modò tui similes. CO. Meliores, uti spero. PA. Verùm inter tam multos malos quomodo dignoscam bonos? CO. Dicam paucis, sed in aurem. PA. Dic. CO. PA. Meminero, & faciam.

Simili ioco Reuchlin' claudit opus de uerbo mirifico.

ABBATIS ET ERVDITAE.

ANTRONIVS, MAGDALIA.

AN. Quam hìc ego supellectilem uideo? MA. An nõ elegantem? AN. Nescio quàm elegantem, certe parum decoram

Antronius. Alluſit ad prouerbiũ, ἀν τρράνι Q. ὄν Q.

coram & puellæ, & matronæ. MA. Quam ob rem? AN. Quia librorũ plena sunt omnia. MA. Tu tantus natu, tum abbas, & aulicus, nunquàm uidisti libros in ædibus heroinarum? AN. Vidi, sed Gallicè scriptos, hîc uideo Græcos, & Latinos. MA. An soli Gallicè scripti libri docent sapientiam? AN. Sed decet hoc heroinas, ut habeant, quo delectent otiũ. MA. An solis heroinis licet sapere, ac suauiter uiuere? AN. Malè connectis, sapere, & suauiter uiuere: nõ est muliebre sapere, heroinarum est suauiter uiuere. MA. Non ne omnium est bene uiuere? AN. Opinor. MA. Quî potest autẽ suauiter uiuere, qui non uiuat bene? AN. Imò, quî potest suauiter uiuere, qui uiuat bene? MA. Ergo tu probas eos, qui uiuunt malè, modo suauiter? AN. Arbitror illos bene uiuere qui uiuunt suauiter. MA. Sed ista suauitas unde proficiscitur, è rebus extrarijs, an ex animo? AN. E' rebus extrarijs. MA. O' subtilẽ abbatẽ, sed crassum philosophum: Dic mihi, quibus rebus tu metiris suauitatẽ? AN. Somno, cõuiuijs, libertate faciendi quæ uelis, pecunia, honoribus. MA. Verùm si istis rebus Deus addiderit sapientiã, num uiues suauiter? AN. Quid appellas sapientiam? MA. Hoc est, si intelligerẽ hominẽ nõ esse felicem, nisi bonis animi: opes, honores, genus, neque feliciorem reddere, neq; meliorem. AN. Valeat ista quidem sapientia. MA. Quid si mihi suauius sit legere bonum autorem, quàm tibi uenari, potare, aut ludere aleam, nõ uidebor tibi suauiter uiuere? AN. Ego non uiuerem. MA. Non quæro quid tibi sit suauissimũ, sed quid deberet esse suaue. AN. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris. MA G. At meus maritus hoc maximè probat. Sed quam

Heroinas appellat potentes aulicas, quasi semideas.

quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis? AN. *Quoniam experior illos minus morigeros: respondent ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo.* MA. *Imperas igitur quæ pugnant cum Petro & Paulo?* AN. *Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo monachũ responsatorem: neq; uelim quenquam meorum plus sapere, quàm ego sapiam.* MA. *Istud ita uitari potsit, si tu des operam, ut quàm plurimùm sapias.* AN. *Non est otium.* MA. *Quî sic?* AN. *Quia non uacat.* MA. *Non uacat sapere?* AN. *Non.* MA. *Quid obstat?* AN. *Prolixæ preces, cura rei domesticæ, uenatus, equi, cultus aulæ.* MA. *Itáne ista tibi sunt potiora sapientia?* AN. *Nobis sic usu uenit.* MA. *Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem tibi daret, ut posis & monachos tuos, & teipsum uertere in quodcunq; animal uelles, an illos in porcos uerteres, teipsum in equum?* AN. *Nequaq̃.* MA. *Atqui sic uitares, ne quis plus te uno saperet.* AN. *Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modò ipse essem homo.* MA. *An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec uelit sapere?* AN. *Mihi sapio.* MA. *Et sibi sapiunt sues.* AN. *Videre mihi sophistria quæpiam, ita argutaris.* MA. *Non dicam quid tu mihi uidearis. Sed quur hæc displicet supellex?* AN. *Quia fusus & colus sunt arma mulicbria.* MA. *Non'ne matronæ est, administrare rem domesticam, erudire liberos?* AN. *Est.* MA. *An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia?* AN. *Non arbitror.* MA. *At hanc sapientiam docẽt me libri.* AN. *Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo.*

MA.

MA. Bene itaq; prospectum est monachis illis. AN. Feram libros, non foro Latinos. MA. Quapropter? AN. Quia non conuenit ea lingua fœminis. MA. Expecto causam. AN. Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam. MA. Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallicè scripti faciunt ad pudicitiam? AN. Aliud est. MA. Dic isthuc, quicquid est, aperté. AN. Tutiores sunt à sacerdotibus, si nesciant Latiné. MA. Imò isthinc minimum est periculi uestra opera. Quandoquidem hoc agitis sedulò, ne sciatis Latiné. AN. Vulgus ita sentit, quia rarum & insolitum est, fœminam scire Latiné. MA. Quid mihi cum uulgum, pessimum bene gerendæ rei autorem? quid mihi consuetudinem, omnium malarũ rerum magistram? Optimis assuescendum: ita fiet solitum, quod erat insolitum: & suaue fiet, quod erat insuaue: fiet decorũ, quod uidebatur indecorum. AN. Audio. MA. Non'ne decorum est, fœminam in Germania natam discere Gallicé? AN. Maximé. MA. Quam ob rem? AN. Vt loquatur cum his, qui sciunt Gallicé. MA. Et mihi putas indecorum, si discam Latinè, ut quotidie confabuler cum tot autoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidis consultoribus? AN. libri adimunt multum cerebri fœminis, quum alioqui parum illis supersit. MA. Quantum uobis supersit, nescio, certè mihi quantuluncunq; est, malim in bonis studijs consumere, quàm in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conuiuijs, in exhauriendis capacibus pateris. AN. Librorum familiaritas parit insaniam. MA. An colloquia combibonum, scurrarum & sannionum tibi non pariunt insaniam? AN T. Imò depellunt tædium. MA.

Quî

Qui fiat igitur, ut tam amœni confabulones mihi pariant insaniam? AN. Sic aiunt. MA. At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures uidemus, quibus immodica potatio, & intempestiua conuiuia, quibus temulenta peruigilia, quibus impotentes affectus pepererunt insaniam? AN. Ego sanè nollem uxorem doctam. MA. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam & illum mihi, & me illi chariorem reddit eruditio. AN. Immensis laboribus comparatur eruditio, ac pòst moriendum est. MA. Dic mihi uir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultior an sapientior? AN. Si citra laborem contingeret sapientia. MA. Sed nihil homini citra laborem contingit in hac uita, & tamen quicquid paratum est, quantisuis laboribus comparatum est, hìc relinquendum est: quur pigeat nos in re omnium pretiosissima sumere laboris aliquid, cuius fructus nos in alteram quoque uitam comitatur? AN. Frequenter audiui uulgò dici, fœminam sapientem bis stultam esse. MA. Isthuc quidem dici solet, sed à stultis. Fœmina quæ uerè sapit, non uidetur sibi sapere: contrà, quæ quum nihil sapiat, sibi uidetur sapere, ea demum bis stulta est. AN. Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellæ non conueniunt boui, ita nec literæ mulieri. MA. Atqui negare non potes, quin magis quadrent clitellæ boui, quàm mitra asino aut sui. Quid sentis de Virgine matre? AN. Optimè. MA. Non ne uersabatur in libris? AN. Versabatur, at non intùs. MA. Quid igitur legebat? AN. Horas canonicas. MA. Ad quem usum? AN. Ordinis Benedictini. MA. Sit ita sanè. Quid Paula & Eustochium? non ne uersabantur

Clitellæ. Vide prouerb. Bos clitellas.

Ordinis Benedictini. Ridiculè, quum Benedictus nondum esset natus.

in sacris libris? AN. *Verùm isthuc nunc rarum est.* MA. *Sic olim rara auis erat Abbas indoctus, nunc nihil uulgatius: olim principes & Cæsares eruditione nõ minus quàm imperio præminebant. Neq; tamen usqueadeò rarum est, quàm tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprimè nobiles, quæ cum quouis uiro queant contẽdere: sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ & Blaurericæ. Quòd nisi caueritis uos, res eò tandẽ euadet, ut nos præsideamus in scholis Theologicis, ut concionemur in templis, occupabimus mitras uestras.* AN. *Ista Deus auertat.* MA. *Imò uestrũ erit hoc auertere. Quòd si pergetis, ut cœpistis, citius anseres concionaturi sint, quàm uos mutos pastores ferant. Videtis iam inuerti mundi scenã: aut deponẽda est persona, aut agendæ sunt suæ cuiq; partes.* AN. *Vnde incidi in hanc fœminam? Si quãdo uises nos, ego te suauius accipiã.* MA. *Quibus modis?* AN. *Saltabimus, bibemus affatim, uenabimur, ludemus, ridebimus.* MA. *Mihi quidem iam nunc ridere libet.*

EPITHALAMIVM PETRI AEGIDII.

ALYPIVS, BALBINVS, MVSAE.

AL. *Deum immortalem, quod ego nouum spectaculum hîc uideo?* BA. *Aut tu uides quod nusquam est, aut mei parum prospiciunt oculi.* AL. *Atqui mirum spectaculum est & amabile.* BA. *Enecas, dic ubi uides?* AL. *Ad lœuam in hoc colle nemoroso.* BA. *Collem uideo.* AL. *Non uides puellarum chorum?* BA. *Quid tibi uenit in mentem, ut nos ad istum modum ludos facias? Ego ne muscam quidem*

puel

puellam usquam conspicor. A L. Tace, prodeunt è nemore. Papæ, qui nitor, quæ gratia: nõ humanum est hoc spectaculum. B A. Quæ hunc agitant intemperiæ? A L Y P. Agnosco, nouem sunt Musæ cum tribus Gratijs: demiror quid agant, nunquam uidi cultiores aut magis alacres: omnes sunt redimitæ lauro, & suum quæq; gerit organũ. Porrò Gratiæ quàm amabiliter sibi hærent, quàm decet nullo astricta cingulo uestis, ac liberis diffluens lacinijs. B A. At ego nunquam audiui quenquam magis deliran-tem, quàm te. A L. Imò neminem uidisti me feliciorẽ. B A. Quur hîc solus habes oculos? A L. Quia non bibisti ex fonte Musarum: nam his solis conspicuæ sunt Musæ. B A. Ego affatim hausi è fonte Scoti. A L. Non ille fons est Musarum, sed lacus ranarum. B A. Non potes efficere, ut & ipse uideam hoc spectaculi? A L. Possem, si quidem ad-esset laurus: nam liquor è fonte limpido, ramo lauri aspersus, oculos reddit huiusmodi spectaculorum perspicaces. B A. Ecce laurus, ecce fonticulus. A L. Commodum profe-cto. B A. Asperge. A L. Intende, uides'ne? B A. Quantum antea. Asperge rursus. A L. Iam'ne uides? B A. Tantun-dem. aspergo copiosius. A L. Iam uides, opinor. B A. Imò uix te uideo. A L. Miser, quàm penitus oculos tuos obse-dit τὸ σκότ☉. Hæc ars uel aurigæ daret oculos. Verùm nõ est quod crucieris, præstiterit fortasse non uidere, ne tali præmio uideas Musas, quali Acteon uidit Dianã. Pericu-lum enim esset, ne te uertant in histricẽ, aut aprum sylue-strem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut gracu-lum. Efficiam tamen, ut audias, modò ne obstrepas. Iam huc deflectunt uiam: occurramus. χάιρετε ηγιαθεται θεαὶ.

Intemperiæ, id est, furiæ.

τὸ σκότ☉, id est tenebræ. Allu-sum est ad Scho-ti nomen.

Acteon, quum casu uidisset Di-anam nudam, uersus est in cer-uum.

Histrix spino-sum animal, qđ spinas eiaculat

χαίρετε, &c. id est auete opta-tissimæ deæ.

χαῖρε σὺ, &c. id est, & tu multũ salue Musarum amator.

M V. χαῖρε σὺ μάλα χαῖρε φιλόμουσε. A L. Quid uellicas? B A. Non præstas, quod promiseras. A L. At non audis? B A. Audio, sed uelut asinus lyram. A L. Loquar igitur Latiné. Quonam est iter tam cultis, tamq; alacribus? Num inuisitis Louanienſium Academiam? M V. Bona uerba. A L. Quam ob rem? M V. Quis nunc illhic nobis locus, ubi tot porci obgrunniunt, obrudunt asini, oblactiunt cameli, obstrepunt graculi, obgarriunt picæ? A L. Atqui sunt & illhic, quibus uestrum numen est uenerandũ. M V. Scimus, eoq; post annos aliquot illhuc commigrabimus. Nondum reuoluta seculorum periodus diem illum fatalem aduexit. Erit enim qui illhic nobis amœnum extruet domicilium, uel templum potius, quo uix alibi magnificentius ac sanctius. A L Y P. Non fas scire quisnam tantum decus inuecturus sit nostræ ditioni? M V. Tibi fas est, nostrorum sacrorum mystæ. Non dubium est, quin tibi notum sit toto orbe celebre Buslidianorum nomen. A L. Heroicum genus nominasti, & ornandis summorum principum aulis natum. Quis enim non ueneratur magnum illum Franciscum Buslidium Besuntinæ ecclesiæ præsulem, qui unus non unum Nestorem præstitit Philippo Maximi Maximiliani filio, Caroli, qui maior futurus est, patri? M V. O felices nos, nisi fata uirum illum terris inuidissent. Quantus erat ille mecœnas honestorum studiorum, quàm candidus fautor ingeniorum. Sed reliquit fratres duos, Aegidium, admirabili iudicio prudentiaq; uirum, & Hieronymum. A L. Hieronymum nouimus omni literarum genere perpolitum, omni uirtutum genere decoratum. M V. Nec eum fata longæuum esse patientur, tametsi

Oblactiunt, Blactire ppriè camelorum est.

Periodus, circuitus.

Mystę, q sacris initiati sunt, à uerbo μύω. q d ipsum à silẽtio dictum.

tametsi nemo dignior est immortalitate. A L. *Vnde ista nostis?* M V. *Apollo nobis denarrauit.* A L. *Quænam est ista fatorum inuidia, ut optima quæque protinus subducant?* M V. *Id quidem non est huius temporis philosophari, sed* Hieronymus *hic summa cum laude moriens, uniuersas opes suas destinauit instituendo* Louanij *collegio, in quo gratis & publicitus tres linguas eruditissimi uiri profitebuntur. Ea res magnum ornamentum adiunget, & studijs, & Caroli gloriæ. Tum non illibenter uersabimur* Louanij. A L Y P. *Quò nunc igitur est iter?* M V. *Antuuerpiam.* A L. *Musæ & gratiæ ad mercatum?* M V. *Nequaquam, imò ad nuptias.* A L. *Quid uirginibus cum nuptijs?* M V. *Ad tales nuptias non est indecorum ire uirgines.* A L. *Quas igitur nuptias narras?* M V. *Sanctas, puras, castas, ad quas non puderet ipsam adire* Palladem, *& arbitror adfuturam.* A L. *Non est fas scire sponsi nomen & sponsæ?* M V. *Arbitror tibi non ignotum esse candidissimum illum iuuenem, & omnibus politioris literaturæ delicijs expolitissimum,* Petrum Aegidiũ. A L Y P. *Gemmam nominasti, non hominem.* M V. *Ei nubet* Cornelia *uirguncula uel ipso digna* Apolline. A L. *Ille quidem uestri cultor eximius à teneris annis fuit.* M V. *Huic igitur canemus epithalamium.* A L. *Et saltabunt Gratiæ?* M V. *Non modò saltabunt, uerùm etiam duo candidissima pectora indissolubilibus mutuæ beneuolentiæ nodis copulabunt, ut nihil unquam inter illos possit incidere uel iræ, uel tædij. Illa perpetuum nihil audiet, nisi mea lux: ille uicissim nihil, nisi, anime mi.* Atq; *huic iucunditati ne senectus quidem quicquam detrahet, imò potius adiunget*

aliquid. A L. Demirarer, si qui sic uiuunt, possint senescere. M V. Rectè mones, nam maturitas erit potius, quàm senectus. A L. Atqui noui permultos, quibus intra menses treis istæ uerborum blanditiæ longè in diuersum uersæ sunt, & in conuiuio pro lepidis iocis uolitabant disci & quadrulæ. Maritus pro, anime mi, audiebat, fungus, lagœna, spongia: uxor, scropha, Acco, uomica. M V. Vera prædicas, sed istiusmodi nuptiæ Gratijs iratis coicrant, hic perpetuò morũ iucunditas alet mutuam beneuolentiam. A L. Narras tu quidem rarã matrimonij felicitatem. M V. Tam raras uirtutes rara decet felicitas. A L. Quid? coibũt nuptiæ absq; Iunone & Venere? M V. Iuno quidem non aderit rixosa Dea, & cui rarò bene conuenit cum suo Ioue. Ne Venus quidem illa terrestris & ebriosa, uerùm altera illa cœlestis, quæ conciliat formas animorum. A L. Proinde sterile matrimonium mihi narras. M V. Nequaquam, imò felicissimè fœcundum. A L. Quid illa cœlestis gignit, nisi animos? M V. Imò addit & corpora: sed ipsis animis morigera, perinde quasi gẽmeo myrothecio indas opobalsamum. A L. Vbi nam est ea? M V. En tibi procul aduentat. A L. Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ formæ maiestas. Ad hanc quidem altera Venus inuenusta est. M V. Vides quàm modesti Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera dementat animos mortalium: sed oculatissimi: nec habent insanas faces, sed ignes placidissimos: nec habent plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amantis, ac miseros animos amore non mutuo discruciant. A L. Planè matrem referunt. O felicem illam domum, & superis egregiè charam. Cæterùm

Acco, mulier ob stultitiã nobilis.

Vomica, hulcus, sic appellamus nobis molestos.

Illa terrestris. Alluśit ad hoc quòd Socrates apud Platonẽ facit duas Veneres, & duos Cupidines.

Myrothecion, uasculũ unguẽtarium,

terùm licet'ne audire epithalamium carmen, quod illi deſtinaſtis? M V. Imò rogamus, ut libeat audire.

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro,
Auſpicijs adſint numina dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis turturum concordia,
Corniculæ uiuacitas.

THALIA.

Ille charitate Gracchum Tiberium præceſſerit,
Qui ſuæ uitam antepoſuit coniugis Corneliæ.

Gracchũ Tib. lege Plutarchũ in Gracchis, ſtatim in principio. Corneliæ. De hac extat tragœdia Euripidis. Meminit & Valer. Ma. lib. 4. capi. 6. Atq; ibidem de Plancio & Horeſtilla. Rurſus ibidem de Porcia Catonis filia Bruti uxore.

EVTERPE.

Illa charitate ſuperet coniugem Admeti ducis,
Quæ uolens mortem mariti morte mutauit ſua.

TERPSICHORE.

Ille non flagret leuiore flamma,
Attamen fato meliore, quàm olim
Plancius raptæ ſociæ grauatus
Eſſe ſuperſtes.

ERATO.

Illa non flagret leuiore flamma,
Attamen longè meliore fato,
Caſta quàm ſanctum deamauit olim
Porcia Brutum.

CALLIOPE.

Sponſum moribus undiquaque ſanctis,
Nec Naſica probatus antecellat.

VRANIA.

Vxor moribus undiquaque caſtis,

Sulpitia Paterculi filia, uxor Fuluij Flacci, quæ ob pudicitiam é centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romę Veneris simulachrum.

Vincat Sulpitiam Paterculanam.

POLYHYMNIA.

Laudetur simili prole puerpera,
Accrescat domui res simul & decus,
Sed liuore uacet, si fieri potest,
Factis egregijs debita gloria.

Meminit T. Liuius.

AL. *Prorsus inuiderem illi Petro Aegidio, nisi tantus esset hominis candor, ut ipse nemini possit inuidere.* MV. *Sed iam tempus est, ut cœptum carpamus iter.* AL. *Nunquid est quod interim uelitis renuntiari Louanium?* MV. *Vt nostro nomine salutes amicos omnes candidos ac nostri studiosos, sed præ cæteris uetustißimum nostri chori cultorem Ioannem Paludanum, Iodocum Gauerium, Martinum Dorpium, & Ioannem Borsalum.* AL. *Id quidem fiet diligenter. Quid cæteris?* MV. *Dicam in aurem.* AL. *Res non est magni sumptus: itaq; fiet quàm primùm.*

Res non est magni sumptus. Videtur hoc dictum in aurem, ut suspendant sese.

EXORCISMVS, *siue* SPECTRVM.

THOMAS, ANSHELMVS.

TH. *Quid est bonæ rei, quod tecum rides tam suauiter, quasi thesaurum nactus sis?* ANS. *Non procul aberrat à scopo tua diuinatio.* TH. *At non imperties sodali quicquid isthuc est boni?* ANSEL. *Imò iandudum optabam mihi dari quempiam, in cuius sinum effunderem hoc meum gaudium.* TH. *Agè igitur imperti.* ANSHEL. *Audiui modò fabulam lepidißimam, quam iures esse comicum figmentum, nisi mihi locus, personæ, tota'que res esset tam nota, quam tu notus es mihi.* TH. *Audire gestio.* ANSHEL. *Nosti'ne Polum Fauni generũ?* TH. *Maximè.* AN. *Is est & autor, & actor huius fabulæ.* TH. *Facilè*

eilè crèdiderim. Nam ille uel absq; persona posſit quãuis agere fabulam. AN. Sic eſt. Noſti, opinor, & prædium quod habet non ita procul à Londino. TH. Phy. Non ſemel illhic cõpotauimus. AN. Agnoſcis igitur uiam utrinq; arboribus pari digeſtis interuallo ſeptam. TH. Ad læuam ædium partem, altero ferè balliſtæ iactu. AN. Tenes. Alterum uiæ latus habet alueum ſiccum, dumis ac uepribus obſitum, è ponticulo iter eſt in apertam planitiem. TH. Memini. AN. Iam pridem uagabatur rumor, ac fabula per eius loci ruſticos, iuxta ponticulum hunc obuerſari ſpectrum quoddam, cuius ſubinde exaudirentur miſerandi eiulatus: ſuſpicabantur animam eſſe cuiuſpiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. TH. Quis autor erat iſtius rumoris? AN. Quis, niſi Polus? Hoc proœmium præſtruxerat ſuæ fabulæ. TH. Quid iſti uenit in mentem, ut iſta confingeret? AN. Neſcio, niſi quia ſic eſt hominis ingenium, gaudet huiuſmodi commentis ludere ſtultitiam populi. Dicam quid nuper deſignarit huius generis. Simul equitabamus aliquam multi Richemondam, inter quos erant quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mirè ſerenum, nec ulla uſquam nubecula ſuffuſcatũ. Ibi Polus intentis in cœlum oculis, ſignauit totam faciem ac ſcapulas imagine crucis, & uultu ad ſtuporem compoſito, ita ſecũ: Deum immortalem, quid ego uideo? Roganibus qui proximè equitabant, quid uideret, rurſus obſignans ſe maiore cruce: Auertat, inquit, clementiſſimus Deus hoc oſtentum. Quum inſtarent auiditate cognoſcendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonſtrans cœli locum: Non ne, inquit, uidetis illhic immanem dra-

conem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum re-
torta? Quum negarent se uidere, atque ille iußisset ocu-
los intenderent, ac locum subinde commonstraret, tan-
dem unusquispiam, ne uideretur parum oculatus, affir-
mauit se quoque uidere. Hunc imitatus est unus item at-
que alter: pudebat enim non uidere quod tam esset perspi-
cuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam An-
gliam peruaserat, tale portentum apparuisse. Mirum
autem, quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec de-
erant qui quid sibi uellet ostentum, interpretarentur se-
rio. Horum stultitia ille qui commentus fuerat argumen-
tum, magna cum uoluptate fruebatur. TH. Agnosco ho-
minis ingenium. Sed redi ad spectrum. AN. Interea com-
modùm diuertit ad Polum Faunus quidam sacerdos, ex
eorum genere quibus non satis est appellari Latinè regu-
lares, nisi Græcè cognomen idem accinatur, parochus uici
illhic alicunde uicini. Is sibi non uulgariter uidebatur sa-
pere, præsertim in rebus sacris. TH. Intelligo, repertus
est actor fabulæ. AN. Super cœnam ortus est sermo de ru-
more spectri. Quum Polus sentiret Fauno rumorem hunc
non solùm auditum esse, uerum etiam creditum, cœpit ho-
minem obtestari, uir doctus ac pius succurreret animulæ
tam dira patienti: & si quid dubitas, inquit, explora rem,
obambula ad decimam iuxta ponticulum illum, & audies
miserum eiulatum: adiunge tibi quem uoles comitem, ita
& tutior audies, & certius. TH. Quid deinde? AN. Cœ-
na peracta Polus ex more abit uenatum, aut aucupatum.
Faunus obambulans cum iam tenebræ sustulissent certum
de rebus iudicium, tandem audit miserandos gemitus: hos

Polus

Nisi Græcè. Ludit, alioqui canonici non dicũtur à regula, sed à præbẽda, quam nũc uocant. Nã canon aliquando est certus cibi potus ue modus, qui dabatur militibus.

Polus artifex mirè affingebat, abditus illhic in uepreto, ad hibita ad id olla fictili, quò uox è cauo reddita lugubrius quiddam sonaret. TH. Hæc fabula, ut uideo, uincit phasma Menandri. AN. Magis isthuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia uia compendiaria iam anteuerterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam affingit, quò res esset admirabilior. TH. Poterat interim Polus tenere risum? AN. Ille ne? Vultum habet in manu: Dixisses rem seriò agi. Tandem Faunus uehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi, ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit quibus modis rem aggrederetur tutò: nam sibi quoq; miserè metuebat. Primum itaq; congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi noui nonnulli per uiscera beatæ Mariæ, per ossa beatæ Vuerenfridæ. Deinde delectus est locus in planitie uicina uepreto, unde uox exaudiebatur: circunductus est circulus satis amplus, q crebras haberet cruces, uariasq; notulas. Hæc omnia peragebantur uerbis conceptis. Adhibitum est uas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra stola, quam uocant, unde pendebat initium Euangelij secundum Ioannem. In loculis habebat cerulam, à Romano pontifice quotannis consecrari solitam, quæ uulgò dicitur, agnus Dei. His armis olim se muniebant aduersus noxios dæmones, prius quàm illis Franciſci cuculla cœpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne si spiritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Nec tamen ausus est se solum huic circulo cõmittere, sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alterum,

Phasma. Lapparitio. Nomẽ est fabulæ, in qua puella potiebatur amatore ficta apparitione Deæ, cui fiebant sacra. Vide Donatũ in prologum Eunuchi.

alterum. Ibi Polus metuens, ne si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adiungit parochum quendam ex uicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ, & erat is qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus ritè præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus qui præcesserat, è uepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clàm per tenebras subducit se in uillam proximam, illhinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. TH. Quid faciunt? AN. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent à circulo, ignem ostentant, quo metu Faunum abigerent à circulo. TH. Quantum operæ sumpsit Polus ille, ut falleret? AN. Sic est homo. Verùm ea res propémodum pessimè cesserat illis. TH. Quî sic? AN. Nam equi subito prolato igne, consternati, parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores. Habes primum actum fabulæ. Vbi reditum est in colloquium, Polus uelut ignarus omniũ, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum, uerùm efficacibus uerbis abactos in malam rem. His rebus quum accreuisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu rediit in circulũ, quumq; diu multis obtestationibus prouocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostèdit sese ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. TH. Nihil habebant ignis? AN. Nihil, nam id malè cesserat

ceſſerat, ſed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc uterq; ſe proripit, uelut abacti exorciſmus Fauni, ſacerdotem utrunq; unà cum uaſe quod habebāt aquæ ſacræ plenum, prouoluunt in terram. TH. Hoc præmij tulit pro ſua actione parochus? AN. Tulit, & tamen maluit hoc perpeti, quàm deſerere cœptam fabulam. His ita geſtis, ubi reditum eſt ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus quanto fuiſſet in periculo, & quàm fortiter utrunque cacodæmonem ſuis uerbis profligaſſet: iamq; certam conceperat fiduciam, nullum eſſe tam noxium aut impudentem dæmonem, qui poſſet in circulum irrumpere. TH. Faunus ille non multum abeſt à fatuo. AN. Nihil adhuc audiſti. Hucuſq; progreſſa fabula, cōmodùm ſuperuenit Poli gener: nam eius filiam duxerat natu maximam, iuuenis, ut ſcis, ingenio mirè feſtiuo. TH. Scio, nec abhorrens ab huiuſmodi iocis. AN. Abhorrens? Nullum ille uadimonium non deſereret, ſi talis uel ſpectanda, uel agēda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atq; illi delegat partes, ut animam agat. Sumit ornatum, ac lubens conuoluit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera, habet prunam uiuam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciem incendij. Sub noctem itum eſt ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandem procul inter uepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem, ac miſerè ſuſpirans. Hanc quum Faunus obteſtaretur, ut eloqueretur quiſnam eſſet, ſubitò proſiluit è uepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: Nihil, inquit, tibi iuris eſt in

Vadimonium, id eſt, rem quālibet ſeriā. Vide Chiliades.

hanc

hanc animam, mea est: ac subinde procurrit usq; ad oram circuli, uelut impetum facturus in exorcistam, mox'que uelut submotus uerbis exorcismi, & ui aquæ sacræ, quam illi multam aspersit, retrocessit. Tandem abacto pædagogo dæmone, nascitur dialogismus Fauni cum anima: percontanti & obtestanti respondit se esse animam hominis Christiani: Rogata quo nomine uocaretur, respondit, Faunus. Faunus inquit, idem mihi nomen est. Iamq; ex communi nomine res cœpit illi magis esse cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Quum Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quòd tempus urgeret, quo cogeretur abire, quò libêret dæmoni: pollicita tamen est sese postridie redituram hora qua fas esset. Rursus conuenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens, quæ sibi tamen persuadebat esse uera. Adeò fauebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertum erat, scilicet animã esse Christianam, quæ sub inclementißimo dæmone diris cruciatibus uexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verùm in exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. TH. *Obsecro quidnam?* AN. *Quum Faunus euocasset animam, Polus qui dæmonẽ agebat, prorsus sic aßilijt, quasi intra circulum irrupturus: quumq; contrà Faunus pugnaret exorcismis, multumq; uim aquæ aspergeret, tandem exclamat dæmon, se ne pili quidem facere ista omnia, Rem, inquit, habuisti cum puella, mei iuris es. Id quum Polus ioco diceret, tamen fortè fortuna uerum dixisse uisus est*

Pedagogo, qui seruabat animam, nec ab ea discedebat. Sic Terẽ. Phædriã uocat puellæ pædagogum.

Choragus, qui producit ac reducit personas in fabulis, quasi præfectus fabulæ.

est: nam exorcista hoc dicto tactus, ilico recepit se in centrum circuli, & nescio quid immussauit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese, ne quid audiret, quod audire fas non esset. TH. Sanè Polus religiosum ac verecundum agebat dæmonem. AN. Sic est. Reprehendi poterat actio, quòd parum meminisset decori. Exaudiuit tamen parochi uocem, indicentis satisfactionem. TH. Quam? AN. Vt ter diceret precationem dominicam: ex hoc conijciebat illum ter habuisse rem eadem nocte. TH. Hoc sanè regularis ille præter regulam. AN. Homines sunt, & lapsus erat humanus. TH. Perge, quid deinde factum? AN. Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & ultro prouocat dæmonem. At ille iam timidior refugiebat, Fefellisti me, inquiens: si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare. TH. Iocum planè ridiculum narras. AN. Sed ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc euasit: Roganti exorcistæ, num qua uia posset à cruciatu liberari, respondit illa, posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus, Quid, inquit, si per bonos uiros dispensaretur in pios usus? Respondit, & hoc profuturum. Hîc exhilaratus exorcista, summa diligentia percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem, quod illi erat bonum atque commodum. Indicauit & locum, sed procul dissitum, ubi thesaurus hic defossus esset. Præscripsit in quos usus uellet impendi. TH. In quos? AN. Vt tres susciperent peregrinationem,

quorum

quorum unus adiret limina Petri, *alter iret salutatum* Iacobum Compostellanum, *tertius oscularetur pectinem* Iesu, *qui est* Treueris. *Deinde per aliquot monasteria magna uis psalteriorum, ac missarum perageretur. Quod supereesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus, illum toto pectore deuorarat.* TH. *Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes.* AN. *Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus à* Polo *cœpit animam de curiosis artibus percontari, de alcumistica, deq; magia. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterùm pollicita se plura indicaturã, simulatq; illius opera liberata fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic, si uidetur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubiq; seriò prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquijs, in conuiuijs, polliceri monasterijs magnifica quædam: & omnino nihil iam humile loquebatur: Adijt locum, reperit signa, non ausus tamen est effundere thesaurum, quòd anima iniecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quàm essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Iam multis nasutioribus subolebat fucus. Quum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clàm admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne qui hactenus habitus esset uir prudens, nunc diuersum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoueri, quo minus crederet rem esse seriam: adeo'que penitus hæc imaginatio occupauit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loque*

querctur. Abierat mẽtis habitus in ipſam faciem, quæ ſic pallebat, ſic erat extenuata, ſic deiecta, ut laruam eſſe diceres, non hominẽ. Quid multis? minimùm aberat à uera demẽtia, ni celeri remedio ſuccurſum fuiſſet. TH. Nimirùm hic erit extremus actus fabulæ. AN. Eum tibi reddã. Polus & huius gener huiuſmodi technam cõmenti ſunt. Effinxerũt epiſtolã raris literis deſcriptã, tdq; nõ in chartis uulgaribus, ſed in his, in quibus aurifices reponũt bracteas auri, ſubrubentibus, ut ſcis, luto. Epiſtolæ ſententia hæc erat: Faunus dudũ captiuus, nunc liber, Fauno liberatori ſuo optimo ſalutẽ æternã. Non eſt mi Faune, quur te diutius in hoc negotio maceres, reſpexit Deus animi tui piam uoluntatẽ, & illius merito me liberauit à ſuppliciis, ego nũc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Auguſtinum, qui proximus eſt apoſtolorum choro. Vbi ueneris ad nos, agam tibi gratias corám. Interim cura, ut uiuas ſuauiter. Datum è cœlo empyreo, Idibus Septembribus, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octauo, ſub ſigillo anuli mei. Hæc epiſtola clàm poſita eſt in altari, ubi facturus erat rem diuinam Faunus. Ea peracta ſubornatus eſt, qui eum ſubmoneret de re, quaſi caſu deprehenſa. Nunc eã circunfert epiſtolã, & oſtentat ceu rem ſacram, nihilq; credit certius, quàm eam è cœlo perlatam ab angelo. TH. Iſtud non eſt liberaſſe hominẽ inſania, ſed mutaſſe inſaniæ genus. AN. Sic eſt profectò, niſi quòd nunc inſanit ſuauius. TH. Antehac non ſoleo multùm tribuere fabulis, quæ uulgò feruntur de ſpectris, ſed poſthac multò minus tribuã: ſuſpicor enim ab hominibus credulis, & Fauni ſimilibus multa pro ueris

ris prodita literis, quæ simili artificio sunt adsimulatæ. AN. *Ego pleraq; huius generis esse credo.*

ALCVMISTICA.

Lalus, loquax. Philecous, auidus audiendi.

PHILECOVS, LALVS.

PH. *Quid est nouæ rei, quòd sic* Lalus *apud sese ridet, ac penè in cachinnos soluitur, subinde signans se crucet? Interpellabo felicitatẽ hominis. Salue multum amicissime* Lale: *uidere mihi admodùm felix.* LA. *Atqui felicior ero, si te impertiã hoc gaudio.* PH. *Fac igitur quàm primùm me bees.* LA. *Nosti* Balbinum? PH. *Senem illum eruditum, ac uitæ etiam laudatæ?* LA. *Sic est, ut dicis: sed nullus est mortaliũ, qui sapiat omnibus horis, aut qui sit undiquaque perfectus. Habet hoc uir ille inter multas egregias dotes næui, iam olim insanit in artem, quam uocant alcumisticam.* PH. *Haud tu quidem nænum narras, sed insignem morbum.* LA. *Vtcunq; est, ille toties delusus ab hoc hominum genere, tamen dudum mirificè passus est sibi dari uerba.* PH. *Quo pacto?* LA. *Adijt illum sacerdos quidam, salutauit honorificè, mox sic exorsus est: Doctissime* Balbine, *mirabere fortassis, quòd ignotus sic interpellem te, quem scio nunquàm non sanctissimis studijs occupatissimum. Annuit* Balbinus, *qui mos est illi, nam uerborum est mirè parcus.* PH. *Prudentiæ narras argumentum.* LA. *Verùm alter prudentior sic pergit. Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognoris causam, quur te adierim. Dic, inquit* Balbinus, *sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis uir omnium doctissimus, esse uaria mortalium fata: ego nescio, utro in numero me ponam, felicium, an infelicium.*

Etenim

Etenim si meum fatum altera ex parte cõtemplor, uideor mihi pulchrè felix: sin ex altera, nihil me infelicius. Vrgẽte Balbino ut rem conferret in compendium, Finiam, inquit, doctißime Balbine. Id erit mihi facilius apud uirum, cui totum hoc negotium sic notum est, ut nulli notius. PH. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. LA. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, ut artem omniũ maximè expetendam discerem: illam inquam totius philosophiæ medullam alcumisticam. Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbinus, gestu duntaxat: cæterùm gemitu iußit ut pergeret. Tum ille, Sed ô me miserum, inquit, qui non inciderim in eam uiam, quam oportuit. Quum Balbinus rogasset, quasnam uias diceret: Scis, inquit, optimè (quid enim te fugit Balbine uirum undequaque doctißimum?) duplicem esse huius artis uiam: alteram, quæ dicitur longatio: alteram, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino sciscitante, quod esset discrimen uiarum: Impudentem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui sciam hæc omnia sic esse nota, ut nulli notiora. Itaq; supplex huc ad te accurri, ut misertus nostri, digneris impartire nobis uiam illam felicißimam curtationis. Quò peritior es huius artis, hòc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te IESVS Christus semper maioribus locupletet dotibus. Quum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset longatio aut curtatio, iubet exponat ipse uim harum uocum. Tum ille, Quanquam,

alterum. Ibi Polus metuens, ne si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adiungit parochum quendam ex uicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ, & erat is qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus ritè præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus qui præcesserat, è uepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clàm per tenebras subducit se in uillam proximam, illhinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. TH. Quid faciunt? AN. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent à circulo, ignem ostentant, quo metu Faunum abigerent à circulo. TH. Quantum operæ sumpsit Polus ille, ut falleret? AN. Sic est homo. Verùm ea res propémodum peßimè cesserat illis. TH. Quî sic? AN. Nam equi subito prolato igne, consternati, parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores. Habes primum actum fabulæ. Vbi reditum est in colloquium, Polus uelut ignarus omniũ, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum, uerùm efficacibus uerbis abactos in malam rem. His rebus quum accreuisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu redijt in circulũ, quumq; diu multis obtestationibus prouocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostẽdit sese ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. TH. Nihil habebant ignis? AN. Nihil, nam id malè

cesserat

ceſſerat, ſed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leuiter per humum tracto, dum hinc atque hinc uterq; ſe proripit, uelut abacti exorciſmis Fauni, ſacerdotem utrunq; unà cum uaſe quod habebãt aquæ ſacræ plenum, prouoluunt in terram. TH. *Hoc præmij tulit pro ſua actione parochus?* AN. *Tulit, & tamen maluit hoc perpeti, quàm deſerere cœptam fabulam. His ita geſtis, ubi reditum eſt ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus quanto fuiſſet in periculo, & quàm fortiter utrunque cacodæmonem ſuis uerbis profligaſſet: iamq; certam conceperat fiduciam, nullum eſſe tam noxium aut impudentem dæmonem, qui poſſet in circulum irrumpere.* TH. *Faunus ille non multum abeſt à fatuo.* AN. *Nihil adhuc audiſti. Hucuſq; progreſſa fabula, cõmodùm ſuperuenit Polignener: nam eius filiam duxerat natu maximam, iuuenis, ut ſcis, ingenio mirè feſtiuo.* TH. *Scio, nec abhorrens ab huiuſmodi iocis.* AN. *Abhorrens? Nullum ille uadimonium non deſereret, ſi talis uel ſpectanda, uel agẽda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atq; illi delegat partes, ut animam agat. Sumit ornatum, ac lubens conuoluit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera, habet prunam uiuam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciem incendij. Sub noctem itum eſt ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandem procul inter uepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem, ac miſerè ſuſpirans. Hanc quum Faunus obteſtaretur, ut eloqueretur quiſnam eſſet, ſubitò proſiluit è uepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: Nihil, inquit, tibi iuris eſt in*

Vadimonium, id eſt, rem quãlibet ſeriã. Vide Chiliades.

hanc animam, mea est: ac subinde procurrit usq; ad oram circuli, uelut impetum facturus in exorcistam, mox'que uelut submotus uerbis exorcismi, & ui aquæ sacræ, quam illi multam aspersit, retrocessit. Tandem abacto pædagogo dæmone, nascitur dialogismus Fauni cum anima: percontanti & obtestanti respondit se esse animam hominis Christiani: Rogata quo nomine uocaretur, respondit, Faunus. Faunus inquit, idem mihi nomen est. Iamq; ex communi nomine res cœpit illi magis esse cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Quum Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quòd tempus urgeret, quo cogeretur abire, quò libêret dæmoni: pollicita tamen est sese postridie redituram hora qua fas esset. Rursus conuenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens, quæ sibi tamen persuadebat esse uera. Adeò fauebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertum erat, scilicet animã esse Christianam, quæ sub inclementissimo dæmone diris cruciatibus uexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verùm in exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. TH. Obsecro quidnam? AN. Quum Faunus euocasset animam, Polus qui dæmonẽ agebat, prorsus sic assilijt, quasi intra circulum irrupturus: quumq; contrà Faunus pugnaret exorcismis, multumq; uim aquæ aspergeret, tandem exclamat dæmon, se ne pili quidem facere ista omnia, Rem, inquit, habuisti cum puella, mei iuris es. Id quum Polus ioco diceret, tamen fortè fortuna uerum dixisse uisus est

Pedagogo, qui seruabat animam, nec ab ea discedebat. Sic Terẽ. Phædriã uocat puellæ pædagogum.

Choragus, qui producit ac reducit personas in fabulis, quasi præfectus fabulæ.

est: nam exorcista hoc dicto tactus, ilico recepit se in centrum circuli, & nescio quid immussauit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese, ne quid audiret, quod audire fas non esset. TH. *Sanè Polus religiosum ac uerecundum agebat dæmonem.* AN. *Sic est. Reprehendi poterat actio, quòd parum meminisset decori. Exaudiuit tamen parochi uocem, indicentis satisfactionem.* TH. *Quam?* AN. *Vt ter diceret precationem dominicam: ex hoc conijciebat illum ter habuisse rem eadem nocte.* TH. *Hoc sanè regularis ille præter regulam.* AN. *Homines sunt, & lapsus erat humanus.* TH. *Perge, quid deinde factum?* AN. *Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & ultro prouocat dæmonem. At ille iam timidior refugiebat, Fefellisti me, inquiens: si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare.* TH. *Iocum planè ridiculum narras.* AN. *Sed ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc euasit: Roganti exorcistæ, num qua uia posset à cruciatu liberari, respondit illa, posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus, Quid, inquit, si per bonos uiros dispensaretur in pios usus? Respondit, & hoc profuturum. Hîc exhilaratus exorcista, summa diligentia percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem, quod illi erat bonum atque commodum. Indicauit & locum, sed procul dissitum, ubi thesaurus hic defossus esset. Præscripsit in quos usus uellet impendi.* TH. *In quos?* AN. *Vt tres suscíperent peregrinationem,*

quorum

quorum unus adiret limina Petri, alter iret salutatum Iacobum Compostellanum, tertius oscularetur pectinem Iesu, qui est Treueris. Deinde per aliquot monasteria magna uis psalteriorum, ac missarum perageretur. Quod supereſſet, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus, illum toto pectore deuorarat. TH. Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes. AN. Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus à Polo cœpit animam de curiosis artibus percontari, de alcumistica, deq; magia. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterùm pollicita se plura indicaturã, simulatq; illius opera liberata fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic, si uidetur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubiq; seriò prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquijs, in conuiuijs, polliceri monasterijs magnifica quædam: & omnino nihil iam humile loquebatur: Adijt locum, reperit signa, non ausus tamen est effundere thesaurum, quòd anima iniecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quàm essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Iam multis nasutioribus subolebat fucus. Quum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clàm admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne qui hactenus habitus esset uir prudens, nunc diuersum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoueri, quo minus crederet rem esse seriam: adeo'que penitus hæc imaginatio occupauit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loque

querctur. Abierat mẽtis habitus in ipſam faciem, quæ ſic pallebat, ſic erat extenuata, ſic deiecta, ut laruam eſſe diceres, non hominẽ. Quid multis? minimùm aberat à uera demẽtia, ni celeri remedio ſuccurſum fuiſſet. TH. Nimirùm hic erit extremus actus fabulæ. AN. Eum tibi reddã. Polus & huius gener huiuſmodi technam cõmenti ſunt. Effinxerũt epiſtolã raris literis deſcriptã, idq; nõ in chartis uulgaribus, ſed in his, in quibus aurifices reponũt bracteas auri, ſubrubentibus, ut ſcis, luto. Epiſtolæ ſententia hæc erat: Faunus dudũ captiuus, nunc liber, Fauno liberatori ſuo optimo ſalutẽ æternã. Non eſt mi Faune, quur te diutius in hoc negotio maceres, reſpexit Deus animi tui piam uoluntatẽ, & illius merito me liberauit à ſuppliciis, ego nũc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuum Auguſtinum, qui proximus eſt apoſtolorum choro. Vbi ueneris ad nos, agam tibi gratias corám. Interim cura, ut uiuas ſuauiter. Datum è cœlo empyreo, Idibus Septembribus, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octauo, ſub ſigillo anuli mei. Hæc epiſtola clàm poſita eſt in altari, ubi facturus erat rem diuinam Faunus. Ea peracta ſubornatus eſt, qui eum ſubmoneret de re, quaſi caſu deprehenſa. Nunc eã circunfert epiſtolã, & oſtentat ceu rem ſacram, nihilq; credit certius, quàm eam è cœlo perlatam ab angelo. TH. Iſtud non eſt liberaſſe hominẽ inſania, ſed mutaſſe inſaniæ genus. AN. Sic eſt profectò, niſi quòd nunc inſanit ſuauius. TH. Antehac non ſoleo multùm tribuere fabulis, quæ uulgò feruntur de ſpectris, ſed poſthac multò minus tribuã: ſuſpicor enim ab hominibus credulis, & Fauni ſimilibus multa pro ue-

ris prodita literis, quæ simili artificio sunt adsimulatæ. AN. Ego plerasq; huius generis esse credo.

ALCVMISTICA.

Lalus, loquax. Philecous, auidus audiendi.

PHILECOVS, LALVS.

PH. Quid est nouæ rei, quòd sic Lalus apud sese ridet, uc penè in cachinnos soluitur, subinde signans se crucet Interpellabo felicitatẽ hominis. Salue multum amicissime Lale: uidere mihi admodùm felix. LA. Atqui felicior ero, si te impertiã hoc gaudio. PH. Fac igitur quàm primùm me bees. LA. Nosti Balbinum? PH. Senem illum eruditum, ac uitæ etiam laudatæ? LA. Sic est, ut dicis: sed nullus est mortaliũ, qui sapiat omnibus horis, aut qui sit undiquaque perfectus. Habet hoc uir ille inter multas egregias dotes næui, iam olim insanit in artem, quam uocant alcumisticam. PH. Haud tu quidem nænum narras, sed insignem morbum. LA. Vtcunq; est, ille toties delusus ab hoc hominum genere, tamen dudum mirificè passus est sibi dari uerba. PH. Quo pacto? LA. Adijt illum sacerdos quidam, salutauit honorificè, mox sic exorsus est: Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quòd ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studijs occupatissimum. Annuit Balbinus, qui mos est illi, nam uerborum est mirè parcus. PH. Prudentiæ narras argumentum. LA. Verùm alter prudentior sic pergit. Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognoris causam, quur te adierim. Dic, inquit Balbinus, sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis uir omnium doctissimus, esse uaria mortalium fata: ego nescio, utro in numero me ponam, felicium, an infelicium.

Etenim

Etenim si meum fatum altera ex parte cõtemplor, uideor mihi pulchrè felix: sin ex altera, nihil me infelicius. Vrgẽte Balbino ut rem conferret in compendium, Finiam, inquit, doctißime Balbine. Id erit mihi facilius apud uirum, cui totum hoc negotium sic notum est, ut nulli notius. PH. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. LA. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, ut artem omniũ maximè expetendam discerem: illam inquam totius philosophiæ medullam alcumisticam. Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbinus, gestu duntaxat: cæterùm gemitu iußit ut pergeret. Tum ille, Sed ô me miserum, inquit, qui non inciderim in eam uiam, quam oportuit. Quum Balbinus rogasset, quasnam uias diceret: Scis, inquit, optimè (quid enim te fugit Balbine uirum undequaque doctißimum?) duplicem esse huius artis uiam: alteram, quæ dicitur longatio: alteram, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino sciscitante, quod esset discrimen uiarum: Impudentem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui sciam hæc omnia sic esse nota, ut nulli notiora. Itaq; supplex huc ad te accurri, ut misertus nostri, digneris impartire nobis uiam illam felicißimam curtationis. Quò peritior es huius artis, hòc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te IESVS Christus semper maioribus locupletet dotibus. Quum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fatcri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset longatio aut curtatio, iubet exponat ipse uim harum uocum. Tum ille, Quanquam,

inquit, scio me loqui peritiori, tamen, quando ita iubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte diuina contriuerũt, duabus rationibus uertunt rerum species: altera quæ breuior est, sed plusculum habet periculi: altera quæ longior est, sed eadẽ tutior. Ego mihi uideor infelix, qui hactenus sudarim in ea uia, quæ meo animo non arridet, neq; quẽquam nanciscí potui, qui alteram, cuius amore depereo, uellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, ut te adirem, uirum non minus pium quàm doctum. Doctrina tibi præstat, ut facilè possis dare quod peto: pietas cõmouebit, ut uelis opitulari fratri, cuius salus tibi in manu est. Ne longum faciam, quum huiusmodi sermonibus ueterator ille amouisset à se suspicionem fuci, fidemq; fecisset sibi uiam alteram esse perspectissimam, iampridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi, Valeat, inquit, illa curtatio, cuius ego ne nomen quidem unquam audiui, tantum abest ut teneam: dic mihi bona fide, longationem tenes exactè? Phy, inquit ille, ad unguem, sed displicet longitudo. Quum Balbinus rogasset, quantum tẽporis requireretur: Nimiùm, inquit, totus penè annus, sed interim tutissima est. Ne labora, inquit Balbinus, etiam si toto biennio sit opus, modò fidas arti tuæ. Vt rem in pauca conferam, conuenit inter eos, ut negotium aggrederentur clàm in ædibus Balbini hac lege, ut ille suppediteret operam, Balbinus sumptum, lucrum ex æquo ac bono diuideretur: quanquam impostor modestus ultro totum lucrum, quod prouenisset, Balbino deferebat: utrinq; iuratum est de silentio, quod faciunt qui mysterijs initiantur. Iam ilico numeratur pecunia, unde artifex

merca

mercaretur ollas, uitra, carbones, reliquaq; quæ ad instru endã officinam pertinent. Ibi noster alcumista suauiter in scorta, aleam, & compotationes decoquit eam pecuniam. PH. *Hoc nimirùm est uertere rerum species.* LA. *Vrgente Balbino ut rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud: Dimidium facti qui cœpit habet? Magnum est bene præparare materiam. Tandem cœpit adornari fornax. Hîc rursus erat opus nouo auro, uelut illecebra uenturi auri. Siquidem ut piscis non capitur absque esca, ita aurum alcumistis non prouenit, nisi pars auri admisceatur. Interea Balbinus totus erat in supputationibus: subducebat enim, si uncia parĕret quindecim, quantum esset lucri rediturum ex uncijs bis mille: tantùm enim decreuerat insumere. Quum hanc quoque pecuniam decoxisset alcumista, iamq; mensem unum atque alterum multum operæ simulasset circa folles & carbones, roganti Balbino, ecquid procederet negotium, primùm obmutuit: urgenti tandem respondit, Sicut solent res præclaræ, quæ semper difficiles habent aditus. Causabatur erratum in emendis carbonibus, quernos enim emerat, quum abiegnis esset opus, aut colurnis. Ibi perierant aurei centum, nec eò segnius reditum est ad aleam. Data noua pecunia, mutati carbones. Iamq; maiore studio res cœpta est, quàm antea: quemadmodũ in bello milites, si quid secus accidit, quàm uellent, uirtute sarciunt. Quum menses iam aliquot ferbuisset officina, & expectaretur fœtus aureus, ac ne mica quidem auri esset in uasis (iam enim & illud omne decoxerat alcumista) inuenta est alia causatio, nimirùm uitra, quibus usus fuerat, non fuisse temperata sicut oportuit.*

Decoquit. Decoquere est nequiter profundere. Inde decoctores.

Vertere rerum species. Nam id profitĕtur alcumistę. Qui profundit, ĩ id uertit quo fruitur.

Etenim ut non ex quouis ligno Mercurius fingitur, ita non quibuslibet uitreis conficitur aurum. Quò plus erat impensum, hòc minus libebat desistere. PH. Sic solent aleatores, quasi non multò satius sit hoc perdere, quàm totũ. L A. Sic est. Deierabat alcumista, nunquam sibi sic impositum fuisse, nunc errore deprehẽso cætera fore tutißima, & hoc dispendij magno cum fœnore sarturum sese. Mutatis uitreis tertia instaurata est officina. Admonebat alcumista, rem felicius cessuram, si Virgini matri, quæ, ut scis, Paralijs colitur, mitteret aliquot aureos dono: artẽ enim esse sacram, nec absque fauore numinum rem prosperè geri. Id consilium uehementer placuit Balbino homini pio, ut qui nullum prætermitteret diem, quin perageret rem diuinam. Suscepit religiosam profectionem alcumista, nimirùm in proximum oppidulum, atque illhic uotiuam pecuniam decoxit in ganeis. Reuersus domum, nuntiat sibi summam esse spem, negotium ex animi sententia successurum, adeò diuam Virginem uotis suis uisam annuere. Vbi multò iam tempore sudatum esset, ac ne mica quidem auri nasceretur usquam, expostulanti Balbino, respondit, sibi nihil unquam tale accidisse in uita toties artem experto, nec satis posse coniectare quid esset in causa. Quum diu diuinatum esset, tandem illud uenit in mentem Balbino, num quo die prætermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quas uocant: nam nihil succedere his omißis. Ibi impostor, Rem, inquit, acu tetigisti. Me miserum, semel atque iterum id admissum est per obliuionem, & nuper à prolixo conuiuio surgens, oblitus sum dicere salutationem Virginis. Tum Balbinus, Non mirũ, inquit,

sires

si res tanta non succedit. Recipit artifex se pro prætermissis sacris duobus duodecim auditurum, & pro unica salutatione decem repositurum. Quum alcumistam prodigum subinde defeciſſet pecunia, nec suppeterent petẽdi causæ, tandem hanc technam commentus est: redijt domum admodùm exanimatus, ac uoce lamentabili, Perij, inquit, funditus Balbine, perij, actum est de capite meo. Obstupuit Balbinus, & tanti mali causam auebat cognoscere. Subodorati sunt, inquit, aulici quod egimus, nec aliud expecto, quàm ut mox deducar in carcerẽ. Ad hanc uocem expalluit etiam seriò Balbinus. Nam scis apud nos capitale esse, si quis alcumisticã exerceat absq; principis permissu. Pergit ille, Non, inquit, metuo mortem, utinã illa contingat, metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset. Rapiar, inquit, aliquò in turrim: illhic per omnem uitam cogar his laborare, quibus non libet. An ulla mors est, quæ non potior esse debeat, quàm talis uita? Ibi res uentilata est consultatione. Balbinus, quoniam callebat artem rhetoricam, pulsauit omnes status, si quà periculum uitari posset. Non potes, inquit, inficiari crimen? Nequaquã, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est, & habent argumenta, quæ dilui non possint. Ne defendi quidẽ factum poterat ob legẽ manifestam. Quum multis in mediũ adductis, nihil uideretur firmi præsidij, tandem alcumista, cui iam opus erat præsente pecunia, Nos, inquit, Balbine lentis consilijs agimus, atqui res poscit præsens remedium. Iam arbitror adfuturos, qui me abripiant in malam rem. Deniq; quum nihil occurreret Balbino, tandẽ alcumista, Nec mihi quicquam occurrit

Apud nos. Plinius lib. 10. ca. 1. refert Britannos mirè insanisse in magiã usque ad ipsius ætatẽ. Sunt adhuc qui in alcumistica parũ sobrij sunt, quãquam lex capitalis apposita est.

rit, inquit, nec quicquam supereſſe uideo, niſi ut fortiter pereã: niſi fortè hoc placet, quod unũ ſupereſt, utile magis quàm honeſtum, niſi quòd durum eſt telum neceſſitas. Scis, inquit, hoc hominũ genus auidum eſſe pecuniæ, eoq; facilius corrumpi poſſe, ut ſileant. Quamuis durum ſit illis furciferis dare quod profundant, tamen ut nunc res ſunt, nihil uideo melius. Idem uiſum eſt Balbino, ac numerauit aureos triginta, quibus redimeret ſilentiũ. PH. Miram Balbini liberalitatem mihi prædicas. LA. Imò in re honeſta citius dentem extudiſſes ab eo, quàm nummum. Sic proſpectum eſt alcumiſtæ, cui nihil erat periculi, niſi quòd nõ haberet quod daret amicæ. PH. Demiror Balbino intantum nihil eſſe naſi. LA. Hîc duntaxat naſo caret, in cæteris naſutiſſimus. Rurſum noua pecunia inſtruitur fornax, ſed præmiſſa ad Virginẽ matrem precatiuncula, ut cœptis faueret. Iam totus exierat annus, dum illo nũc hoc, nunc illud cauſante, luditur opera & perit impenſa. Interim extitit caſus quidam ridiculus. PH. Quisnam? LA. Alcumiſta furtiuam conſuetudinem habebat cum uxore cuiuſdam aulici: maritus concepta ſuſpicione cœpit hominem obſeruare. Tandem quum illi nuntiatum eſſet, ſacrificum eſſe in cubiculo, præter expectationem redijt domum, pulſat oſtium. PH. Quid facturus homini? LA. Quid? nihil ſuaue: aut occiſurus erat, aut exacturus. Vbi maritus inſtans minitaretur, ſe ui effracturum oſtium, ni aperiret uxor, magnopere trepidatum eſt, & circunſpicitur præſentaneum aliquod conſilium. Nec erat aliud, quàm quod ipſa dabat res. Abiecit tunicã, ac per feneſtram anguſtam deiecit ſeſe non abſq; periculo,

nec

nec sine uulnere, ac fugit. Scis tales fabulas ilico spargi. Itaq; permanauit & ad Balbinũ. Neq; id fore nõ diuinarat artifex. PH. Hic itaq; medius tenetur. LA. Imò felicius elapsus est hinc, quàm è cubiculo. Audi technã hominis. Nihil expostulabat Balbinus, sed nubilo uultu satis indicabat se nõ ignorare quod uulgò ferebatur. Nouerat ille Balbinũ esse uirũ pium, in nonnullis penè dixerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quamuis magno peccato facilè condonãt supplici. Itaq; data opera inijcit mentionem de successu negotij, queritans non perinde succedere, ut solet, aut uellet, addebat se uehementer mirari, quid esset in causa. Ibi per occasionẽ cõmotus Balbinus, qui alioqui uidebatur destinasse silentiũ, & erat qui facilè cõmoueretur: Non est, inquit, obscurum quid obstet, peccata obstant, quo minus succedat, quod à puris purè tractari conuenit. Ad hanc uocem artifex procubuit in genua, subinde tundens pectus, & uultu uocéq; lacrymabili: Verissimum, inquit, dixisti Balbine, peccata inquã obstant, sed mea peccata, non tua: non enim pudebit me turpitudinem meam apud te uelut apud sacerdotem sanctissimum confiteri. Vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me satanas in laqueos suos. Et ò me miserum, è sacrificio factus sum adulter. Non tamen omnino perijt hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Iam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior quàm ut possem elabi: in tam præsentaneo periculo uenit in mentem sanctissimæ Virginis, procidi in genua, obtestatus sum, si gratiũ fuisset munus, ut opitularetur. Nec mora, repeto fenestram (sic enim

urgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. PH. *Credidit ista Balbinus?* LAL. *Credidit? Imò etiam ignouit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virgini. Numerata est rursus pecunia danti fidem se posthac rem sacram purè tractaturum.* PHIL. *Quis tandem finis?* LAL. *Perlonga est fabula, sed ego paucis absoluam. Quum eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum uim ab eo extorsisset, tandem uenit illò, qui nebulonem à puero nouerat. Is facilè diuinans, illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clàm aggreditur illum: exponit qualem artificem domi suæ foueret, monet ut quàm primùm ableget hominem, ni mallet ipsum aliquando compilatis scrinijs fugere.* PHIL. *Quid Balbinus? uidelicet curauit hominem conijciendum in carcerem.* LAL. *In carcerem? Imò numerauit uiaticum, obtestans per omnia sacra, ne, quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quàm esse fabula conuiuiorum & feri, deinde uenire in periculum confiscationis. Nam impostori nihil erat periculi: artis tantum tenebat, quantum asinus quiuis, & in hoc genere fauorabilis est impostura. Quòd si furti crimen intentasset, à suspendio tutum reddebat unctio, neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere.* PH. *Miseresceret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi.* LA. *Nunc mihi properandum est in aulam, aliâs referam his etiam multò stultiora.* PH. *Quum uacabit & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.*

HIPP

HIPPOPLANVS.

AVLVS, PHAEDRVS.

Hippoplanus, qui imponit in uēdēdis equis.

σεμνοπροσωπος, est seueritatem uultu præferre.

AVL. Deum immortalem, ὡς σεμνοπροσωπος noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit? Adoriar. Quid accidit nouæ rei Phædre? PH. Quamobrem isthuc interrogas Aule? AV. Quoniam è Phædro mihi uideris factus Cato, tanta est in uultu seueritas. PH. Non mirum amice, modò confessus sum peccata mea. AV. Phy, iam desino mirari: sed dic agè, bona fide confessus es omnia? PH. Omnia quæ quidem in mentem ueniebant, unico duntaxat excepto. AV. Cur unum hoc reticuisti? PH. Quia nondum potuit mihi displicere. AV. Oportet esse peccatū suaue. PH. An peccatum sit nescio, sed tamen si uacat audies. AVL. Audiam equidem lubens. PH. Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui uendunt aut locant equos? AV. Plus scio quàm uellem, non semel ab illis delusus. PH. Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixisses eius generis minimè malum, & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro mihi rem esse seriam, opus esse præstrenuo equo, si unquam præbuisset se mihi bonum uirum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum actum, ut ageret cum fratre suo charissimo. AV. Fortasis & fratri impositurus. PH. Inducit in stabulum, iubet ut eligam ex omnibus equis quencunque uellem. Tandem unus plus cæteris arridebat, ille probat iudicium meum, deierans eum equum frequenter à multis expetitū esse, se eum maluisse seruare amico singulari, quàm ignotis addicere. Conuentum est de pretio, numeratur pecu-

nia

nia præsens conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu, dixisses feroculum esse: nam erat obesulus & pulchellus. Vbi iam equitassem sesquihoram, sensi planè lassum, ne calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos è specie iudicares insignes, cæterùm laboris impatientißimos. Ego continuò mecũ, Captus sum. Agè, par pari referam, ubi rediero domum. AV. Quid hìc consilij capiebas eques absque equo? PHAE. Id quod res dabat, deflexi in proximum uicum, illhic clàm apud quendam mihi notum deposui equum, & conduxi alterum, profectus sum quò destinaram, reuersus sum, reddo conductitium equum, reperio meum sophistam ut erat, obesum & pulchrè requietum, eo uectus redeo ad impostorem, rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percontatur quàm commodè me gesserit: ego uerò deiero per omnia sacra, me nunquam in uita conscendisse tergum equi felicioris, uolasse potius quàm ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc quum illi persuasissem esse uera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quàm hactenus suspicatus esset. Itaque prius quàm abirem, rogabat num mihi uenalis esset equus: primò negabam, quòd si inciderct iter denuo, non facile foret nanciscì similem: attamen nihil esse mihi tam charum, quod non esset uenale pretio largo, etiam si quis meipsum, inquam, cuperet emptum. AVL. Næ tu pulchrè Cretensem agebas cum Cretensi. PHAE. Quid multis? Non dimittit me, nisi pronuntiata equi indicatura. Indicaui non paulò pluris quàm emeram. Digressus ab homi

Meum sophistam, id est, fucatum equum.

ab hominc, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulæ pulchrè instructum atque edoctum: is ingressus domum inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregiè patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quenque maximè prædicat, solum illum quem mihi uendiderat, quoniam existimabat uerè talem qualem prædicaueram, non laudat. At alter ilico rogat, num & ille uenalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primùm obticescere, atque alios ambitiosè prædicare. Quum iste cæteris utcunque probatis semper ageret de uno illo, tandem locator apud se, Planè fefellit me iudicium de illo equo, siquidem hic peregrinus statim agnouit hunc inter omnes. Quum instaret ille, tandem hic, Venalis est, inquit: sed pretio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica. Indicauit aliquantò pluris, quàm indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem conuenit de pretio, datur arra satis magna, nempe regalis aureus: nequa suspicio incideret simulatæ emptionis. Emptor iubet equo dari pabulum, se mox ait rediturum & abducturum, dat etiam stabulario drachmam. Ego simulatq; cognoui pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat quid uelim, Ilico, inquam adornetur equus meus. Nam eucstigio proficiscendum est ob rem maximè seriam. Atqui modò, inquit, mandabas ut aliquot dies alerem equum tuum. Verùm, inquam, sed præter expectationem obiectum est negotium, idq; regium, quod nullam patitur dilationem.

Hic

Hic ille, Eliges ex omnibus quem uoles, tuum habere non potes. Rogo quamobrem. Quoniam uenditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione, Prohibeant, inquam, superi quod dicis. Hoc obiecto itinere non uenderem eum equum, etiam si quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille, Quid opus, inquit, his iurgijs? Indicasti equum, ego uĕdidi: si numero pretium, nihil habes, quod mecum agas: sunt in hac urbe leges, ad exhibendum equum, me non potes compellere. Quum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emptorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimaram uiginti sex. Ille estimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucri facere, quàm equum reddere. Abeo dolenti similis, ac uix placatus etiam data pecunia, ille rogat ut boni consulam, se alijs in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretij. Expectat ut qui arram dedit, ueniat numeratum pecuniam. At nemo uenit, nec unquam uenturus est. A V. Interim nunquàm tecum expostulauit? P H. Qua fronte, aut quo iure id faceret? Conuenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emptoris. Verùm ego ultro expostulaui cum homine dicens, illum eo malo dignum, qui præpropera uĕditione tali equo me spoliarit. Hoc est crimen tam bene collocatum mea sententia, ut non possim inducere animum confiteri. A V L. Ego mihi statuam poscerem, si quid tale designassem, tantum abest, ut cõfessurus sim. P H. An ex animo loquaris, nescio: mihi tamen addis animum, quò magis lubeat talibus facere fucum.

Statuam poscerem. Honoris gratia statuæ ponebantur bene meritis de re publica.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ.

IRIDES, MISOPONVS.

IR. Quam ego huc nouam auem uideo aduolare? Agnosco faciem, sed uestis nõ conuenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audendum est, compellabo hominem, quamlibet pannosus. Salue Misopone. MI. Iridem uideo. IR. Salue Misopone. MI. Tace inquam. IR. Quid? an saluere non uis? MI. Non isto quidem nomine. IR. Quid accidit? An nõ es idem qui fueras? An cum ueste mutatur & nomen? MI. Non, sed uetus receptum est. IR. Quis tum eras? MI. Apitius. IR. Ne te pudeat ueteris sodalis, si quid melioris obtigit fortunæ: non diu est quòd eras ordinis nostri. MI. Concede huc sodes, & audies rem omnẽ. Non pudet ordinis uestri, sed pudet primi ordinis. IR. Quem ordinem narras? Franciscanorũ? MI. Nequaquam ò bone, sed decoctorũ. IR. Næ tu istius ordinis sodales habes quàm plurimos. MI. Eram re lauta, prodegi strenuè: ubi res defecit, nullus agnoscebat Apitium. Profugi pudore, uerti me ad uestrũ collegium, hoc malui quàm fodere. IR. Sapuisti. Sed unde subitò nouus nitor corporis? Nam de ueste mutua non perinde miror.

Irides, uelut Iri filius, quem mendicum inducit Vlysses.

Misoponus, osor laborum.

MIS. Quam ob rem? IR. Quia Dea Lauerna multos subitò ditat. MI. An suspicaris me furto parasse rem? IR. Hoc fortasis ignauius. Rapina igitur. MI. Non per uestram Peniã, neq; furto, neq; rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi uidetur mirabilius. IR. Nam apud nos eras totus ulcerosus. MI. Nimirùm sum usus amiciss̃imo medico. IR. Quonã? MI. Non alio quàm meipso, nisi si quem arbitraris mihi meipso amiciorem.

Lauerna, Dea furum.

Penia, paupertas, Dea apud Aristophanem.

IR.

IR. Atqui nescieba te callere rem medicā antehac. MIS. Totum illum ornatum ipse pigmentis affixeram, ture, sulphure, resina, uisco, linteis, cruore. Vbi uisum est, quod affixeram, detraxi. IR. O impostorem, nihil te uidebatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Iob. MIS. Sic tum ferebat egestas, quanquàm fortuna nonnunquam & cutem mutare solet. IRI. Dic igitur de Fortuna. Repertus est Thesaurus aliquis? MIS. Non, sed repertus est quæstus uestro paulò commodior. IR. Qui potuisti facere quæstum, quum non suppeteret sors? MI. Artem quæuis terra alit. IR. Intelligo. Dicis artem incidendi loculos. MIS. Bona uerba. Dico artem alcumisticam. IR. Vix quindecim dies sunt, quòd nos reliquisti, & artem assequutus es, quam alij uix multis annis perdiscunt? MI. Nactus sum uiam compendiariam. IRID. Quam obsecro? MI. Ars uestra conflauerat mihi quatuor fermè aureos: bona quadam fortuna incidi in ueterem congerronem, qui nihilo felicius rem administrarat quàm ego. Compotabamus, cœpit, ut fit, narrare suas fortunas: paciscor hac lege, ut ille biberet immunis, mihi cō municaret artem. Communicauit bona fide, ea nunc uectigal est mihi. IR. Non licet discere? MI. Tibi uel gratis impertiā ob pristinum sodalitium. Scis nusquā nō inueniri plurimos huius artis auidissimos. IR. Audiui, & credo. MI. In horum familiaritatem quacunq; occasione memet insinuo, iacto artem. Vbi sensero larum hiantem, escam paro. IR. Quo pacto? MI. Vltro cos moneo, ne temere credant eius artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes præstigijs suis, ut exhauriant

Larū hiantem. Vide prouerb. Esca ſtatae, qua capiuntur pisces & aues.

loc

loculos ineautorum. IRI. Isthuc proœmij parum accommodum tuo negotio. MI. Imò illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. IRI. Miram artis fiduciam mihi narras. MI. Iubeo illos adesse, dum peragitur Metamorphosis, iubeo attentos esse, quoq; minus dubitent, iubeo ut ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, nec digitum admouente: liquefactam materiam iubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant, prædico quantum argenti auriue sit eliquandum, denique quod eliquatum est, iubeo ut pluribus aurificibus deferant ad lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatißimum aurum aut argentum: nihil enim refert, nisi quòd minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. IRI. Proinde nihil habet ars tua fuci. MI. Imò merus fucus est. IRI. Nondum uideo præstigium. MI. Faxo ut uideas. Primùm paciscor de mercede, eam nolo mihi numerari, nisi prius edito artis experimento. Trado illis puluisculum, quasi huius ui conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulueris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo iusiurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium. IRI. Nondum audio fucum. MI. Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excauo carbonem, in eum insero liquefactum argentum quantum prædico reddendum: post infusum pulucrem sic instruo uas, ut non solùm infernè & à lateribus cingatur prunis, uerum etiam supernè, persuadeo hoc esse artis. Inter carbones qui supernè, imponuntur, unum admisceo,

Lydius lapis corticula qua explorant aurum.

qui tegit argentum aut aurum. Id ui caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs, repurgatione facta inuenitur quod admistum est. IRI. Ars expedita. Sed quomodo fallis, si alter rem agat suis manibus? MI. Quum is me præscribente perficit omnia, prius quàm moueatur uas alcumisticum, accedo tandem & circunspicio, ne quid fortè sit omissum. Aio mihi uideri superne deesse unum atque alterum carbonem, clàm appono meum, fingo me eum tollere ex aceruo reliquorum, at illhic antè sic positum, ut nulli possit agnosci, & illum fallere. Tollo. IRI. Cæterùm quum illis absque periculum facientibus non succedit, quid adfers? MI. Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. Aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insynceram, aut carbones uitiosos, aut ignem parum scitè temperatum. Deniq; pars est artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. IRI. An tantus est prouentus istius artis, ut te possit alere? MI. Et quidem splendidè: posthac tu quoq; si sapis, relinques istam miseriam, & nostro accedes ordini. IRI. Imò citius illud agam, ut te reuocem in nostrum ordinem. MI. Vt uolens repetam quod semel effugi, ac deseram bonum quod inueni? IRI. Habet hoc nostra professio, dulcescit assuetudine. Proinde quum multi sint, qui deficiant ab instituto diui Francisci, aut Benedicti, quem unquam uidisti, qui diutius uersatus in ordine nostro defecerit? Nam tam paucis mensibus uix gustare poteras, quid esset mendicitas. MI. Is gustus me docuit, esse rem omniam miserrimam. IRI. Quur igitur nemo deficit? MI. Fortasse quia natura miseri sunt. IRI. Ego hanc miseriam ne cum

regum

regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno similius, quàm mendicitas. M I. *Quid ego audio? nihil nisi similius, quàm carbo.* I R I. *Dic mihi, qua re potißimum beati sunt reges?* M I. *Quia faciunt quod animo collubitum est.* I R I. *Ista libertas, qua nihil suauius, nemini regum magis adest, quàm nobis. Nec dubito, quin multi reges sint, qui nobis inuideant. Siue bellum est, siue pax, nos tutò uiuimus: non describimur ad militiam, non uocamur ad munia publica, non censemur: quum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in uitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in ius uocare mendicum? Etiam si pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet suauiter agere, & quò maiores sunt, hoc plures metuunt. Nos ueluti Deo sacros etiam religione quadam metuit uulgus offendere.* M I. *Sed interim sordescitis in pannis & casulis.* I R I. *Quid ista faciunt ad ueram felicitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem.* M I. *At uereor ne uobis breui peritura sit felicitatis istius bona pars.* I R I. *Quî sic?* M I. *Quia iam hoc mussant ciuitates, ne mendicis liberum sit quò libet euagari, sed unaquæque ciuitas suos alat mendicos, & in his qui ualent, adigantur ad laborem.* I R I. *Quur hoc moliuntur?* M I. *Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis prætextu perpetrari. Deinde non minimam perniciem ex uestro ordine nasci.* I R I. *Istiusmodi fabulas frequenter audiui. Id fiet ad Calendas Græcas.* M I. *Fortasse citius, quàm uelles.*

Censemur, unde & census dicitur, quum numeratis singulis ac facultatibus æstimatis indicitur exactio.

CONVIVIVM FABVLOSVM.

POLYMYTVS, GELASINVS, Eutrapelus, Asteus, Philythlus, Philogelos, Euglottus, Lerochares, Adolesches.

Polymythus, fabulosus.
Gelasinus, ridiculus.
Eutrapelus, facetus.
Asteus, urbanus.
Philythlus, amans nugarũ.
Philogelos, amans risum.
Euglottos, bene linguax.
Lerochares, q gaudet nugis.
Adolesches, nugator.
νομοθέτ, &c. Id est, Statue lèges ô rex.
Quod felix. Ab hac solenni precatione solebant olim auspicari, qui rẽ seriam agebant apud populum.
τὸ πιθανὸν, id est, uerisimile: & πρέπον, id est, decorum.

P O. Vt non decet ciuitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec conuiuium oportet ἄνδρχον esse καὶ ἄνομον. G E. Isthuc uerò perplacet, ut unus totius populi nomine respondeam. P O. Heus puer, adfer huc talos, horum suffragijs decernatur regnum, cuicunq; fauerit Iupiter. Euge, Eutrapelo fauit Iupiter. Non fuere sortes cæcæ, non poterat magis idoneus eligi, etiam si per singulas tribus uiritim collecta fuissent puncta. Vulgò iactatur prouerbium, non tam uanum quàm parum Latinum, Nouus rex, nouus lex. Νομοθέτει γὰρ ὦ βασιλεῦ. E V. Quod felix faustumq; sit huic conuiuio. Primùm edico, ne quis hìc proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in uinum insumitor, atq; in legitimis fabulis etiam ex tempore confictà habentor, modò seruetur ὃ πιθανὸν καὶ τὸ πρέπον. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidissimam, alter frigidissimam fabulam dixerit, uini pretium pendunto, conuiuator à uini sumptu immunis esto, ciborum sumptum unus suppeditato, huius rei si quid inciderit controuersiæ, Gelasinus arbiter ac iudex esto. Hæc si nos sciueritis, rata sunto: qui legi parêre noluerit, abito, sic tamen ut postridie ad compotationem redire ius fasq; sit. G E. Legem à rege latam nostris suffragijs ratam esse uolumus. Sed unde proficiscetur fabularum circulus? E V T.

Vnde,

Vnde, nisi à conuiuatore? AST. Licet'ne rex dicere tria uerba? EVT. An tu credis nefastum esse conuiuium? AS. Iureconsulti negant legem esse, quæ non sit æqua. EVT. Assentior. AS. At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ. EVT. Vbi uoluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur qui pessimè dixit, quàm qui optimè, eò quòd non minus delectet. Velut inter cantores nemo uoluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut egregiè malè. Non'ne plures rident audito coccyce, quam audita luscinia? Hic mediocritas laudem non habet. AS. At quur plectuntur qui laudem auferunt? EVT. Ne nimia felicitas prouocet illis Nemesin aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem. AS. Per Bromium, Minos ipse nunquàm tulit legem æquiorem. PH. Nullam feres legem de modo bibendi? EVT. Dispectare, sequar exemplum Agesilai Lacedæmoniorum regis. PH. Quid is fecit? EVT. Is cùm tempore quodam symposiarchus talorum arbitrio delectus esset, rogante architriclino, quantũ cuique uini iuberet apponi: Si largior, inquit, uini copia parata est, dato cuiq; quantum poposcerit: si malignior, omnibus ex æquo distribuito. PHIL. Quid sibi uoluit Lacon ille, quum hæc diceret? EVT. Hoc agebat, ut neq; temulentum, neq; rursum querulum esset conuiuium. PHIL. Quî sic? EVT. Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius, reperiuntur & abstemij, qualis dicitur fuisse Romulus. Itaq; si nulli datur uinum nisi poscenti, primùm nemo compellitur ad bibendum, & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit ut nemo tristis sit in conuiuio.

Tria uerba dixit, pro paucis. Quod aliter ludẽs torquet ad diesnefastos, in quibus iustitiũ erat, nec licebat prætori dicere tria uerba, do, dico, addico. Sic Ouid. ille nefasti erit, per quem tria uerba silentur.

Symposiarchus, princeps conuiuij. Architriclino, qui curat cibos apponẽdos ac potũ. Olim cõuiuiũ tres sponsas habebat.

uiuio. Rursus, si parcior copia uini distribuitur æquis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius, neq; quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largius erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet, utar. Volumus enim hoc conuiuium fabulosum esse, non uinosum. PH. Quid igitur bibebat Romulus? EVT. Idem quod bibunt canes. PHI. An non istud indignum reget? EVT. Nihilo magis quàm quòd reges spirant aëre cum canibus communi: nisi quòd illud interest, rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis, sed aërem quem efflauit rex, haurit canis: & uicissim quem efflauit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset Alexãder ille Magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim peius regi, qui tot hominum millibus uigilat, quàm uinolentia. Cæterũ Romulũ abstemiũ fuisse declarabat apohpthegma nõ infestiuiter ab illo dictum. Etenim quum quidam uidens illum abstinere à uino dixisset, uinum uile futurũ, si omnes biberent quemadmodum ille: Imò, inquit, tum arbitror fore carissimum si biberent omnes uinum quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet. GE. Vtinam hìc adesset noster Ioannes Botzemus canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quẽdam referret: nam et is abstemius non minus est, quàm dicitur, alioqui comis ac festiuus conuiua. PO. Agè, si simul potestis, non dicam sorbere & flare, quod Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est persacile, bonis auibus auspicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote Batauam esse. Opinor aliquot uestrum auditum Macci nomen. GE. Non ita diu est quod

Quod bibunt canes. Canis natura abhorret à uino.

perijt

perijt. POL. Is quum ueniſſet in ciuitatem quæ dicitur Leidis, ac uellet nouus hoſpes innoteſcere ioco quopiam, nam is erat homini mos, ingreſſus eſt officinam calcearij, ſalutat. Ille cupiens extrudere merces ſuas, rogat nunquid uellet. Macco conijciente oculos in ocreas ibi penſiles, rogat ſutor num uellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibijs illius, inuentas alacriter protulit, & ut ſolent, inducit illi. Vbi iam Maccus eſſet eleganter ocreatus, Quàm bellè, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis ſoleis. Rogatus an & calceos uellet, annuit. Reperti ſunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudens, ſuccinebat illi laudanti, ſperans pretium æquius poſteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla cõtracta familiaritas. Hîc Maccus, Dic mihi, inquit, bona fide, nunquam´ne uſu uenit tibi, ut quem ſic ocreis & calceis ad curſum armaſſes, quemadmodum nunc armaſti me, abierit non numerato pretio? Nunquam, ait ille. Atqui ſi fortè, inquit, ueniat uſu, quid tu tum faceres? Conſequerer, inquit calcearius, fugientẽ. Tum Maccus, Serio´ne iſta dicis, an ioco? Planè ſeriò, inquit alter, loquor, & ſeriò facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu curſu ſequere. Simulq; cum dicto coniecit ſe in pedes. Calcearius ueſtigio conſequutus eſt quantum poterat clamitans, tenete furem, tenete furem. Ad hanc uocem quum ciues undiq; proſiliſſent ex ædibus, hoc cõmento cohibuit illos Maccus, ne quis manum inijceret, ridens, ac uultu placido, Ne quis, inquit, remoretur curſum noſtrũ, certamẽ eſt de cupa ceruiſiæ. Itaq; iam omnes præbere

urgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. PH. *Credidit ista Balbinus?* LAL. *Credidit? Imò etiam ignouit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virgini. Numerata est rursus pecunia danti fidem se posthac rem sacram purè tractaturum.* PHIL. *Quis tandem finis?* LAL. *Perlonga est fabula, sed ego paucis absoluam. Quum eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum uim ab eo extorsisset, tandem uenit illò, qui nebulonem à puero nouerat. Is facilè diuinans, illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clàm aggreditur illum: exponit qualem artificem domi suæ foueret, monet ut quàm primùm ableget hominem, ni mallet ipsum aliquando compilatis scrinijs fugere.* PHIL. *Quid Balbinus? uidelicet curauit hominem conijciendum in carcerem.* LAL. *In carcerem? Imò numerauit uiaticum, obtestans per omnia sacra, ne, quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quàm esse fabula conuiuiorum & feri, deinde uenire in periculum confiscationis. Nam impostori nihil erat periculi: artis tantum tenebat, quantum asinus quiuis, & in hoc genere fauorabilis est impostura. Quòd si furti crimen intentasset, à suspendio tutum reddebat unctio, neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere.* PH. *Misereseeret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi.* LA. *Nunc mihi properandum est in aulam, aliàs referam his etiam multò stultiora.* PH. *Quum uacabit & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.*

HIPP

AVL. Deum immortalem, ὡς σεμνοπροσώπως noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit? Adoriar. Quid accidit noue rei Phædre? PH. Quamobrem isthuc interrogas Aule? AV. Quoniam è Phædro mihi uideris factus Cato, tanta est in uultu seueritas. PH. Non mirum amice, modò confessus sum peccata mea. AV. Phy, iam desino mirari: sed dic agè, bona fide confessus es omnia? PH. Omnia quæ quidem in mentem ueniebant, unico duntaxat excepto. AV. Cur unum hoc reticuisti? PH. Quia nondum potuit mihi displicere. AV. Oportet esse peccatũ suaue. PH. An peccatum sit nescio, sed tamen si uacat audies. AVL. Audiam equidem lubens. PH. Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui uendunt aut locant equos? AV. Plus scio quàm uellem, non semel ab illis delusus. PH. Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixisses eius generis minimè malum, & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro mihi rem esse seriam, opus esse præstrenuo equo, si unquam præbuisset se mihi bonum uirum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre suo charissimo. AV. Fortassis & fratri impositurus. PH. Inducit in stabulum, iubet ut eligam ex omnibus equis quencunque uellem. Tandem unus plus cæteris arridebat, ille probat iudicium meum, deierans eum equum frequenter à multis expetitũ esse, se eum maluisse seruare amico singulari, quàm ignotis addicere. Conuentum est de pretio, numeratur pecu-

Hippoplanus, qui imponit in uēdēdis equis. ὑπερσεμνοπροσωπος, est seueritatem uultu præferre.

nia

nia præsens conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu, dixisses feroculum esse: nam erat obesulus & pulchellus. Vbi iam equitassem sesquihoram, sensi planè lassum, ne calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos è specie iudicares insignes, cæterùm laboris impatientissimos. Ego continuò mecũ, Captus sum. Agè, par pari referam, ubi rediero domum. AV. *Quid hîc consilij capiebas eques absque equo?* PHAE. *Id quod res dabat, deflexi in proximum uicum, illhic clàm apud quendam mihi notum deposui equum, & conduxi alterum, profectus sum quò destinaram, reuersus sum, reddo conductitium equum, reperio meum sophistam ut erat, obesum & pulchrè requietum, eo uectus redeo ad impostorem, rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percontatur quàm commodè me gesserit: ego uerò deiero per omnia sacra, me nunquam in uita conscendisse tergum equi felicioris, uolasse potius quàm ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc quum illi persuasissem esse uera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quàm hactenus suspicatus esset. Itaque prius quàm abirem, rogabat num mihi uenalis esset equus: primò negabam, quòd si incideret iter denuo, non facile foret nanciscì simílem: attamen nihil esse mihi tam charum, quod non esset uenale pretio largo, etiam si quis meipsum, inquam, cuperet emptum.* AVL. *Næ tu pulchrè Cretensem agebas cum Cretensi.* PHAE. *Quid multis? Non dimittit me, nisi pronuntiata equi indicatura. Indicaui non paulò pluris quàm emeram. Digressus ab homi-*

Meum sophistam, id est, fucatum equum.

ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulæ pulchrè instructum atque edoctum: is ingressus domum inclamat locatorem, ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregiè patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quenque maximè prædicat, solum illum quem mihi uendiderat, quoniam existimabat uerè talem qualem prædicaueram, non laudat. At alter ilico rogat, num & ille uenalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primùm obticescere, atque alios ambitiosè prædicare. Quum iste cæteris utcunque probatis semper ageret de uno illo, tandem locator apud se, Planè fefellit me iudicium de illo equo, siquidem hic peregrinus statim agnouit hunc inter omnes. Quum instaret ille, tandem hic, Venalis est, inquit: sed pretio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica. Indicauit aliquantò pluris, quàm indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem conuenit de pretio, datur arra satis magna, nempe regalis aureus: nequa suspicio incideret simulatæ emptionis. Emptor iubet equo dari pabulum, se mox ait rediturum & abducturum, dat etiam stabulario drachmam. Ego simulatq; cognoui pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat quid uelim, Ilico, inquam adornetur equus meus. Nam eucstigio proficiscendum est ob rem maximè seriam. Atqui modò, inquit, mandabas ut aliquot dies alerem equum tuum. Verùm, inquam, sed præter expectationem obiectum est negotium, idq; regium, quod nullam patitur dilationem.

Hic

Hic ille, Eliges ex omnibus quem uoles, tuum habere non potes. Rogo quamobrem. Quoniam uenditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione, Prohibeant, inquam, superi quod dicis. Hoc obiecto itinere non uenderem eum equum, etiam si quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille, Quid opus, inquit, his iurgijs? Indicasti equum, ego uẽdidi: si numero pretium, nihil habes, quod mecum agas: sunt in hac urbe leges, ad exhibendum equum, me non potes compellere. Quum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emptorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimaram uiginti sex. Ille estimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucri facere, quàm equum reddere. Abeo dolenti similis, ac uix placatus etiam data pecunia, ille rogat ut boni consulam, se alijs in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretij. Expectat ut qui arram dedit, ueniat numeratum pecuniam. At nemo uenit, nec unquam uenturus est. A V. *Interim nunquàm tecum expostulauit?* P H. *Qua fronte, aut quo iure id faceret? Conuenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emptoris. Verùm ego ultro expostulaui cum homine dicens, illum eo malo dignum, qui præpropera uẽditione tali equo me spoliarit. Hoc est crimen tam bene collocatum mea sententia, ut non possim inducere animum confiteri.* A V L. *Ego mihi statuam poscerem, si quid tale designassem, tantum abest, ut cõfessurus sim.* P H. *An ex animo loquaris, nescio: mihi tamen addis animum, quò magis lubeat talibus facere fucum.*

Statuam poscerem. Honoris gratia statuæ ponebantur bene meritis de re publica.

IRIDES, MISOPONVS.

IR. Quam ego huc nouam auem uideo aduolare? Agnosco faciem, sed uestis nõ conuenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audendum est, compellabo hominem, quamlibet pannosus. Salue Misopone. MI. Iridem uideo. IR. Salue Misopone. MI. Tace inquam. IR. Quid? an saluere non uis? MI. Non isto quidem nomine. IR. Quid accidit? An nõ es idem qui fueras? An cum uestc mutatur & nomen? MI. Non, sed uetus receptum est. IR. Quis tum eras? MI. Apitius. IR. Ne te pudeat ueteris sodalis, si quid melioris obtigit fortunæ: non diu est quòd eras ordinis nostri. MI. Concede huc sodes, & audies rem omnẽ. Non pudet ordinis uestri, sed pudet primi ordinis. IR. Quem ordinem narras? Franciscanorũ? MI. Nequaquam ò bone, sed decoctorũ. IR. Næ tu istius ordinis sodales habes quàm plurimos. MI. Eram re lauta, prodegi strenuè: ubi res defecit, nullus agnoscebat Apitium. Profugi pudore, uerti me ad uestrũ collegium, hoc malui quàm fodere. IR. Sapuisti. Sed unde subitò nouus nitor corporis? Nam de uestc mutata non perinde miror. MIS. Quam ob rem? IR. Quia Dea Lauerna multos subitò ditat. MI. An suspicaris me furto parasse rem? IR. Hoc fortasis ignauius. Rapina igitur. MI. Non per uestram Peniã, neq; furto, neq; rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi uidetur mirabilius. IR. Nam apud nos eras totus ulcerosus. MI. Nimirùm sum usus amicissimo medico. IR. Quonã? MI. Non alio quàm meipso, nisi si quem arbitraris mihi meipso amiciorem.

Irides, uelut Iri filius, quem mendicum inducit Vlysses. Misoponus, osor laborum.

Lauerna, Dea furum.

Penia, paupertas, Dea apud Aristophanem.

IR.

IR. Atqui nescieba te callere rem medicã antehac. MIS. Totum illum ornatum ipse pigmentis affixeram, ture, sulphure, resina, uisco, linteis, cruore. Vbi uisum est, quod affixeram, detraxi. IR. O impostorem, nihil te uidebatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Iob. MIS. Sic tum ferebat egestas, quanquàm fortuna nonnunquam & cutem mutare solet. IRI. Dic igitur de Fortuna. Repertus est Thesaurus aliquis? MIS. Non, sed repertus est quæstus uestro paulò commodior. IR. Quî potuisti facere quæstum, quum non suppeteret sors? MI. Artem quæuis terra alit. IR. Intelligo. Dicis artem incidendi loculos. MIS. Bona uerba. Dico artem alcumisticam. IR. Vix quindecim dies sunt, quòd nos reliquisti, & artem assequutus es, quam alijuix multis annis perdiscunt? MI. Nactus sum uiam compendiariam. IRID. Quam obsecro? MI. Ars uestra conflauerat mihi quatuor fermè aureos: bona quadam fortuna incidi in ueterem congerronem, qui nihilo felicius rem administrarat quàm ego. Compotabamus, cœpit, ut fit, narrare suas fortunas: paciscor hac lege, ut ille biberet immunis, mihi cõmunicaret artem. Communicauit bona fide, ea nunc uectigal est mihi. IR. Non licet discere? MI. Tibi uel gratis impertiã ob pristinum sodalitium. Scis nusquã nõ inueniri plurimos huius artis auidissimos. IR. Audiui, & credo. MI. In horum familiaritatem quacunq; occasione memet insinuo, iacto artem. Vbi sensero larum hiantem, escam paro. IR. Quo pacto? MI. Vltro cos moneo, ne temere credant eius artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes præstigijs suis, ut exhauriant

Larũ hiantem. Vide prouerb.

Esca ἄλιτρα, qua capiuntur pisces & aues.

loc

loculos incautorum. IRI. Isthuc proœmij parum accommodum tuo negotio. MI. Imò illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. IRI. Miram artis fiduciam mihi narras. MI. Iubeo illos adesse, dum peragitur Metamorphosis, iubeo attentos esse, quoq; minus dubitent, iubeo ut ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, nec digitum admouente: liquefactam materiam iubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant, prædico quantum argenti auri ue sit eliquandum, denique quod eliquatum est, iubeo ut pluribus aurificibus deferant ad lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatißimum aurum aut argentum: nihil enim refert, nisi quòd minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. IRI. Proinde nihil habet ars tua fuci. MI. Imò merus fucus est. IRI. Nondum uideo præstigium. MI. Faxo ut uideas. Primùm paciscor de mercede, eam nolo mihi numerari, nisi prius edito artis experimento. Trado illis puluisculum, quasi huius ui conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulueris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo iusiurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium. IRI. Nondum audio fucum. MI. Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excauo carbonem, in eum infero liquefactum argentum quantum prædico reddendum: post infusum pulucrem sic instruo uas, ut non solùm infernè & à lateribus cingatur prunis, uerum etiam supernè, persuadeo hoc esse artis. Inter carbones qui supernè, imponuntur, unum admisceo,

Lydius lapis conicula qua explorant aurum.

qui tegit argentum aut aurum. Id ui caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs, repurgatione facta inuenitur quod admistum est. IRI. Ars expedita. Sed quomodo fallis, si alter rem agat suis manibus? MI. Quum is me præscribente perficit omnia, prius quàm moueatur uas alcumisticum, accedo tandem & circunspicio, ne quid fortè sit omissum. Aio mihi uideri supernè deesse unum atque alterum carbonem, clàm appono meum, fingo me eum tollere ex aceruo reliquorum, at illhic antè sic positum, ut nulli possit agnosci, & illum fallere. Tollo. IRI. Cæterùm quum illis absq; te periculum facientibus non succedit, quid adfers? MI. Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. Aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insynceram, aut carbones uitiosos, aut ignem parum scitè temperatum. Deniq; pars est artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. IRI. An tantus est prouentus istius artis, ut te possit alere? MI. Et quidem splendidè: posthac tu quoq; si sapis, relinques istam miseriam, & nostro accedes ordini. IRI. Imò citius illud agam, ut te reuocem in nostrum ordinem. MI. Vt uolens repetam quod semel effugi, ac deseram bonum quod inueni? IRI. Habet hoc nostra professio, dulcescit assuetudine. Proinde quum multi sint, qui deficiant ab instituto diui Francisci, aut Benedicti, quem unquam uidisti, qui diutius uersatus in ordine nostro defecerit? Nam tam paucis mensibus uix gustare poteras, quid esset mendicitas. MI. Is gustus me docuit, esse rem omnium miserrimam. IRI. Quur igitur nemo deficit? MI. Fortasse quia natura miseri sunt. IRI. Ego hanc miseriam ne cum

regum

regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno similius, quàm mendicitas. M I. *Quid ego audio? nihil niui similius, quàm carbo.* I R I. *Dic mihi, qua re potißimum beati sunt reges?* M I. *Quia faciunt quod animo collubitum est.* I R I. *Ista libertas, qua nihil suauius, nemini regum magis adest, quàm nobis. Nec dubito, quin multi reges sint, qui nobis inuideant. Siue bellum est, siue pax, nos tutò uiuimus: non describimur ad militiam, non uocamur ad munia publica, non censemur: quum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in uitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in ius uocare mendicum? Etiam si pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet suauiter agere, & quò maiores sunt, hoc plures metuunt. Nos ueluti Deo sacros etiam religione quadam metuit uulgus offendere.* M I. *Sed interim sordescitis in pannis & cæsulis.* I R I. *Quid ista faciunt ad ueram felicitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem.* M I. *At uereor ne uobis breui peritura sit felicitatis istius bona pars.* I R I. *Quî sic?* M I. *Quia iam hoc mussant ciuitates, ne mendicis liberum sit quò libet euagari, sed unaquæque ciuitas suos alat mendicos, & in his qui ualent, adigantur ad laborem.* I R I. *Quur hoc moliuntur?* M I. *Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis prætextu perpetrari. Deinde non minimam perniciem ex uestro ordine nasci.* I R I. *Istiusmodi fabulas frequenter audiui. Id fiet ad Calendas Græcas.* M I. *Fortassè citius, quàm uelles.*

Censemur, unde & census dicitur, quum numeratis singulis ac facultatibus æstimatis indicitur exactio.

CONVIVIVM FABVLOSVM.

POLYMYTVS, GELASINVS, Eutrapelus, Asteus, Philythlus, Philogelos, Euglottus, Lerochares, Adolesches.

Polymythus, fabulosus.
Gelasinus, ridiculus.
Eutrapelus, facetus.
Asteus, urbanus.
Philythlus, amans nugarũ.
Philogelos, amans risum.
Euglottos, bene linguax.
Lerochares, q̃ gaudet nugis.
Adolesches, nugator.

P O. Vt non decet ciuitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec conuiuium oportet ἄνδρχον esse καὶ ἄνομον. G E. Isthuc uerò perplacet, ut unus totius populi nomine respondeam. P O. Heus puer, adfer huc talos, horum suffragijs decernatur regnum, cuicunq; fauerit Iupiter. Euge, Eutrapelo fauit Iupiter. Non fuere sortes cæcæ, non poterat magus idoneus eligi, etiam si per singulas tribus uiritim collecta fuissent puncta. Vulgò iactatur prouerbium, non tam uanum quàm parum Latinum, Nouus rex, nouus lex. Νομοθέτα γὰρ ὁ βασιλεύς. E V. Quod felix faustumq; sit huic conuiuio. Primùm edico, nequis hìc proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in uinum insumitor, atq; in legitimis fabulis etiam ex tempore conficta bentor, modò seruetur ὃ πιθανὸν καὶ τὸ πρέπον. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidissimam, alter frigidissimam fabulam dixerit, uini pretium pendunto, conuiuator à uini sumptu immunis esto, ciborum sumptum unus suppeditato, huius rei si quid inciderit controuersiæ, Gelasinus arbiter ac iudex esto. Hæc si uos sciueritis, rata sunto: qui legi parêre noluerit, abito, sic tamen ut postridie ad compotationem redire ius fasq; sit. G E. Legem à rege latam nostris suffragijs ratam esse uolumus. Sed unde proficiscetur fabularum circulus? E V T.

Vnde,

Legem ... Iupiter. Ab hac solenni precatione solebant olim auspicari, qui rẽ seriam agebant apud populum.

νομοθέτα, &c. Id est, Statue lèges ô rex.

Quod felix. τὸ πιθανὸν, id est, uerisimile: & πρέπον, id est, decorum.

Vnde, nisi à conuiuatore? AST. *Licet'ne rex dicere tria uerba?* EVT. *An tu credis nefastum esse conuiuium?* AS. *Iureconsulti negant legem esse, quæ non sit æqua.* EVT. *Assentior.* AS. *At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ.* EVT. *Vbi uoluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur qui pessimè dixit, quàm qui optimè, eò quòd non minus delectet. Velut inter cantores nemo uoluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut egregiè malè. Non'ne plures rident audito coccyce, quam audita luscinia? Hic mediocritas laudem non habet.* AS. *At quur plectuntur qui laudem auferunt?* EVT. *Ne nimia felicitas prouocet illis Nemesin aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem.* AS. *Per Bromium, Minos ipse nunquàm tulit legem æquiorem.* PH. *Nullam feres legem de modo bibendi?* EVT. *Dispectare, sequar exemplum Agesilai Lacedæmoniorum regis.* PH. *Quid is fecit?* EVT. *Is cùm tempore quodam symposiarchus talorum arbitrio delectus esset, rogante architriclino, quantũ cuique uini iuberet apponi: Si largior, inquit, uini copia parata est, dato cuiq; quantum poposcerit: si malignior, omnibus ex æquo distribuito.* PHIL. *Quid sibi uoluit Lacon ille, quum hæc diceret?* EVT. *Hoc agebat, ut neq; temulentum, neq; rursum querulum esset conuiuium.* PHIL. *Qui sic?* EVT. *Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius, reperiuntur & abstemij, qualis dicitur fuisse Romulus. Itaq; si nulli datur uinum nisi poscenti, primùm nemo compellitur ad bibendum, & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit ut nemo tristis sit in conuiuio.*

Tria uerba dixit, pro paucis. Quod aliter ludẽs torquet ad dies nefastos, in quibus iustitiũ erat, nec licebat prætori dicere tria uerba, do, dico, addico. Sic Ouid. ille nefasi' erit, per quem tria uerba silentur.

Symposiarchus, princeps conuiuij. Architriclino, qui curat cibos apponẽdos ac potũ. Olim cõuiuiũ tres sponsas habebat.

uiuio. Rursus, si parcior copia uini distribuitur æquis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius, neq; quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largius erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet, utar. Volumus enim hoc conuiuium fabulosum esse, non uinosum. PH. Quid igitur bibebat Romulus? EVT. Idem quod bibunt canes. PHI. An non istud indignum rege? EVT. Nihilo magis quàm quòd reges spirant aëre cum canibus communi: nisi quòd illud interest, rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis, sed aërem quem efflauit rex, haurit canis: & uicissim quem efflauit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset Alexãder ille Magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim peius regi, qui tot hominum millibus uigilat, quàm uinolentia. Cæterũ Romulũ abstemiũ fuisse declarabat apohpthegma nõ infestiuiter ab illo dictum. Etenim quum quidam uidens illum abstinere à uino dixisset, uinum uile futurũ, si omnes biberent quemadmodum ille: Imò, inquit, tum arbitror fore carissimum si biberent omnes uinum quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet. GE. Vtinam hîc adesset noster Ioannes Botzemus canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quẽdam referret: nam et is abstemius non minus est, quàm dicitur, alioqui comis ac festiuus conuiua. PO. Agè, si simul potestis, non dicam sorbere & flare, quod Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est persacile, bonis auibus auspicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote Batauam esse. Opinor aliquot uestrum auditum Macci nomen. GE. Non ita diu est quod perijt

Quod bibunt canes. Canis natura abhorret à uino.

perijt. POL. Is quum uenisset in ciuitatem quæ dicitur Leidis, ac uellet nouus hospes innotescere ioco quopiam, nam is erat homini mos, ingressus est officinam calcearij, salutat. Ille cupiens extrudere merces suas, rogat nunquid uellet. Macco conijciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor num uellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibijs illius, inuentas alacriter protulit, & ut solent, inducit illi. Vbi iam Maccus esset eleganter ocreatus, Quàm bellè, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus an & calceos uellet, annuit. Reperti sunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudens, succinebat illi laudanti, sperans pretium æquius posteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla cõtracta familiaritas. Hìc Maccus, Dic mihi, inquit, bona fide, nunquam'ne usu uenit tibi, ut quem sic ocreis & calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? Nunquam, ait ille. Atqui si fortè, inquit, ueniat usu, quid tu tum faceres? Consequerer, inquit calcearius, fugientẽ. Tum Maccus, Serio'ne ista dicis, an ioco? Planè seriò, inquit alter, loquor, & seriò facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simulq; cum dicto coniecit se in pedes. Calcearius uestigio consequutus est quantum poterat clamitans, tenete furem, tenete furem. Ad hanc uocem quum ciues undiq; prosiliissent ex ædibus, hoc cõmento cohibuit illos Maccus, ne quis manum inijceret, ridens, ac uultu placido, Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrũ, certamẽ est de cupa ceruisiæ. Itaq; iam omnes præbere

ſeſe certaminis ſpectatores. Suſpicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occaſione anteuerteret. Tandem calcearius curſu uictus, ſudans & anhelus domum redijt. Maccus tulit brabeum. GE. Maccus iſte effugit quidem calcearium, at non effugit furem. PO. Quam ob rem? GE. Quia furem ferebat ſecum. PO. Fortè tum non erat ad manum pecunia, quam poſtea reſoluit. GE. Verum erat actio furti. PO. Ea quidem pòſt intētata eſt, ſed iam magiſtratibus aliquot innotuerat Maccus. GE. Quid attulit Maccus? PO. Quid attulit rogas, in cauſa tam uincibili? Magis periclitatus eſt actor, quàm reus GE. Quî ſic? PO. Quia grauabat illum actione calumniæ, & intendebat legem Rhemiam, quæ dictat, ut quî crimen intenderit, quod probare non poſſit, pœnam ferat quam laturus erat reus, ſi conuictus fuiſſet. Negabat ſe contrectaſſe rem alienam inuito domino, ſed ultro deferente, nec ullam pretij mentionem interceſſiſſe. Se prouocaſſe calcearium ad certamen curſus, illum accepiſſe conditionem, nec habere quod queratur, quum eſſet curſu ſuperatus. GE. Hæc actio non multum abeſt ab umbra aſini. Quid tandem? PO. Vbi ſatis riſum eſt, quidam è iudicibus uocauit Maccum ad cœnam, & numerauit calcearío pretium. Simile quiddam accidit Dauentriæ me puero. Erat tempus illud, quo regnant piſcatores, frigent lanij. Quidam aſtabat ad feneſtram fructuariæ, ſiue Græcè mauulis, oporapolidis, fœminæ uehementer obeſæ, oculis intentis in ea quæ propoſita uenũ erant. Illa ex more inuitauit, ſi quid uellet: & quum uideret hominem intentum ficis, Vis, ait, ficos? ſunt perquàm elegantes. Quũ ille annuiſſet, rogat

Legẽ Rhemiã. Quæ ad pœnã talionis uocat calumniatorẽ.

Vmbra aſini. Vide Chiliad.

Frigent lanij Circũſtione notauit quadrageſimam.

Fructuaria, quæ uẽdit fructus arborum.

rogat quot libras uellet. Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantum ficorũ effudit in gremiũ. Tum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu, sed placidè. Vbi prodisset acceptura pecuniam, uidit emptorem abire, insequitur maiore uoce quàm cursu. Ille dissimulans pergit, quò cœpit ire: tandem multis ad fœminæ uocem concurrentibus restitit. Ibi in populi corona agitur causa, risus oboritur, emptor negabat se emisse, sed quod ultro delatũ fuisset accepisse, si uellet experiri apud iudices, se compariturum. GE. Agè narrabo fabulam tuæ non admodùm dissimilem, fortasse nec inferiorem, nisi quòd hæc non habet autorem perinde celebrem atque est Maccus. Pythagoras totum mercatum diuidebat in tria hominum genera: quorum alij prodissent ut uenderent, alij ut emerent: hoc utrunq; genus aiebat solicitum esse, proinde nec felix: alios non ob aliud uenire in forum, quàm ut spectent, quid illhic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quòd uacui curis, gratuita uoluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat philosophum uersari in hoc mundo, quemadmodum illi uersarentur in mercatu. Verùm in nostris emporijs quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec uendunt, nec otiosi contemplantur, sed obseruant solicitè si quid possint inuolare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mirè dextri, dicas esse Mercurio fauente natos. Conuiuator dedit fabulam cum coronide, ego dabo cum proœmio. Nunc accipite quod nuper accidit Antuuerpiæ. Sacrificus quidam receperat illhic mediocrem summã pecuniæ, sed argenteæ: id impostor quidã animaduerterat, adijt sacrificum qui gestabat

in zona crumenam nummis turgidam, salutat ciuiliter, narrat sibi datũ negotium à suis, ut uici sui parocho mercaretur nouum pallium sacrum, quæ summa uestis est sacerdoti rem diuinam peragenti. Rogat hac in re commodaret sibi tantillum operæ, ut secum iret ad eos, qui uendunt huiusmodi pallia. quò uidelicet ex modo corporis ipsius sumeret maius aut minus, nam sibi uideri staturam ipsius cum parochi magnitudine uehementer congruere. Hoc officium quum leue uideretur, facilè pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cuiusdam, prolatum est pallium, sacrificus induit, uenditor affirmat mirè congruere. Impostor quum nunc à fronte, nunc à tergo contemplatus esset sacrificum, satis probauit pallium, sed causatus est à fronte breuius quàm par esset. Ibi uenditor, ne non procederet contractus, negat id esse pallij uitium, sed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet breuitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenã, denuo contemplantur. Ibi impostor auerso sacrificio crumenam arripit, ac semet in pedes conijcit. Sacerdos cursu insequitur ut erat palliatus, & sacrificum uenditor. Sacrificus clamat, tenete furem: uenditor clamat, tenete sacrificum: impostor clamat, cohibete sacrificium furẽtem: & creditum est, quum uiderẽt illum sic oneratum in publico currere. Itaq; dum alter alteri in mora est, impostor effugit. E V. *Dignus qui nõ simplici suspendio pereat, tantus artifex.* G E. *Nisi iam pendet.* E V. *Vtinam non solus, sed unà cũ illo, qui talibus portentis fauent in perniciem Reipublicæ.* G E. *Non fauent gratis. Catena est, quæ demissa in terras pertingit ad Iouẽ.* E V. *Ad fabulas redeundum.* A S. *Ad te redit ordo, si fas*

Catena est, Alludit ad catenã argenteam Homeri. Videtur subindicare, q̃ ex talibus impostoribus aliquid lucri redeat ad præfectos, & hinc ad principes.

Ordo id est, uices. Cogere in ordinẽ est facere cæteris æqualem.

si fis est regem in ordinem cogere. E v. *Non cogar, imò uolens ueniam in ordinem, alioqui tyrannus essem, non rex, si leges quas alijs præscribo, recusem.* A s. *Verumtamen aiunt, principem esse supra leges.* E v. *Isthuc non omnino falsò dictum est, si principē accipias summū illum principē, quem tum uocabant Cæsarem: Deinde si sic accipias superiorem legibus, quod alij coacti utcunque seruant, illum suapte sponte multò cumulatius præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps Reipublicæ. Quid opus erat addere bonus, quando malus princeps non est princeps: quemadmodum spiritus impurus qui inuasit corpus hominis, non est animus. Sed ad fabulam, & arbitror conuenire, ut rex regiam fabulam adferam. Lodouicus Galliarum rex, eius nominis undecimus, quum rebus domi turbatis peregrinaretur apud Burgundiones, occasione uenationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam homine rustico, sed animi simplicis ac synceri. Nam hoc genus hominibus delectantur monarchæ. Ad huius ædes frequēter diuerterat rex ex uenatu, &, ut plebeijs rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magna cum uoluptate uescebatur rapis. Mox ubi Lodouicus restitutus, iam rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut regem ueteris hospitij commoneficeret, adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiuersatus est Conon, se lusurū operam, principes enim non meminisse talium officiorum. Sed uicit uxor: deligit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verum ipse per uiā captus illecebra cibi, paulatim deuorauit omnes, una*

Quod principi placuit, p principis genii, ad principis statuam, hæc de Cæsare intelligebantur. Imperatoris nomen militare, regis nomen erat Romanis inuisum, principis nomē erat amabilius.

dūntaxat

dúntaxat excepta insigniter magna. Vbi Cono prorepsisset in aulam, qua rex erat iturus, statim agnitus est à rege & accersitus. Ille magna cum alacritate detulit munus, rex maiore cum alacritate accepit, mandans cuidam è proximis, ut diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet charissima. Cononem iubet secum prandere, à prandio egit Cononi gratias, & cupienti repetere rus suũ, iussit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Huius rei fama quum, ut fit, per omne regis famulitium esset peruagata, quidã ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum prouocatum benignitate quam præstiterat Cononi, captari prædam, uultu maiorẽ in modum alacri accepit munus, & conuocatis primoribus consulturc cœpit, quo munere pensaret equum tam bellum, tamq; pretiosum. Interim qui donarat equum, spes opimas animo concipiebat, sic cogitans: si sic pensauit rapam donatam à rustico, quantò munificentius pensaturus est equum talem oblatũ ab aulico? Quum regi ueluti de re magna consultanti alius aliud responderet, diuq; uana spe lactatus esset captator, tandẽ rex: Venit, inquit, in mentẽ, quod illi donẽ: & accersito ex proceribus quopiam dicit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo (simulq; locum designat) serico diligenter obuolutum. Adfertur rapa, eã, ut erat obuoluta, rex sua manu donat aulico, addens sibi uideri bene pensatum equum cimelio, quod sibi constitisset mille coronatis. Digressus aulicus dum tollit linteum, pro thesauro reperit, non carbones, quod aiunt, sed rapam iam subaridam. Ita captator ille captus, risui fuit omnibus. A s. Iam si permittis rex, ut

Cimelio, κειμήλιον Græcis est pretiosum aliquid, quod seruandi causa seponi. apd Homer. Vulgò dicim' clenodia.

ut plebeius loquar regalia, referam quod ex tua fabula uenit in mentem de eodem Lodouico. Nam ut ansa ansam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, quum uidisset pediculum repentem in ueste regia, flexis genibus ac sublata manu significat se nescio quid officij præstare uelle: Lodouico præbente se, sustulit pediculum, & clàm abiecit. Rogante rege quid esset, puduit fateri. Quum instaret rex, fassus est fuisse pediculum. Lætum, inquit, omen est, declarat enim me esse hominem, quòd hoc genus uermiculorum peculiariter infestet hominem, præsertim in adolescentia. Iussitq; pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquàm multos alter quidam, qui uiderat illi feliciter cessisse tam humile officium, nec animaduertens, plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte, simili gestu aggressus est regem, ac rursus illo se præbente, simulabat se tollere quiddam è ueste regia, quod mox abijceret. Quum urgeret rex tergiuersantem, ut diceret, quid esset, murè simulato pudore, tandem respondit, esse pulicem. Rex intellecto fuco, Quid, inquit, an tu me facies canem? Iussit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis infligi quadraginta plagas. P H. *Non tutum est, ut audio, cum regibus facetijs ludere. Quemadmodum enim leones se nonnunquam placidè præbent fricanti, ijdem, ubi lubitum est, leones sunt, & iacet collusor: itidem fauent principes. Sed adferam tuæ fabulæ fabulam non dissimilem, ne recedamus interim à Lodouico, cui pro delectamento erat, coruos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem millia coronatorum (quoties autem principibus obtigit noua pecunia, uenantur omnes officiarij*

Canem. Nam hoc animal maximè infestatur à pulicibus.

Tolli, sublimẽ in humeros, ut uapularet.

ciarij & captant aliquam prædæ partem: id non fugiebat Lodouicum) Quum igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, quò magis iritaret spem omnium, sic loquutus est circunstantibus. Quid? an non uideor uobis rex opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ uim? Donantitia est, donari uicissim conuenit. Vbi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officijs debeo? Adsint nunc, prius quàm effluat hic thesaurus. Ad hanc uocem accurrere permulti, nemo non sibi sperabat aliquid. Rex quum uidisset aliquem maximè inhiantem, & iam oculis deuorantem pecuniam, ad eum conuersus, Amice, inquit, quid tu narras? Ille commemorabat se diu aluisse falcones regios, summa fide, nec sine grauibus impendijs: alius aliud adferebat, suum quisq; officium uerbis quantum poterat, exaggerebat, idq; non sine mendacijs. Rex omnes benignè audiebat, & singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus, quò diutius spe metuq; torqueret omnes. Adstabat inter hos primus Cancellarius, nam & hunc iusserat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorē fabulæ. Ad hunc tandem conuersus rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia sua. Ego, inquit Cancellarius, plus accepi à benignitate regia, quàm promeruerim: nec ulla de re magis solicitus sum, quàm ut regiæ in me munificentiæ respondeam, tantum abest ut uelim flagitare plura. Tum rex: Vnus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, iam tua præstitit benignitas. Ibi rex uersus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificen

ficentißimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hîc magis accensa spes est omnibus, futurum ut pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum ubi satis diu lusissет rex, coëgit Cancellarium, ut totam eam summam domum auferret. Moxq; uersus ad cæteros iam mœstos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occasio. PHIL. Fortasse frigidius uidebitur, quod narraturus sum, proinde deprecor doli mali suspicionem fuci'ue, ne uidear de industria ambisse immunitatem. Adijt eundem Lodouicum quidam, petens ut munus, quod fortè uacabat in eo pago in quo habitabat, iuberet in ipsum transferri. Rex audita petitione, expeditè respondit, Nihil efficies: uidelicet amputans omnem spem impetrandi quod petebatur. Petitor item mox actis regi gratijs, discessit. Rex ex ipsa fronte colligens hominem esse non omnino sinistri ingenij, suspicansq; illum non intellexisse, quid respondisset, iubet eum reuocari. Redit. Tum rex, Intellexeras, inquit, quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Quur igitur agebas gratias? Quoniã, inquit, est domi quod agam: proinde magno meo incommodo persequuturus eram hîc spem ancipitem: nunc beneficium interpretor, citò negasse beneficium, meq; lucratum quicquid eram perditurus, si uana spe lactatus fuissem. Ex eo responso rex coniectans hominem minimè segnem, ubi pauca perconatus esset, Habebis, inquit, quod petis, quò mihi bis agas gratias: simulq; uersus ad officiarios, Expediantur, inquit, huic sine mora diplomata, ne hîc diu suo damno hæreat.

XV. Non deest quod referam de Lodouico, sed malo de nostro

nostro Maximiliano, qui ut nequaquam solitus est desiderare pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant, modò nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere quum cuidam iuueni uellet opitulari, mandauit illi legationem, ut à ciuitate quadam, titulo nescio quo, peteret centum millia florenorum. Talis autem erat titulus, ut si quid impetratum esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit millia quinquaginta. Cæsari reddidit triginta. Cæsar lætus insperata præda dimisit hominem, præterea nihil inquirens. Interea quæstores & rationales olfecerant plus acceptum fuisse quàm exhibitum, interpellant Cæsarem, ut accerseret hominem. Accitus est: uenit ilico. Tum Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse millia quinquaginta. Fassus est. Nõ exhibuisti nisi triginta millia. Fassus est & hoc. Reddenda est, inquit, ratio. Promisit se facturũ, ac discessit. Rursum quum nihil esset actum, interpellantibus officiarijs reuocatus est. Tum Cæsar: Nuper, inquit, iussus es reddere rationem. Memini, inquit ille, & in hoc sum. Cæsar suspicans illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Quum sic eluderet, officiarij uehementer instabant, clamitantes non esse ferendum, ut ille tam palàm illuderet Cæsari. Persuaserunt, ut accersitus iuberetur inibi præsentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Cæsar. Accitus uenit ilico, nihil tergiuersatus. Tum Cæsar: Non'ne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Iam, inquit, opus est, en adsunt qui excipient, nec est diutius tergiuersandi locus. Assidebant officiarij paratis ad id codicillis. Ibi iuuenis sat dextrè: Non detrecto, inquit,

rationem

rationem inuictissime Cæsar, uerùm huiusmodi rationum non sum admodum peritus, ut qui nunquàm reddiderim: isti qui assident, talium rationũ sunt peritissimi: si uel semel uidero quemadmodum illi tractent huiusmodi rationes, ego facilè imitabor. Rogo iubeas illos uel exemplum edere, uidebunt me docilem. Cæsar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi, in quos dicebatur, ac subridens, Verum, inquit, narras, & æquum postulas. Ita iuuenem dimisit. Subindicabat enim sic illos Cæsari solere reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat, nimirum ut bona pecuniæ portio penes ipsos remaneret. LE. Nunc tempus est, ut ab equis, quod aiunt, ad asinos descendat fabula, à regibus ad Antoniũ sacrificum Louaniẽsem, qui Philippo cognomẽto Bono fuit in delicijs: huius uiri feruntur multa uel iucũdè dicta, uel iocosè facta, sed pleraq; sordidiora. Nam plerosq; lusus suos condire solitus est unguento quodam, quod non admodum eleganter sonat, sed peius olet: deligam unum ex mundioribus. Inuitarat unum atque alterum bellum homunculum fortè obuios in uia. Quum redisset domum, reperit culinã frigidam, nec erat nummus in loculis, quod illi nequaquam erat insolens. Hîc opus erat celeri consilio. Subduxit se tacitus, & ingressus culinam fœneratoris, qui cum illi erat familiaritas, quòd frequenter ageret cum illo: digressa famula, subduxit unam ex ollis æncis unà cum carnibus iam coctis, ac ueste tectam deferebat domum: dat coquæ, iubet protinus effundi carnes & ius in aliam ollam fictilem, simulq; fœneratoris ollam defricari donec niteret. Eo facto mittit puerum ad fœneratorem, qui depositio pigno-

re drachmas duas à fœneratore sumat mutuò, sed accipiat chirographum, quod testaretur talem ollam missam ad ipsum. Fœnerator non agnoscens ollam, utpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographum, & numerat pecuniam, ea pecunia puer emit uinum. Ita prospectum est conuiuio. Tandem quum appararetur prandium fœneratori, desiderata est olla: Hìc iurgium aduersus coquam. Ea quum grauaretur, constanter affirmauit, neminem eo die fuisse in culina præter Antonium. Improbum uidebatur hoc suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum, exploratum an apud illum esset olla: nec musca quidem olla reperta. Quid multis? Seriò flagitata est ab illo olla, quòd solus esset ingressus culinam, quo tempore desiderata est. Ille fassus est sumpsisse commodato ollam quandam, sed quam remisisset illi unde sumpserat. Id quum illi pernegarent, & incaluisset contentio, Antonius adhibitis aliquot testibus, Videte, inquit, quàm periculosum est cum horum temporum hominibus agere sine chirographo, intenderetur mihi propémodum actio furti, ni manum haberem fœneratoris. Et protulit syngraphum. Intellectus est dolus: fabula magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppigneratam ipsi cuius erat. Huiusmodi dolis libentius fauent homines, si commissi sint in personas odiosas, præsertim eos, qui solent alijs imponere. A D. Næ tu nobis mare fabularum aperuisti, nominato Antonio: sed unam duntaxat, eamq; breuem referam, quam audiui nuperrime. Agitabant simul conuiuium aliquot belli, ut dicunt, homunculi, quibus nihil prius in uita, quàm ridere. Inter hos erat Antonius,

atq;

atq; alter item & ipse celebris hoc genere laudis, ac uelut æmulus Antonij. Porrò quemadmodum inter philosophos, si quando conueniunt, proponi solent quæstiunculæ de rebus naturæ, ita hic statim nata est quæstio, quænam esset hominis pars honestissima. Alius diuinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud: & suæ quisque diuinationis rationem adferebat. Antonius iussus dicere sententiam, dixit os sibi uideri partem omnium honestissimam, & addidit causam nescio quam. Tum alter ille, ne quid ipse conueniret cum Antonio, respondet eam partem qua sedemus, sibi uideri honestissimam. Quum id uideretur omnibus absurdū, attulit hanc causam, quòd is diceretur uulgò honoratissimus, qui primus consideret: hoc honoris competere parti quam dixisset. Applausum est huic sententiæ, & risum est affatim. Placuit homo sibi de hoc dicto, uisusq; est in eo certamine uictus Antonius. Dissimulauit Antonius, qui nõ ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem, nisi quòd sciret illum uelut æmulum suæ gloriæ diuersam partem nominaturum. Post dies aliquot quum rursus uterque uocatus esset ad idem conuiuium, ingressus Antonius offendit æmulum cum alijs aliquot confabulantem, dum adornatur cœna: & auersus emisit clarum uentris crepitum ante faciem alterius. Ille indignatus, Abi, inquit, scurra, ubi nam didicisti mores istos? Tum Antonius, etiam indignaris, inquit? Si te salutassem ore, resalutasses: nunc te saluto parte corporis, uel te iudice, omnium honestissima, & scurra uocor. Sic recuperauit prius amissam gloriam Antonius. Diximus omnes, nunc superest ut pronuntiet iudex. GE. Id

faciam, sed non prius, quàm suum quisq; cyathũ ebiberit. En auspicor, sed lupus in fabula. PO. Haud læuum omen adfert Leuinus Panagatus. LE. Quid actum est inter tam lepidos congerrones? PO. Quid aliud? Certatũ est fabulis, donec lupus interuenires. LE. Huc igitur adsum, ut perficiam fabulam, uolo uos omnes cras apud me prãdere prandium Theologicũ. GE. Scythicum promittis conuiuium. LE. Αὐτὸ δὴ ξῦθε. Nisi fatebimini hoc fuisse uobis fabuloso conuiuio iucũdius, nõ recuso dare pœnas in cœna. Nihil iucundius, quàm quum seriò tractantur nugæ.

Scythicum, id est, triste. αὐτὸ δὴ ξῦθε. id est ipsa res indicabit. Vide prouerbium.

PVERPERA.

EVTRAPELVS, FABVLLA.

Eutrapelus, id est facetus.

EV. Salua sit optima Fabulla. FA. Salue multum Eutrapele. Sed quid tandem nouæ rei accidit, quòd nunc salutator insolens aduenerit, quem hoc triennio toto nemo nostrum uidit? EV. Dicam: fortè præteriens has ædes, uidi cornicem obuinctam candido linteo, demirabar quid esset causæ. FA. Adeo'ne hospes es in hac regione, ut ignores hoc esse symbolum puerperij in ædibus? EV. Eho, an non prodigium est uidere cornicem albam? Sed extra iocum, sciebam maximè, uerum suspicari non potui, te puellam uixdum ingressam decimum sextum annum, tam maturè didicisse difficilimam artem gignendi liberos, quam ægrè discunt quædam ante annos triginta. FA. Vt tu semper es quod diceris, Eutrapele. EV. Vt nunquam desit Fabullæ fabula. Demiranti igitur commodùm occurrit Polygamus. FA. Is qui nuper extulit uxorem decimam? EV. Is ipse, sed quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiosè

Cornicem, circulum ferreum, aut aliquid huius loco additũ ostio, quo pulsetur. Græci κορώνην uocant, uel ob figuram, uel ob garruli tatẽ.

bitiosè procum agit, quasi hactenus uixerit cœlebs. Hîc percontanti quid accidisset nouæ rei, Muliebre corpus, inquit, in his ædibus per medium sectum est in duo. Ob quod, inquam facinus? Si uerum est, inquit, quod rumore populari iactatur, hîc materfamiliâs sustinuit deglubere maritum suum, simulq; cum risu subduxit sese. FA. *Homo craßè facetus.* EV. *Ego me protinus intrò conijcio, tibi felicem partum gratulaturus.* FAB. *Salutem mihi gratulare si uoles Eutrapele, felicem partum tum gratulaberis, quum quod enixa sum uideris de se præbere specimẽ boni uiri.* EV. *Piè tu quidem & ucre mea Fabulla.* FA. *Nullius Fabulla sum nisi Petronij.* EV. *Vnì quidem Petronio paris, at nõ uni uiuis, opinor. Cæterùm hoc quoq; gratulor, quòd puerum enixa es.* FAB. *Sed quas ob causas felicius iudicas peperisse masculum quàm fœminam?* EV. *Quin tu potius Fabulla Petronij (iam enim uereor mea dicere) illud mihi expedis, quas ob causas uos magis gaudetis peperisse masculos quàm fœminas?* FAB. *Quid aliæ sentiant nescio, ego nunc me gaudeo peperisse masculum, quia sic uisum est Deo: si maluisset ille puellã, maluissem & ipsa.* EVT. *An putas Deo tantum esse otij, ut etiam parturientibus obstetricetur?* FA. *Quid agat ille potius Eutrapele, quàm ut propagatione seruet quod cõdidit?* EV. *Quid agat ô bona? Imò ni Deus esset, non arbitror sufficturum tot negotijs. Exulat Christiernus Danorum rex, pius Euangelij fautor: Franciscus Galliarum rex hospes est Hispaniarum, nescio quàm ex ipsius animi sententia, uir certe dignus meliore fortuna: Carolus molitur monarchiæ proferre pomœria: Ferdinandus re-*

Bolimia summa fames.

rum suarum satagit in Germania: Bulimia pecuniarum urget aulas omnes: periculosos motus concitant agricolæ, nec tot stragibus ab instituto deterrētur: populus meditatur anarchiā, periculosis factionibus collabitur eccle

Anarchiā, quū nullo principe tumultuatur populus,

siæ domus: hinc atq; hinc distrahitur illa IESV tunica inconsutilis. Vinea Domini non ab uno iam apro uastatur, simulq; periclitatur sacerdotum cum decimis autoritas, Theologorum dignitas, monachorū maiestas: nutat confessio, uacillant uota, labascunt leges Pontificiæ, uocatur in discrimen eucharistia, expectatur Antichristus, totus orbis parturit nescio quid magni mali. Interim superant & imminent Turcæ, nihil non populaturi, si successerit quod agunt, & tu rogas quid agat potius? Imò tempus arbitror, ut suo quoque regno prospiciat in tempore. FAB. Quod hominibus uidetur maximum, id fortasse uidetur Deo nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei personam, si uis, secludamus. Dic quæ te causæ moueant, ut felicius existimes peperisse catulum, quàm catellam. EV. Piæ mentis est, hoc iudicare optimum, quod dedit Deus citra controuersiam optimus. Verùm si Deus tibi daret poculum crystallinum, non'ne maximas ageres gratias? FAB. Agerem. EVT. Quid si idem daret uitreum, num pares ageres? Sed uereor ne tibi molestiam adferam pro solatio, hæc apud te philosophans. FA. Imò Fabullæ nihil est iam à fabulis periculi. Iam quartam hebdomadam decumbo, satisq; ualeo uel ad luctam. E V. Quin igitur è nido prouolas? FA. Vetuit rex. E V. Qui rex? FA. Imò

Mos, tyrannus.

tyrannus. E V. Qui quæso? FA. Syllaba dicam, mos. E V. Heu quàm iste rex multa præter æquum exigit. Pergamus

mus igitur philosophari de crystallo, & uitro. FA. Marem uti conijcio, natura præstantiorem, ac firmiorem iudicas, quàm fœminam. EV. Sic arbitror. FA. Nimirum uiris autoribus. Num igitur uiri uiuaciores sunt, quàm fœminæ? Num à morbis immunes? EV. Nequaquam, sed in genere uiribus antecellunt. FA. Sed ipsi rursus superātur à camelis. EV. Imò prior creatus est masculus. FA. Prior conditus est Adam, quàm Christus. Et solent artifices in posterioribus seipsos uincere. EV. At Deus mulierem uiro subiecit. FA. Non statim melior est, qui imperat, & nuptam subijcit, non fœminam: ac rursus nuptam ita subijcit, ut quum utriq; sit potestas alterius, mulierem tamen uelit uiro morem gerere, non ut præstantiori, sed ut ferociori. Dic Eutrapele, uter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? EV. Tibi quidem hîc cedam, si mihi declararis, quid senserit Paulus scribens Corinthijs, quum Christus cauiri caput dicit esse Christum, mulieris caput uirum: rursus uiri, uirum quum uirum dicit imaginem, & gloriam Dei, mulierē mulieris gloriā uiri. PA. Istud expediā, si mihi declararis, an solis uiris datum sit esse membra Christi. EV. Absit, id quidem datum est omnibus hominibus per fidem. FA. Quî fit igitur, ut caput unum quum sit, non habeatur omnibus membris commune? Deinde, quum Deus hominem fingeret ad imaginem sui, utrum hanc imaginem expressérit in corporis figura, an in animi dotibus? EV. In animi dotibus. FA. At in his quid tandem habent uiri nobis præcellentius? In utro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ, pugnæ, cædes, bella, rapinæ & adulteria? EV. At soli uiri bellum gerimus pro patria. FA. Sed ijdē sæpius deserto loco tur-

piter fugitis, nec semper pro patria, sed frequentius pro sordido salariolo deseritis uxorem, & liberos, & peiores gladiatoribus ultro corpora uestra traditis in seruilē necessitatem uel moriendi, uel occidendi. I am ut maximè iactes mihi uirtutem bellicam, nemo uestrū si semel esset expertus, quid sit parĕre, non mallet decies in acie stare, quàm subire semel, quod nobis toties est experiendum. In bello non semper uenitur ad manus: & si uenitur, non in quauis exercitus parte discrimen est. Tui similes dispo-
Tui similes, id est, ignauiores, ut numerum augeant. Nā alæ, & cornua sustinēt belli molē. nuntur in acie media, alius est in subsidijs, alius tutò sedet post principia, denique plurimos seruat deditio & fuga: nobis cominus cum morte conflictandum est. E V. Ista non nunc primùm audio, uerùm sunt'ne hæc uera, quæ dicun-
Post principia. Alludit ad illud Terentianū in Eunucho. tur? F A. Nimium uera. E V. Vis'ne igitur Fabulla, ut marito tuo persuadeam, ne posthac te cōtingat? Nam eo pacto tuta fueris ab isto discrimine. F A. Equidem nihil malim, si possis. E V. Quid præmij feret orator hic, si persuaserit? F A. Dabo decem linguas bubulas fumo duratas. E V. Istas malim, quàm decem linguas luscinianum. Non reijcio conditionem, uerum contractum hunc ratum esse nolim prius, quàm interceserit stipulatio. F A. Addatur, si libet, & si qua est alia cautio. E V. Id fiet ex animi tui sententia post mensem exactum. F A. Quin potius nunc fit ex animi mei sententia? E V. Dicam, quia uereor, ne post mensem non sit eadem animi tui sententia. Itaque & tibi soluendum esset duplex præmiū, & mihi duplex esset sumenda opera, persuadendi, ac dissuadendi. F A. Agè fiat ut uoles, sed interim perge demonstrare, quare uiri sexus sit præstantior fœmineo. E V. Video te meditatum

monom

monomachiam, quam ob rem in præsentia quidem consultius arbitror tibi concedere. Congrediar aliâs, sed armatus, nec absque subsidiario milite. Nam ubi lingua res geritur, ne septem quidem uiri pares sunt uni fœminæ. FA. Nimirum hoc telo armauit nos natura, quanquàm ne uos quidem elingues estis. EV. Fortassis, sed ubi puellus? FA. In conclaui proximo. EV. Quid illhic? coquit olus? FA. Nugator, apud nutricem est. EV. Quam mihi nutricem narras? an est alia nutrix, quàm ea, quæ mater est? FA. Quid ni? uulgò fit. EV. Pessimum mihi nominas autorem rei bene gerendæ uulgũ Fabulla. Vulgò peccant, uulgò luditur alea, uulgò commeatur ad fornices, uulgò fraudatur, potatur, insanitur. FA. Sic amicis uisum est: censuerunt enim parcendum huic ætati tam teneræ. EV. Atqui si natura dedit uires ad concipiendum, haud dubiè dedit & ad lactandum. FA. Probabile quidem est. EV. Dic mihi, non'ne sentis esse dulcissimũ matris uocabulum? FA. Sentio. EV. Itaq; si fieri posset, patereris aliam mulierem esse matrem tui partus? FA. Minimè gentium. EV. Quur igitur uolès plus quàm dimidiatum matris nomen transfers in fœminam alienam? FA. Bona uerba Eutrapele, non diuido filium, sola, totáq; sum mater. EV. Imò hic tibi Fabulla reclamat in os ipsa natura. Quur terra dicitur omnium parès? an quòd gignat tantum? imò multò magis quòd nutriat ea, quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantæ genus nascitur, quod eadem terra succo suo non alat: Nec est ullum animantis genus, quod non alat suos fœtus. Vlulæ, leones, & uiperæ educant partus suos, &

Nutrix.

Mater.

Terra omnium parens.

Vide de hoc Aulũ Gellium Noct. Att. lib. 12. cap. 1.

homines suos fœtus abijciunt? Obsecro te quid crudelius ijs, qui prolem educationis tædio dicuntur exponere? FA. *Abominanda dicis.* EV. *Atqui non perinde factum abominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea uoce implorantem, quæ mouere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri, nec moribus integris, denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quàm totus infans tuus?* FA. *Delecta est mulier salubri corporis temperatura.* EV. *Hoc medici certius iudicent, quàm tu. Sed finge hîc illam tibi uel parem, uel aliquantò, si uis, superiorem: an nihil interesse censes, utrum infans tenellus cognatum illum & familiarem hauriat succum, & calore iam assueto foueatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud sŏlum iactum, degenerat in auenam, aut siliginẽ: uitis in alium collem translata, mutat ingenium: plantula reuulsa à parente terra, flaccescit, ac uelut emoritur, eoq; quantum fieri potest, cum terra natiua transferunt.* FA. *Imò narrant plantas translatas, & insitas exuere sylueſtre ingenium, & fructus edere generosiores.* EV. *At non protinus ut natæ sunt ò bona. Veniet & olim hoc tempus, si Deus uoluerit, ut adolescentem tuum ableges ab ædibus, literis iam ac seueriorius disciplinis imbuendum, quæ functio patris est potius, quàm matris. Nunc ætas tenera fouenda est. Porrò quum ad salubritatem, firmitatemq; corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum uerò præcipuè quo succo tenerum illud, ac molle corpusculum imbuatur. Nam hîc quoq; locum habet illud Flacci dictum, Quo semel est imbuta*

buta recens seruabit odorem Testa diu. F A B. De corpore non ita multùm laboro, modò sit animus qualem optamus. E V. Piè tu quidē, sed parū philosophicé. F A. Quam ob rem? E V. Quur tu igitur quoties incidis holus, quereris aciem culiri retusam esse, & iubes exacui? Quur acum reijcis obtusa cuspide, quum ea res non adimat aceni? F A. Non decst ars, sed obstat instrumentum parum idoneum. E V. Quur quibus est opus oculorū acie, uitant olium & cæpas? F A. Quia uitiant oculos. E V. Non ne animus est qui cernit? F A. Est, nam nihil uident exanimes. Sed quid agat faber uitiata securi? E V. Agnoscis igitur corpus esse mentis organum? F A. Apparet. E V. Et fateris, uitiato corpore non agere animum, aut incommodius agere? F A. Non dissimile ueri dicis. E V. Agè uideor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei, num ideret uocem quam nunc edimus? F A B. Nequaquam. E V T. Quid obstaret? Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec epiglottis, nec tres adsunt cartilagines à tribus motæ musculis, ad quos pertinent nerui à cerebro demissi, nec fauces, nec os simile. E V T. Quid si in corpus suis? F A. Grunniret suillo more. E V T. Quid si in corpus cameli? F A. Caneret ut canit camelus. E V. Quid si in corpus asini, quod euenit Apuleio? F A B. Ruderet, opinor, ut asinus. E V T. Nimirùm fatetur hoc ille, quum cuperet inclamare Cæsarem, contractis quantum potuit labris, uix o sonuit. Cæsarem nullo pacto potuit exprimere. Idem quum fabulam auditam, ne excideret, describere cuperet, damnauit cogitationem tam asininam, quum

Epiglottis est caruncula uolubilis, nunc gulā claudēs, nūc arteriam asperā. Tres cartilagines. Vide Galenum de locis affectis.

Vixo. Hoc Apuleius, Lucianū secutus.

ungulas

ungulas intueretur solidas. FA B. *Et meritò.* EV. *Ergo lippientibus oculis, minus uidet animus: oppletis sordibus auribus, minus audit: ubi cerebrũ occupat pituita, minus olfacit: ubi stupet membrum, minus sentit: ubi malis humoribus uitiata est lingua, minus gustat.* FA. *Negari non potest.* EV. *Non ob aliud, nisi quia uitiatum est organũ.* FA. *Arbitror.* EV. *Nec inficiaris, plerunque uitiari cibo potuq;.* FA. *Fateor, sed quid istud ad bonam mentem?* EV. *Proinde quid lolium ad perspicaces oculos?* FA. *Quia uitiat organum animi.* EV. *Probè respondes. Verùm illud expedi, unde fit quòd alius alio celerius intelligit, ac tenacius meminit? alius alio citius irascitur, aut moderatius odit?* FA. *Sic conditus est animus.* EV. *Non sic elabêris. Vnde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, postea fiat obliuiosus ac tardus, siue plaga, siue casu, siue morbo, siue senio?* FA. *Tu nunc mihi uidere sophistam agere.* EV. *Proin tu contrà fac agas sophistriam.* FA. *Opinor hoc te uelle dicere, quòd animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur & placatur.* EV. *Rectè coniectas.* FA. *Quæ tandem sunt ista organa, & ubi sunt?* EV. *Oculos ubi sunt, uides.* FA. *Et aures, & nares, & palatum ubi sit, scio. Et toto corpore contactum esse uideo, nisi quum stupor occupat membrum.* EVT. *Amputato pede tamen intelligit animus.* FA. *Intelligit itidem & manu.* EV. *At qui uehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis, omniq; sensu suo uacat.* FA. *Isthuc aliquoties uidi.* EV. *Ex hoc colligis intra cranium esse*

intelle

intellectus, uoluntatis ac memoriæ organa, minus quidem crassa, quàm sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem & spiritus, quos habemus in corpore subtilissimos, corporales sunt. F A B. An ista quoque uitiantur cibo potuq́; ? E V. Maximè. F A. Cerebrum procul abest à stomacho. E V. Ita summa fumarij pars abest à foco, tamen illi si insideas, sentias uaporem. F A. Non experiar. E V. At si mihi non credas, sciscitare è ciconijs. Itaque refert qui spiritus, qui uapores à stomacho subuolent in cerebrum & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum. F A. Nè tu mihi metam distillatoriam describis, qua ex floribus herbisq; succum exhalantem excipimus. E V. Haud ita malè coniectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco est, stomachus patella, cranium summæ metæ colophon, atque adeò sinuis, nasus fistulæ plumbeæ uice fungatur: Itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum nascitur ferè quicquid est morborum, ut uariè dilabitur uarius humor nunc in oculos, nunc in stomachum, aliàs in scapulas, interim in ceruicem alio'ue. Quoq́; magis intelligas: Quur qui uino immodico sese ingurgitant, sunt male memores ? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Quur coriandrum memoriam emendat ? Elleborus mentem purgat? Quur expletio uehemens epilepsim adducit, quæ stuporem adfert simul omnibus sensibus, quèadmodum & somnus profundus? Deniq; ut immodica sitis aut inedia, ingenij memoriæq; uim elidit in pueris: ita cibus immodicus in pueris gignit ingenij stuporẽ, si credimus Aristoteli, nimirùm igniculo mentis uelut obruto

ingesta

ingesta materia. FA. Est'ne igitur corporeus animus, ut à rebus corporalibus afficiatur? EV. Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipsa, sed organis uitiatis impeditur illius uis & actio, uelut artifex frustra ualet arte, si destituatur idoneis instrumentis. FA. Quanta quaue specie est animus? EV. Ridiculè percontaris de magnitudine aut figura, quum fatearis incorporeum. FA B. Ego corpus intelligo, quod sentitur. EVT. Imò quæ non sentiuntur perfectißima sunt, ueluti Deus & angeli. FA. Audio Deum & angelos spiritus appellari, at spiritum sentimus. EV. Hac uoce literæ sacræ ob rudes homines balbutiunt, mentem significantes puram ab omni commercio rerum sensibilium. FA. Quid igitur interest inter angelum & animum? EVT. Hoc ipsum quod inter limacem & cochleam, aut si mauis testudinem. FA. Corpus igitur domicilium est animi magis, quàm instrumentum. EVT. Nihil uetat instrumentum adiunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re uariant philosophorum sententiæ. Sunt qui dicant corpus uestem esse animæ, sunt qui domicilium, sunt qui instrumentum, sunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur actiones animi, corporis affectionibus impediri. Primùm si quod uestis est corpori, idem corpus est animo: quantum ad corporis ualetudinem faciat uestis, declarauit Hercules: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumq; generibus referam. Cæterùm an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit uestes, uiderit Pythagoras. FA. Non incommodum foret, si iuxta Pythagoræ liceret, ut uestibus, ita corporibus mutatoriis uti

Corpus philosophis qd.

uti: sic ut mensibus hybernis sumeretur corpus obesum, crassæq; texturæ, æstiuis rarius & gracilius. EV. Atqui parum, opinor, esset commodum, si quemadmodum multis uestibus detritis, tandem & corpus deterimus: ita multis corporibus detritis, tandem & anima senescceret, deficeretq;. FAB. Non sanè. EV. Iam quemadmodum ad corporis salubritatem, agilitatemq; refert qua uestc sit amictum, ita refert quod corpus circunferat anima. FAB. Profectò si corpus uestis est animæ, uidco multos homines admodum uariè cultos. EV. Sic est. Et tamen nonnulla pars huius rei sita est in nobis, quàm commodè uestiatur anima. FA. Valeat igitur uestis, dic aliquid de domicilio. EV. Atqui, ne quod dico, tibi uideatur commentum Fabulla, ipse dominus IESVS suum corpus templum appellat. Et Petrus apostolus suum corpus tabernaculum appellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ sepulchrum, σῶμα dictum arbitrantes quasi σῆμα: alij carcerem mentis appellarunt, nonnulli præsidium, uelut arcem munitam. Quorum animus est undiquaque purus, in templo habitat. Qui non tenētur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exiliturus, si uocet imperator. Qui prorsus excæcati sunt uitijs spurcissimis, ut nunquàm aspirent ad aurā libertatis Euāgelicæ, horum animus iacet in sepulchro. Cæterum, qui molestè luctantur cum uitijs, nec adhuc possunt quod uolunt, horum animus habitat in carcere, subinde clamans ad liberatorem omnium, Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo domine. Qui grauiter pugnāt cum satana, uigilantes, & excubātes aduersus insidias illius

Corpus Christo, & Christianis quid.

Psal. 141.

lius, qui circumit, ut leo quærens, quem deuoret, horum animus uersatur in præsidio, unde iniussu imperatoris non licet discedere. FA. Si corpus est animi domicilium, plurimos uideo, quorum animus malè habitet. EV. Sic est, uidelicet in ædibus perstillantibus, opacis, uentis omnibus obnoxijs, fumosis, pituitosis, laceris, ac ruinosis, deniq; putribus, & infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem iudicat, bene habitare. FA. Tolerabilis res, si liceret in aliud immigrare domicilium. EV. Emigrare non licet, nisi cum euocat locator. Veruntamen si non licet emigrare, licet arte curaq; nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur solum, incrustantur, aut conuestiuntur tabulatu parietes, situs igni, suffituq; purgatur. Id in senili corpore iamq; ruinam minitante difficilimum est. Plurimùm autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu, sicut oportet, curetur. FA. Tu quidem matrem, ac nutricẽ medicam esse iubes. EVT. Planè iubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi, potusq;, motus, somni, balneorum, unctionum, frictionum, uestitus. Quam multos esse censes, qui grauissimis morbis, ac uitijs obnoxij sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quòd à nutricibus indiligenter curati sunt? FA. Demiror te non pro pictore factum fuisse Franciscanum, qui tam bellè concionaris. EVT. Vbi te Claranam uidero, tum ego tibi Franciscanus concionabor. FAB. Ego sanè libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus, dicimusq;, quum nemo uiderit

Locator. Significat esse conductitium.

uiderit. EV. *Imò nemo non uidet, cui sunt oculi.* FA. *Video pictas animas infantuli specie. Verùm quur non adduntur alæ, quemadmodum angelis?* EV. *Quoniam delabentibus è cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides.* FA. *Quomodo igitur subuolare dicuntur in cœlum?* EVT. *Quoniam fides, & charitas faciunt, ut illis renascantur alæ. Has alas petebat ille pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Nec enim alias alas habet anima, quum sit incorporea, nec ullam habet speciem, quæ corporis oculis sit conspicua, sed certius cernuntur ea, quæ uidemus animo. Credis ne Deum esse?* FA. *Maximè.* EV. *At nihil minus uideri potest, quàm Deus.* FA. *Videtur in rebus conditis.* EV. *Itidem uidetur animus ex actione. Si quæris quid agat in corpore uiuo, contemplare corpus exanime. Quum uides hominem sentire, cernere, audire, moueri, intelligere, meminisse, ratiocinari: certius uides animam adesse, quàm nunc uides hunc cantharum: potest enim falli sensus unus, tot argumenta sensuum non fallunt.* FA. *Proinde si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi uelis describere Cæsarem, quem nondum uidi.* EV. *Aristotelis definitio in promptu est.* FA. *Quæ? Nam aiunt istum esse probum rerum omnium depictorem.* EVT. *Anima est actus corporis organici, physici, uitam habentis in potentia.* FAB. *Quur actum uocat potius, quàm iter aut uiam?* EV. *Non hîc cauetur aurigis aut equitibus, sed animæ ratio definitur. Et actum uocat formam, cuius naturæ est agere, quum ma-*

Psal. 54.

Anima quid Aristot.

Quur actum. Græcis est ἐντελέχεια, uocabulum philosophis peculiare. Sed fabulla de torquet ad iureconsultos, qui distinguunt inter iter, actum, & uiam.

homines suos fœtus abijciunt? Obsecro te quid crudelius ijs, qui prolem educationis tædio dicuntur exponere? F A. Abominanda dicis. E V. Atqui non perinde factum abominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea uoce implorantem, quæ mouere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri, nec moribus integris, denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quàm totus infans tuus? F A. Delecta est mulier salubri corporis temperatura. E V. Hoc medici certius iudicent, quàm tu. Sed finge hîc illam tibi uel parem, uel aliquantò, si uis, superiorem: an nihil interesse censes, utrum infans tenellus cognatum illum & familiarem hauriat succum, & calore iam assueto foueatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud sŏlum iactum, degenerat in auenam, aut siliginĕ: uitis in alium collem translata, mutat ingenium: plantula reuulsa à parente terra, flaccescit, ac uelut emoritur, eoq; quantum fieri potest, cum terra natiua transferunt. F A. Imò narrant plantas translatas, & insitas exuere syluestre ingenium, & fructus edere generosiores. E V. At non protinus ut natæ sunt ò bona. Veniet & olim hoc tempus, si Deus uoluerit, ut adolescentem tuum ableges ab ædibus, literis iam ac seueriorius disciplinis imbuendum, quæ functio patris est potius, quàm matris. Nunc ætas tenera fouenda est. Porrò quum ad salubritatem, firmitatemq; corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum uerò præcipuè quo succo tenerum illud, ac molle corpusculum imbuatur. Nam hic quoq; locum habet illud Flacci dictum, Quo semel est imbuta

buta recens seruabit odorem Testa diu. F A B. De corpore non ita multùm laboro, modò sit animus qualem optamus. E V. Piè tu quidè, sed parũ philosophicé. F A. Quam obrem? E V. Quur tu igitur quoties incidis holus, quereris aciem cultri retusam esse, & iubes exacui? Quur acumen reijcis obtusa cuspide, quum ea res non adimat artem? F A. Non deest ars, sed obstat instrumentum parum idoneum. E V. Quur quibus est opus oculorũ acie, uitant lolium & cæpas? F A. Quia uitiant oculos. E V. Non'ne animus est qui cernit? F A. Est, nam nihil uident exanimes. Sed quid agat faber uitiata securi? E V. Agnoscis igitur corpus esse mentis organum? F A. Apparet. E V. Et fateris, uitiato corpore non agere animum, aut incommodius agere? F A. Non dissimile ueri dicis. E V. Agè uideor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei, num ederet uocem quam nunc edimus? F A B. Nequaquam. E V T. Quid obstaret? Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec epiglottis, nec tres adsunt cartilagines à tribus motæ musculis, ad quos pertinent nerui à cerebro demissi, nec fauces, nec os simile. E V T. Quid si in corpus suis? F A. Grunniret suillo more. E V T. Quid si in corpus cameli? F A. Caneret ut canit camelus. E V. Quid si in corpus asini, quod euenit Apuleio? F A B. Ruderet, opinor, ut asinus. E V T. Nimirùm fatetur hoc ille, quum cuperet inclamare Cæsarem, contractis quantum potuit labris, uix o sonuit. Cæsarem nullo pacto potuit exprimere. Idem quum fabulam auditam, ne excideret, describere cuperet, damnauit cogitationem tam asininam, quum

Epiglottis est caruncula uolubilis, nunc gulã claudẽs, nũc arteriam asperã. Tres cartilagines. Vide Galenum de locis affectis.

Vixo. Hoc Apuleius, Lucianũ secutus.

ungulas

ungulas intueretur solidas. FAB. *Et merito.* EV. *Ergo lippientibus oculis, minus uidet animus: oppletis sordibus auribus, minus audit: ubi cerebrũ occupat pituita, minus olfacit: ubi stupet membrum, minus sentit: ubi malis humoribus uitiata est lingua, minus gustat.* FA. *Negari non potest.* EV. *Non ob aliud, nisi quia uitiatum est organũ.* FA. *Arbitror.* EV. *Nec inficiaris, plerunque uitiari cibo potuq;.* FA. *Fateor, sed quid istud ad bonam mentem?* EV. *Proinde quid lolliũ ad perspicaces oculos?* FA. *Quia uitiat organum animi.* EV. *Probè respondes. Verùm illud expedi, unde fit quòd alius alio celerius intelligit, ac tenacius meminit? alius alio citius irascitur, aut moderatius odit?* FA. *Sic conditus est animus.* EV. *Non sic elabêris. Vnde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, postea fiat obliuiosus ac tardus, siue plaga, siue casu, siue morbo, siue senio?* FA. *Tu nunc mihi uidere sophistam agere.* EV. *Proin tu contrà fac agas sophistriam.* FA. *Opinor hoc te uelle dicere, quòd animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur & placatur.* EV. *Rectè coniectas.* FA. *Quæ tandem sunt ista organa, & ubi sunt?* EV. *Oculos ubi sunt, uides.* FA. *Et aures, & nares, & palatum ubi sit, scio. Et toto corpore contactum esse uideo, nisi quum stupor occupat membrum.* EVT. *Amputato pede tamen intelligit animus.* FA. *Intelligit itidem & manu.* EV. *At qui uehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis, omniq; sensu suo uacat.* FA. *Isthuc aliquoties uidi.* EV. *Ex hoc colligis intra cranium esse*

intelle

intellectus, uoluntatis ac memoriæ organa, minus quidem crassa, quàm sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem & spiritus, quos habemus in corpore subtilissimos, corporales sunt. FAB. An ista quoque uitiantur cibo potúq;? EV. Maximè. FA. Cerebrum procul abest à stomacho. EV. Ita summa fumarij pars abest à foco, tamen illi si insideas, sentias uaporem. FA. Non experiar. EV. At si mihi non credas, sciscitare è ciconijs. Itaque refert qui spiritus, qui uapores à stomacho subuolent in cerebrum & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum. FA. Nè tu mihi metam distillatoriam describis, qua ex floribus herbisq; succum exhalantem excipimus. EV. Haud ita malè coniectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco est, stomachus patella, cranium summæ metæ colophon, atque adeò si uis, nasus fistulæ plumbeæ uice fungatur: Itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum nascitur ferè quicquid est morborum, ut uariè dilabitur uarius humor nunc in oculos, nunc in stomachum, aliàs in scapulas, interim in ceruicem alio'ue. Quoq; magis intelligas: Quur qui uino immodico sese ingurgitant, sunt male memores? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Quur coriandrum memoriam emendat? Elleborus mentem purgat? Quur expletio uehemens epilepsim adducit, quæ stuporem adfert simul omnibus sensibus, quẽadmodum & somnus profundus? Deniq; ut immodica sitis aut inedia, ingenij memoriæq; uim elidit in pueris: ita cibus immodicus in pueris gignit ingenij stuporẽ, si credimus Aristoteli, nimirùm igniculo mentis uelut obruto

ingesta

ingesta materia. FA. *Est'ne igitur corporeus animus, ut à rebus corporalibus afficiatur?* EV. *Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipsa, sed organis uitiatis impeditur illius uis & actio, uelut artifex frustra ualet arte, si destituatur idoneis instrumentis.* FA. *Quanta quaue specie est animus?* EV. *Ridiculè percontaris de magnitudine aut figura, quum fatearis incorporeum.* FAB. *Ego corpus intelligo, quod sentitur.* EVT. *Imò quæ non sentiuntur perfectißima sunt, ueluti Deus & angeli.* FA. *Audio Deum & angelos spiritus appellari, at spiritum sentimus.* EV. *Hac uoce literæ sacræ obrudes homines balbutiunt, mentem significantes puram ab omni commercio rerum sensibilium.* FA. *Quid igitur interest inter angelum & animum?* EVT. *Hoc ipsum quod inter limacem & cochleam, aut si mauis testudinem.* FA. *Corpus igitur domicilium est animi magis, quàm instrumentum.* EVT. *Nihil uetat instrumentum adiunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re uariant philosophorum sententiæ. Sunt qui dicant corpus uestem esse animæ, sunt qui domicilium, sunt qui instrumentum, sunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur actiones animi, corporis affectionibus impediri. Primùm si quod uestis est corpori, idem corpus est animo: quantum ad corporis ualetudinem faciat uestis, declarauit Hercules: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumq; generibus referam. Cæterùm an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit uestes, uiderit Pythagoras.* FA. *Non incommodum foret, si iuxta Pythagoræ liceret, ut uestibus, ita corporibus mutatorijs*

Corpus philosophis qd.

uti

uti: sic ut mensibus hybernis sumeretur corpus obesum, crassæq; texturæ, æstiuis rarius & gracilius. EV. Atqui parum, opinor, esset commodum, si quemadmodum multis uestibus detritis, tandem & corpus deterimus: ita multis corporibus detritis, tandem & anima senesceret, deficeretq;. FAB. Non sanè. EV. Iam quemadmodum ad corporis salubritatem, agilitatemq; refert qua uestc sit amictum, ita refert quod corpus circunferat anima. FAB. Profectò si corpus uestis est animæ, uideo multos homines admodum uariè cultos. EV. Sic est. Et tamen nonnulla pars huius rei sita est in nobis, quàm commodè uestiatur anima. FA. Valeat igitur uestis, dic aliquid de domicilio. EV. Atqui, ne quod dico, tibi uideatur commentum Fabulla, ipse dominus IESVS suum corpus templum appellat. Et Petrus apostolus suum corpus tabernaculum appellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ sepulchrum, σῶμα dictum arbitrantes quasi σῆμα: alij carcerem mentis appellarunt, nonnulli præsidium, uelut arcem munitam. Quorum animus est undiquaque purus, in templo habitat. Qui non tenētur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exiturus, si uocet imperator. Qui prorsus excæcati sunt uitijs spurcissimis, ut nunquàm aspirent ad aurā libertatis Euāgelicæ, horum animus iacet in sepulchro. Cæterum, qui molestè luctantur cum uitijs, nec adhuc possunt quod uolunt, horum animus habitat in carcere, subinde clamans ad liberatorem omnium, Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo domine. Qui grauiter pugnāt cum satana, uigilantes, & excubātes aduersus insidias illius

Corpus Christo, & Christianis quid.

Psal. 141.

lius, qui circumit, ut leo quærens, quem deuoret, horum animus uersatur in præsidio, unde iniussu imperatoris non licet discedere. FA. Si corpus est animi domicilium, plurimos uideo, quorum animus malè habitet. EV. Sic est, uidelicet in ædibus perstillantibus, opacis, uentis omnibus obnoxijs, fumosis, pituitosis, laceris, ac ruinosis, deniq; putribus, & infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem iudicat, bene habitare. FA. Tolerabilis res, si liceret in aliud immigrare domicilium. EV. Emigrare non licet, nisi cum euocat locator. Veruntamen si non licet emigrare, licet arte curaq; nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur sõlum, incrustantur, aut conuestiuntur tabulatu parietes, situs igni, suffituq; purgatur. Id in senili corpore iamq; ruinam minitante difficilimum est. Plurimùm autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu, sicut oportet, curetur. FA. Tu quidem matrem, ac nutricẽ medicam esse iubes. EVT. Planè iubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi, potusq;, motus, somni, balneorum, unctionum, frictionum, uestitus. Quàm multos esse censes, qui grauissimis morbis, ac uitijs obnoxij sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quòd à nutricibus indiligenter curati sunt? FA. Demiror te non pro pictore factum fuisse Franciscanum, qui tam bellè concioneris. EVT. Vbi te Claranam uidero, tum ego tibi Franciscanus concionabor. FAB. Ego sanè libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus, dicimusq;, quum nemo uiderit

Locator. Significat esse conductitium.

uiderit. E V. Imò nemo non uidet, cui sunt oculi. F A. Video pictas animas infantuli specie. Verùm quur non adduntur alæ, quemadmodum angelis? E V. Quoniam delabentibus è cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides. F A. Quomodo igitur subuolare dicuntur in cœlum? E V T. Quoniam fides, & charitas faciunt, ut illis renascantur alæ. Has alas petebat ille pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Nec enim alias alas habet anima, quum sit incorporea, nec ullam habet speciem, quæ corporis oculis sit conspicua, sed certius cernuntur ea, quæ uidemus animo. Credis ne Deum esse? F A. Maximè. E V. At nihil minus uideri potest, quàm Deus. F A. Videtur in rebus conditis. E V. Itidem uidetur animus ex actione. Si quæris quid agat in corpore uiuo, contemplare corpus exanime. Quum uides hominem sentire, cernere, audire, moueri, intelligere, meminisse, ratiocinari: certius uides animam adesse, quàm nunc uides hunc cantharum: potest enim falli sensus unus, tot argumenta sensuum non fallunt. F A. Proinde si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi uelis describere Cæsarem, quem nondum uidi. E V. Aristotelis definitio in promptu est. F A. Quæ? Nam aiunt istum esse probum rerum omnium depictorem. E V T. Anima est actus corporis organici, physici, uitam habentis in potentia. F A B. Quur actum uocat potius, quàm iter aut uiam? E V. Non hic cauetur aurigis aut equitibus, sed animæ ratio definitur. Et actum uocat formam, cuius naturæ est agere, quum ma-

Psal. 54.

Anima quid Aristot.

Quur actum. Græcis est ἐνέργεια, uocabulum philosophis peculiare. Sed Fabulla de torquet ad iureconsultos, qui distinguunt inter iter, actum, & uiam.

teriæ ratio sit pati. Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem uarius corporis motus. F A E. Intelligo. Sed quur addit organici? E V T. Quoniam anima nihil agit, nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis. F A. Quur addit physici? E V. Quia Dædalus frustra fingeret tale corpus. Ideoq; addit, uitam habentis in potentia. Forma non agit in quiduis, sed in materiam capacem. F A. Quid si angelus immigraret in corpus hominis? E V. Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec uitam daret corpori, si abesset anima. F A. Habeo'ne iam totam animæ rationem? E V. Habes Aristotelicam. F A. Equidem accepi celebrem esse philosophum, & uereor ne sapientum centuriæ mihi scribant hæreseos dicam, si quid refrager. Alioqui quicquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum & bouem. E V. Imò in scarabeum quoque & limacem. F A. Quid igitur interest inter animam bouis & hominis? E V. Qui dicunt animam nihil aliud esse, quàm harmoniam qualitatum corporis, fatercntur non ita multùm interesse, uidelicet harmonia soluta perire animas utriusque. Ne ratione quidem distinguitur bouis ab hominis anima, sed quòd boum minus sapit, quàm hominum, quemadmodum uidere est & homines, qui minus sapiunt quàm bos. F A. Næ isti bubulam habent mentem. E V. Attamen illud ad te pertinet, quòd pro testudinis qualitate modulatior est harmonia. F A. Fateor. E V. Nec parui refert ex quo ligno qua'ue figura sit facta testudo. F A. Verisimile dicis. E V. Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canore fides. F A. Audiui. E V. Atque hæ quidem ex æris circunfusi

fusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur, non-nunquam & rumpuntur. F A B. *Isthuc uidi non semel.* E V. *Hic igitur potes opem præstare non uulgarē infantulo tuo, ut animus illius testudinem habeat bene temperatam, minimeq; uitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquam educatio uictusq; ratio.* F A. *Admonitionem accipio, sed expecto, quo pacto tuearis Aristotelem.* E V. *Ille quidem descripsit in genere animam animantem, uegetantem, ac sentientem. Anima dat uitam, sed non protinus animal est, quod uiuit. Viuunt enim & senescunt, & emoriuntur arbores, at non sentiunt: quanquam his quoque nonnulli sensum tribuunt stupidum. In adhæsis uix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab auulsoribus, in arboribus materiarum cæsores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Aiunt enim si palma ferias truncum arboris, quam uelis cædere, quemadmodum ferè solent materiarij, difficilius arbor inciditur, ut semet contraxit metu. Quod autem uiuit, ac sentit, animal est. Nihil autem prohibet esse uegetabile, quod non sentit, ueluti fungi, betæ, caules.* F A. *Ista si uiuunt utcunq;, si sentiunt utcunq;, si mouentur, quum adolescūt, quid prohibet eadem dignari animalis cognomine?* E V. *Non ita uisum est maioribus, neque nobis fas est ab illorum placitis discedere, ac ne refert quidem ab hoc, quod nunc agimus.* F A. *Atqui non feram eandem esse animam scarabei & hominis.* E V. *Non est eadem ô bona, sed ratio quadātenus communis est. Animat, uegetat, sensibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit scarabei anima in*

Stupidū. Hoc sentit Pythagoras, nec omnino dissimile ueri est.

suo corpore. Nam quòd quædã aliter, aut aliud agit anima hominis, quàm scarabei, partim in causa est materia. Non canit, non loquitur scarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. F A. *Illud igitur dicis, si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret, quod agit anima humana.* E V. *Imò ne si mens quidẽ angelica, quemadmodum dixi. Nihil autem interest inter angelum & animam humanam, nisi quòd hominis anima in hoc condita est, ut agat corpus humanum naturalibus organis instructum, quemadmodum anima scarabei non mouet nisi corpus scarabei: angelus non in hoc conditus est, ut animet corpus, sed ut absq; corporalibus organis intelligat.* F A. *Num idem potest anima?* E V. *Potest quidem à corpore semota.* F A. *Non est igitur sui iuris, dum est in corpore.* E V. *Non profectò, nisi si quid accidat præter communem naturæ cursum.* F A. *Verùm tu mihi pro una anima plures animas effudisti, animantem, uegetantem, sensibilem, intelligentem, memorem, uolentem, irascentem, concupiscẽtem. Mihi satis erat una.* E V. *Eiusdem animæ diuersæ sunt actiones, ex his uaria sortitur cognomina.* F A. *Non satis assequor quod dicis.* E V. *At faciam ut assequaris. Tu in cubiculo es uxor, in officina es textrix aulæorũ, in taberna es aulæorum uenditrix, in culina es coqua, inter fœmulos & famulas es domina, inter liberos es mater, & tamen hæc omnia es eadem in domo.* F A. *Satis tu quidẽ pingui Minerua philosopharis. Sic igitur est animus in corpore, quemadmodum ego in domo?* E V. *Sic.* F A. *Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina.* E V. *Neq; enim tu es anima tantùm, sed anima corpus circunferens:*

corpus

corpus autem non potest simul pluribus inesse locis: anima quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, ut in singulis corporis partibus sit tota, quãuis non idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet affectas. Nam sapit ac meminit in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, gustat in palato & lingua, sentit in omnibus partibus corporis, quæ neruaceum aliquid habent adiunctum. Neq; enim sentit in pilis, nec summis unguibus, ac ne pulmo quidem per se sentit, nec hepar, fortasse nec lien. F A. *Proinde in quibusdam partibus animat tantùm ac uegetat.* E V. *Ita uidetur.* F A. *Si in uno homine facit hæc omnia eadem anima, consequitur, ut fœtus in utero materno statim ut augescit, quod est uitæ signũ, simul & sentiat, & intelligat, nisi fortè unius hominis initio plures sunt animæ, deinde cæteris cedentibus una peragit omnia. Ita ut primùm homo fuerit planta, mox animal, postremò homo.* E V. *Quod dicis, fortasse non absurdũ uideatur Aristoteli. Nobis probabilius est, simul cum uita infundi rationalem animam, sed quæ, uelut igniculus, immersa materiæ supra modum humidæ nondum queat exerere uires suas.* F A. *Animus igitur illigatus est corpori, quod agit mouetq;?* E V. *Non aliter quam testudo domui, quam circunfert.* F A. *Eam mouet quidem, sed sic ut simul moueatur, quemadmodum gubernator flectit nauem, quò uult, sed ipse interim cum naui mouetur.* E V. *Imò quemadmodum sciurus uoluit cãueam rotatilem, mobilis interim & ipse.* F A. *Sic & afficit anima corpus, ac uicissim afficitur?* E V. *Sanè quod ad*

operationes attinet. FA. Ergo quod ad naturam pertinet, par est anima morionis animæ Solomonis. EV. Nihil absurdum. FA. Itaque pares sunt & angeli, quandoquidem carent materia, quæ parit, ut ais, inæqualitatem. EV. Iam satis philosophiæ. Quin potius hæc Theologos torqueant, nos hoc agamus, quod cœpimus. Si tota mater esse uis, cura corpusculum infantuli tui, quò posteaquàm sese explicuit ex uaporibus mentis igniculus, bonis & commodis organis utatur. Quoties audis puerum tuum uagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Quum uides in pectore duos istos ueluti fonticulos turgidos, ac lacteo liquore uel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officij. Alioqui quum infans iam fari meditabitur, ac blanda balbutie te mammã uocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad conductitiam mammam relegaris, perinde quasi capræ aut oui subiecisses? Vbi iam erit fandi potens, quid si te pro matre uocet semimatrem? Virgam expedies, opinor. Atqui uix semimater est, quæ recusat alere, quod peperit. Potior genituræ pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solùm lacte, sed & fragrantia materni corporis: requirit eundem liquorem iam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & unde coaluit. Atq; ego quidem sum in hac sententia, ut existimem in pueris ex lactis natura & indolem uitiari, non aliter quàm in frugibus, & plantis terræ succus mutat ingenium eius quod alit. An putas temere uulgò dici: Iste malitiam cum lacte nutricis imbibit? Ne illud quidem opinor, quod à Græcis dici solet, Vt nutrices: quum significant aliquem male pasci:

Mamma.

paulu

paululum enim præmansi in os inserunt infantis, maximam partem deglutiunt ipsæ. Proinde ne peperit quidem, quæ quod enixa est, mox abijcit. Istuc enim abortire est, non parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum uidetur etymologia, qui μήτηρ dici putãt à μὴ τηρῶν, Μήτηρ. hoc est, à non seruando. Nam prorsus conductitiam nutricem infantulo adhuc à matre tepenti adsciscere, genus est expositionis. FA. Accederem, ni delecta esset mulier, in qua nihil desideres. EV. Vt nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam saliuam cum præmanso cibo deglutiat, ut talis contigerit nutrix, qualem haud scio an ulla reperiatur, an putas ullam esse, quæ nutricationis omne tædium deuorare possit, quemadmodum mater? sordes, assessiones, uagitus, morbos, seruandi nunquàm satis diligentem curam? Si est quæ pariter amet ut mater, erit quæ pariter curet. Quin & illud fiet, ut segnius amet te filius, natiua illa charitate uelut in duas matres distracta: nec tu simili pietate duceris erga filium, ut iam grandior minus libenter sit obtemperaturus iussis tuis, & tu frigidius illius curam habitura, in cuius moribus fortasse uidebis nutricem. Præcipuus autem discendi gradus est, mutuus inter docentem ac discentem amor. Ergo si nihil decesserit illi natiuæ pietatis fragrantiæ, facilius illi instillabis præcepta rectè uiuendi. Neque enim hîc parum ualet mater, uel ob hoc, quòd materiam tractet molliſſimam, & in omnia sequacem. FA. Vt uideo, non tam facilis est res peperisse, quàm uulgus existimat. EV. Si mihi parũ habes fidei, en tibi Paulus apertè de muliere loquens: Salua, inquit, fiet per liberorum generationem.

FA. Salua est igitur quæ peperit? EV. Nequaquam, sed addit, si liberi permanserint in fide. Nondum absoluisti genitricis munus, nisi primùm tenerum corpusculum filij, mox animum æquè mollem recta educatione finxeris. FA. Atqui isthuc matribus in manu non est, ut filij perseuerent in pietate. EV. Fortassis, sed tantum habet momenti uigilans admonitio, ut Paulus existimet matribus imputandum, si liberi degenerent à pijs moribus. Denique, si præstiteris quod in te situm est, Deus opem suam coniunget cum tua diligentia. FA. Mihi quidem Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. EV. Isthuc ad me recipio, modò tu me tuo iuues suffragio. FA. Polliceor. EV. Sed licet'ne uidere puellum? FA. Licet maximè. Heus Syrisca, uoca nutricem unà cum infante. EV. Scitus admodum puer. Vulgò dicitur ueniam deberi primùm experienti. At tu prima statim experientia, summam artis expressisti. FA. Non est sculptilis imago, ut arte sit opus. EV. Verum, sed fusile sigillum est. Vtcunq; res habet, felicissimè cecidit, utinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulæis. FA. At tu contrà felicius pingis, quàm gignis. EV. Sic uisum est naturæ cum omnibus paria facere. Quàm solicita est natura, ne quid pereat. Duos homines in uno repræsentauit, nasus & oculi patrem referunt, frons ac mentum matrem exprimunt. An tu posses hoc tam charum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles uidentur esse, quæ id facere sustinent. Quandoquidem non solùm faciunt id infantis quem ablegāt periculo, uerum etiam suo, propterea quod in his lac auersione corruptum sæpenumero

mero periculosos morbos pariat. Itaque fit, ut dum unius formæ corporis consulunt, parum consulant duorum corporum uitæ: dumq; cauent, ne contingat præproperum senium, conijciunt sese in mortem præproperam. Quod est inditum puero nomen? FA. Cornelius. EV. Hoc erat nomen aui paterni. Vtinam uirum integerrimum, & moribus nobis referat. FA. Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus Eutrapele, unum quiddam obnixè te rogarim. EV. Imò puta me tuum esse mancipium, imperabis & impetrabis quæ uoles. FA. Proinde non prius te manumittam, quàm hoc mihi beneficiũ cœptum absoluas. EV. Quodnam? FA. Vt præscribas mihi primùm, quibus rationibus queam infantis ualetudini consulere, deinde quum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem præparandus sit rudis animus. EV. Id faciam lubens pro mea quidem sapientia, sed proximo colloquio, nũc orator adeo maritum ac parentes. FA. Precor exorator ut sies.

Manumittam, quia se dixerat mancipium.

PEREGRINATIO RELIGIONIS ERGO.

MENEDEMVS, OGYGIVS.

ME. Quid hoc nouæ rei? Non'ne Ogygium uicinum meum uideo, iam totos sex menses non uisum cuiquam? Interisse rumor erat. Ipsus est, nisi prorsus hallucinor. Adibo ac saluere iubebo. Saluus sis Ogygi. OG. Salue & tu Menedeme. ME. Quæ regio te nobis reddidit incolumem? Nam tristis rumor hîc sparserat, te nauigasse Stygiam paludem. OG. Imò gratia superis, sic interim ualui, ut uix unquam antehac melius. ME. Ita semper uanitatis coarguas eiusmodi rumores. Sed quid isthuc or-

Imbricatis, id est, imbricū specie uariatis. Vide Plinīū lib. 9. cap. 33. de mira uarietate cōcharum.

natus est? obsitus est conchis imbricatis, stanneis ac plumbeis imaginibus oppletus undiq; culmeis ornatus torquibus, brachium habet ouā serpētum. OG. Visi diuum Iacobum Compostellanum, & hinc reuersus, Virginem Parathalaßiam apud Anglos percelebrem, quin potius hanc reuisi. Nam ante annos tres inuiseram. ME. Animi gratia, ut arbitror. OG. Imò religionis causa. ME. Istam opinor religionem docuerunt te Græcæ literæ. OG. Mater uxoris uoto sese obstrinxerat, ut si filia peperisset masculum uitalem, ego diuo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. ME. Salutasti diuum tuo duntaxat & socrus nomine? OG. Imò totius familiæ uerbis. ME. Equidem arbitror nihilo minus salutis futurum fuisse familiæ, etiam si Iacobum insalutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? OG. Nihil, sed offerenti munus uisus est arridere, & capite leniter annuere, simulq; porrexit hoc imbricatum putamen. ME. Quur ista potius donat, quàm alia? OG. Quoniā his abundat suggerente uicino mari. ME. O benignum diuum, qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus. Verùm quodnam isthuc nouum uouendi genus, ut otiosus alijs laborem imponat aliquis? Si tu te uoto adstringeres, ut si quod ageres, feliciter cederet, ego ieiunarem bis in hebdomade, an credis me facturum quod nouisses? OG. Non credo, etiam si tuipse tuo nomine uouisses. Nam tibi diuis os oblinere ludus est. At socrus est, mos gerendus erat. nosti mulierum affectus, & mea quoq; referebat. ME. Si non præstitisses uotum, quid erat periculi? OG. Non poterat me diuus uocare in ius, fateor: sed

Culmeis, è stramine factis.

Ouа serpentū. significat globulos, quibus utuntur ad numerandas preces. Sic enim ouа serpentum quū prodeunt, cohærent.

Os oblinere, pro fallere. uide Chiliades.

poterat

poterat in posterum esse surdus ad uota mea, aut taciturus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. ME. Dic mihi, quid ualet agitq; uir optimus Iacobus? OGY. Multò frigidius solito. ME. Quid est in causa? senium? OGY. Nugator, scis diuos non senescere. Verum hæc noua persuasio, quæ latè per orbem diuagatur, facit ut infrequentius salutetur solito: & si qui ueniunt, salutant tantum, nihil aut quàm minimum donant, dictitantes eam pecuniam rectius collocari in egenos. ME. Impia persuasio. OG. Itaq; tantus apostolus, qui solet totus gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus uix sebaceam habens candelam. ME. Si uerum est, quod audio, periculum est, ne reliquis diuis idem ueniat usu. OGY. Imò circumfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa Virgo Maria. ME. Quæ Maria? OG. Quæ cognomen habet à lapide. ME. Apud Rauracos, ni fallor. OG. Ea est. ME. Lapideam igitur diuam mihi narras. Sed cui scripsit? OG. Nomen ipsa indicat epistola. ME. Per quem missa est? OG. Haud dubiè quin per angelum, qui posuerat scriptam in suggesto, unde concionatur is, ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, uidebis epistolam αὐτόγραφον. ME. Ita'ne agnoscis manum angeli, qui est uirgini ab epistolis? OG. Quid ni? ME. Quo tandem argumento? OG. Legi Epitaphium Bedæ, quod ab angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & syngrapham diuo Aegidio missam: congruunt. An non hæc satis arguunt rem? ME. Fas'ne est inspicere? OG. Fas si deieres te taciturum. ME. Oh lapidi dixeris. OG. Iam sunt & lapides hoc nomine infames, q̃

Impia persuasio. Ironia est, quum sit admodum pia.

αὐτόγραφον, id est ab ipso scriptã, quãadmodum oracula dicuntur αὐτόθεα ab ipso deo redita uoce. Vergilius: Ipsa canas oro.

Aegidio missã. Nota est fabula, de Carolo magno, cui quũ desperaret ueniã admissorũ, S. Aegidius impetrauit syngraphã ab angelo cõtinentẽ hunc uersiculũ, Aegidij merito Caroli peccata remitto.

Lapides hoc nomine infames. Scitè de Lydio lapide, q̃ dicit̃ index. Is prodit aurum subæratũ aut imitatiũ. Lege apud Ouidium fabulam de Batto in lapidem uersũ.

nihil

nihil ualent. M E. Muto igitur dicito, si lapidi parum fidis. O G. Hac lege recitabo, tu fac utranq; arrigas aurem. M E. Arrexi. O G. Maria mater Iesu Glaucopluto S. D. Quòd Lutherum sequutus strenuè suades, superuacaneum esse inuocare diuos, à me quidem isto nomine bonam magnamq; inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturq; in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neq; quicquã ausit negare petenti, uidelicet metuens, ne si quid neget roganti, ego uicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt à uirgine, quæ uerecũdus iuuenis uix auderet petere à lena, quæq; me pudet literis committere. Interim negotiator lucri causa nauigaturus in Hispaniã, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et uirgo deo sacra, abiecto uelo fugam adornans, deponit apud me fámã integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus: Beata uirgo da prædam opimam. Occlamat aleator: Faue diua, pars lucri tibi decidetur. Et si parum faueat alea, me conuicijs lacerãt, maleq; precantur, quæ nõ adfuerim sceleri. Occlamat quæ quæstui turpi semet exponit: Da prouentum uberem. Si quid negẽ, ilico reclamãt: Ergo ne sis mater misericordiæ. Aliarum uota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta, Maria da mihi formosum ac diuitem spõsum. Clamat nupta, da mihi bellos catulos. Clamat grauida, da mihi facilem partũ. Clamat anus, da diu uiuere sine tussi sitiq;. Clamat senex delirus, da repubescere. Clamat philoso

philosophus, da nodos insolubiles nectere. Clamat sacerdos, da sacerdotium opimum. Clamat episcopus, serua meam ecclesiam. Clamat nauta, da prosperos cursus. Clamat præfectus, ostende mihi filium tuum antè, quàm moriar. Clamat aulicus, da uerè confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus, da tempestiuam pluuiam. Clamat rustica, serua gregem & armentum incolume. Si quid renuo, ilicò sum crudelis. Si relego ad filiũ, audio, Vult ille quicquid tu uis. Ita'ne ego sola & mulier & uirgo dabo operam nauigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus & agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his quæ patior. Sed his negotijs nunc multò minus grauor, quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc, incommodum maius secum traheret: plus est otij, sed minus est bonorum, minus est opum. Antè salutabar regina cœlorum, domina mundi: nunc uix à paucis audio, Aue maria. Antè uestiebar gemmis & auro, abundabam mutatorijs, deferebantur aurea gemmeaq; donaria: nunc uix tegor dimidiato palliolo, eoq; corroso à muribus. Prouentus autem annui uix tantum est, ut alam miserum ædituum, qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atque hæc tamen poterant ferri, ni maiora etiam moliri dicereris. Huc tendis, ut aiunt, ut quicquid usquam est diuorum, exigas ex ædibus sacris. etiam atq; etiã uide quid agas. Non deest alijs diuis quo suam ulciscantur iniuriã. Eiectus è templo Petrus. potest tibi uicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladium, Barptolemæus cultro armatus est, Guliel-

Aedituũ, quem ueteres, ut indicat Varro, ędituũ uocabãt, custos erat tuędæ sacræ ædis.

mus

mus sub pallio monachi totus armatus est, non sine graui lancea. Quid autem agas cum Georgio & equite & cataphracto, hasta simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius, habet sacrum ignem. Sunt item & cæteris sua uel arma, uel mala, quæ quibus uolunt, immittunt. Me uerò quantumuis inermem non tamen eijcies, nisi simul eiecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non me patiar diuelli: aut hunc unà mecum extrudes, aut utrunq; relinques, nisi mauis habere templum sine Christo. Hæc te scire uolui, tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi planè res cordi est. Ex æde nostra lapidea, Calend. Augusti. anno filij mei passi 1524.

Cataphracto. i. graui armatura munito.

Habet sacrum ignē: hoc enim nomine sanctū illum amabilē reddidere formidabilē, quēadmodū Ioannem Baptistam præter alios, morbo comitiali, Hubertū, hydrophobo, item alios alijs malis. Et hæc nectrim⁹ in quæ stum nostrū, cuius studiosiores sumus, quàm seruandæ animarum.

Virgo lapidea mea manu subscripsi.

M E. Minax profectò ac formidabilis epistola. Cauebit, opinor, Glaucoplutus. O G. Si sapit. M E. Quam ob rem non eadem de re scripsit huic optimus ille Iacobus? O G. Nescio, nisi quòd longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. M E. Sed quis Deus te redegit in Angliam? O G Y. Ventus illhuc inuitabat mirè secundus, atque id propémodum eram pollicitus diuæ Parathalassiæ, me post biennium ipsam reuisurum. M E. Quid petiturus ab illa? O G Y. Nihil noui, nisi illa uulgaria, familiam incolumem, rem uberiorem, longæuam lætamq; uitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro. M E. Non poterat eadem præstare Virgo mater apud nos? Habet Antuuerpiæ templum longè augustius, quàm in Parathalasso. O G Y. Haud nego posse, uerùm alijs in locis alia largitur, siue sic uisum est animo illius, siue ut est benigna, semet in hoc nostris affectibus accommodat

modat. ME. De Iacobo frequenter audiui: sed obsecro te, describe mihi regnum istius Parathalassiæ. OG. Equidem expediam quàm potero paucissimis. Celeberrimum nomen est per uniuersam Angliam, nec temere reperias in ea insula, qui speret res suas fore saluas, quin illam quotannis aliquo munusculo pro facultatum modulo salutarit. ME. Vbi habet? OG. Ad extremum Angliæ finem inter Occidentem & Septentrionem, haud procul à mari, passuum ferè tribus millibus. Vicus est uix alia re uicinans, quàm commeantium frequentia. Collegium est canonicorum, sed quibus à Latinis regulæ cognomen additur, medium genus inter monachos & canonicos, quos seculares appellant. ME. Amphibios mihi narras, quod genus est fiber. OG. Imò & crocodilus. Sed omissis cauillis, tribus uerbis expediam quod uis. In odiosis canonici sunt, in fauorabilibus monachi. ME. Adhuc mihi quidem ænigma refers. OG. Quin addam apodixim mathematicam. Si Romanus pontifex fulmine feriat omnes monachos, tum canonici fuerint, non monachi: Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi. ME. O nouos fauores, utinam abducant & meam. OG. Sed ut ad rem: Collegium hoc uix alios habet prouentus, quàm ex liberalitate Virginis. Nam maiora quidem donaria seruantur. Cæterùm si quid est numorum aut leuioris pretij, cedit in alimoniam gregis & præfecti, quem illi Priorem uocant. MENED. Probæ uitæ? OG. Non illaudatæ, pietate ditiores, quàm annuo censu. Templum est nitidum & elegans, uerùm in eo nõ habitat Virgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum

ἀποδεῖξις, demõstratio, quæ propriè fit mathematicis per literas depictas.

templum,ut dextra sit filio. ME. Dextra? Quò igitur spectat filius? OG. Bene mones. Quum occidentem spectat, dextram habet matrem: ubi se uertit ad Solis exortum, sinistra est. Nec hîc tamen habitat, nondum enim ædificium est absolutum, & locus est undiq; perflabilis patentibus ostijs, patentibus fenestris, & in propinquo est Oceanus uentorum pater. ME. Durum, ubi igitur habet illa? OG. In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum ligneo tabulatu constructum, ad utrunq; latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec ferè nisi ex cereis, fragrat odor naribus gratißimus. ME. Hæc omnia congruunt religioni. OG. Imò si introspicias Menedeme, dicas diuorum esse sedem, adeò gemmis, auro, argentoq; nitent omnia. ME. Accendis animum, ut eò me conferam. OG. Haud pœnituerit itineris. ME. Nihil est illhic olei sacri? OG. Inepte. Oleum istud nõ resudat nisi è sepulchris diuorum, uelut Andreæ & Catarinæ. Maria sepulta non est. ME. Erraui, fateor. Sed absolue fabulam. OG. Quò latius se spargat religio, alia alijs locis ostenduntur. ME. Et fortaßis ut uberior sit largitio, iuxta illud: Fit citò per multas præda petita manus. OG. Et nusquam non præstò sunt mystagogi. ME. Ex canonicis? OG. Nequaquam, illi non adhibentur, ne per occasionem religionis alienentur à religione, ac dum obseruant uirginem, parum ipsi consulant suæ uirginitati. Tantùm in intimo sacello, quod dixi conclaue diuæ Virginis, adstat altari canonicus quidam. ME. In quem usum? OG. Vt recipiat, seruet'que quod datur. ME. An dant qui nolint? OG Y G. Minimè, sed nonnullos pius

quidam

quidam pudor huc adigit, ut dent adstante quopiam, non daturi si testis abesset: aut largius dant aliquantò, quàm erant daturi. ME. Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum. OG. Imò uerò sunt quidam adeò dediti sanctißimæ Virgini, ut dum simulant sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurentur, quod alius posuerat. ME. Fac nullum adstare, an non in tales ilico fulminaret Virgo? OG. Quî magis id faceret Virgo, quàm ipse pater æthereus, quem nõ uerentur nudare suis ornamentis, uel perfosso templi pariete? ME. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari, illorum'ne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. OG. Ad latus itaq; Septentrionale porta quædam est, nõ templi, ne quid erres, sed septi, quo tota clauditur area tẽplo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale uidemus in ualuis nobilium, ut qui uelit ingredi, primùm tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. ME. Profectò tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. OG. Rectè coniectas. Narrabat mystagogus olim uirum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui iam fugienti imminebat. Ibi miser desperans sui, subita cogitatione salutem suam commendauit diuæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreuerat, si ualua patuisset. Et ecce rem inauditam. Subitò totus eques erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. ME. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? OG. Maximè. ME. Id quidem non admodùm facile apud te hominem philosophum. OG. Ostendebat in ostio laminam cupreã clauis affixam,

templum,ut dextra sit filio. ME. Dextra? Quò igitur spectat filius? OG. Bene mones. Quum occidentem spectat, dextram habet matrem: ubi se uertit ad Solis exortum, sinistra est. Nec hîc tamen habitat, nondum enim ædificium est absolutum, & locus est undiq; perstabilis patentibus ostijs, patentibus fenestris, & in propinquo est Oceanus uentorum pater. ME. Durum, ubi igitur habet illa? OG. In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum ligneo tabulatu constructum, ad utrunq; latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec ferè nisi ex cereis, fragrat odor naribus gratißimus. ME. Hæc omnia congruunt religioni. OG. Imò si introspicias Menedeme, dicas diuorum esse sedem, adeò gemmis, auro, argentoq; nitent omnia. ME. Accendis animum, ut eò me conferam. OG. Haud pœnituerit itineris. ME. Nihil est illhic olei sacri? OG. Inepte. Oleum istud nõ resudat nisi è sepulchris diuorum, uelut Andreæ & Catarinæ. Maria sepulta non est. ME. Erraui, fateor. Sed absolue fabulam. OG. Quò latius se spargat religio, alia alijs locis ostenduntur. ME. Et fortaßis ut uberior sit largitio, iuxta illud: Fit citò per multas præda petita manus. OG. Et nusquam non præstò sunt mystagogi. ME. Ex canonicis? OG. Nequaquam, illi non adhibentur, ne per occasionem religionis alienentur à religione, ac dum obseruant uirginem, parum ipsi consulant suæ uirginitati. Tantùm in intimo sacello, quod dixi conclaue diuæ Virginis, adstat altari canonicus quidam. ME. In quem usum? OG. Vt recipiat, seruet'que quod datur. ME. Andant qui nolint? OG Y G. Minimè, sed nonnullos pius

quidam

quidam pudor huc adigit, ut dent adstante quopiam, non daturi si testis abesset: aut largius dant aliquantò, quàm erant daturi. ME. Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum. OG. Imò uerò sunt quidam adeò dediti sanctißimæ Virgini, ut dum simulant sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurentur, quod alius posuerat. ME. Fac nullum adstare, an non in tales ilico fulminaret Virgo? OG. Quû magis id faceret Virgo, quàm ipse pater æthereus, quem nõ uerentur nudare suis ornamentis, uel perfosso templi pariete? ME. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari, illorum'ne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. OG. Ad latus itaq; Septentrionale porta quædam est, nõ templi, ne quid erres, sed septi, quo tota clauditur area tẽplo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale uidemus in ualuis nobilium, ut qui uelit ingredi, primùm tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. ME. Profectò tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. OG. Rectè coniectas. Narrabat mystagogus olim uirum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui iam fugienti imminebat. Ibi miser desperans sui, subita cogitatione salutem suam commendauit diuæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreuerat, si ualua patuisset. Et ecce rem inauditam. Subitò totus eques erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. ME. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? OG. Maximè. ME. Id quidem non admodùm facile apud te hominem philosophum. OG. Ostendebat in ostio laminam cupreã clauis affixam,

quæ habebat imaginem equitis seruati, eo´que cultu quo tum Anglica gens utebatur, quem & in uetustioribus picturis uidemus: quæ si non mentiuntur, frigebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. ME. Quî sic? OG. Quia barbatus erat non aliter quàm capræ, & uniuersa uestis nullam habebat rugam, adeoq; non erat maior corpore, ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. ME. Iam dubitare fas non erat. OG. Subter ostiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantùm transmitteret. Non conueniebat ut equus post eum calcaret locum, quem prior eques Virgini consecrasset. ME. Et meritò. OG. Hinc ad Orientem est sacellum prodigijs plenum, eò me confero. Excipit alius mystagogus. Illhic orauimus paulisper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximi: exosculor, déinde rogo cuius sint reliquiæ. Ait sancti Petri. Num apostoli, inquam? Aiebat. Déinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis uideri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuisse uirum prægrandi corpore. Ad hanc uocem è comitibus quidam in cachinnũ solutus est, id certè molestè tuli. Nam si is siluisset, ædituus nos nihil celasset reliquorum. Eum tamen utcunque placauimus datis aliquot drachmis. Ante æditum erat tectum, quod aiebat hyberno tempore, quum nix obtexisset omnia, eò subitò fuisse delatũ è longinquo. Sub eo tecto putei duo ad summum pleni, fontis uenam aiunt esse sacram diuæ Virgini, liquor est mirè frigidus, efficax medicando capitis stomachiq; doloribus. ME. Si frigida medetur doloribus capitis

capitis & stomathi, posthac & oleum extinguet incendium. OG. *Miraculum audis ô bone, alioqui quid esset miraculi, si frigida sedaret sitim?* ME. *Et ista sanè est una pars fabulæ.* OG. *Affirmabant cum fontem de repente prosiliſſe è terra iussu sanctißimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circunspiciens, rogabam quot essent anni, quòd ea domuncula fuisset cò deportata, dixit aliquot secula. Alioqui parietes, inquam non præse ferunt aliquid uetustatis. Non repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ. Non negabat esse nuper positas, & res ipsa loquebatur. Deinde hæc, inquam, tecti culmea arundineaq; materia uidetur esse recentior. Assentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, transucrsæ, nec ipsa tigna quæ culmos sustinent, uidentur ante multos annos posita. Annuebat. Atqui cum iam nulla casæ pars superesset, unde igitur constat, inquam, hanc esse casulam illam è longinquo delatam?* ME. *Obsecro quomodo sese ab hoc nodo expediebat ædituus?* OG. *Scilicet incontanter ille ostendit nobis peructustam ursi pellem tignis affixam, ac propémodum irrisit nostram tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemus oculos. Itaque persuasi, & tarditatis culpam deprecati, ùcrtimus nos ad cœleste lac beatæ Virginis.* ME. *Ô matrem filij similimam, ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum uix credibile est esse posse uni mulieri uniparæ, etiam si nihil bibisset infans.* OG. *Idem causantur de cruce domini, quæ priuatim ac publicè tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferantur in unũ, nauis onerariæ iustum onus uideri possint, & tamen to-*

tam crucem suam baiulauit Dominus. M E. An non tibi quoque mirum uideatur? O G. Nouum fortasse dici possit, mirum nequaquam, quum Dominus, qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens. M E. Piè tu quidem interpretaris, at ego uereor ne multa talia fingantur ad quæstum. O G. Non arbitror Deum passurum, si quis ipsum ad istum irrideat modum. M E. Imò quum a sacrilegis spoliatur & mater & filius & pater & spiritus, ne tantulum quidem sese commouent interdum, ut uel nutu, uel crepitu deterreant scelestos. Tanta est numinis lenitas. O G. Sic est, sed audi reliqua. Id lac seruatur in altari summo, in cuius medio Christus, ad dextram mater, honoris gratia. Lac enim matrem repræsentat. M E. Conspicuum est igitur. O G. Videlicet inclusum crystallo. M E. Liquidum igitur. O G. Quid liquidum mihi narras, quum fusum sit ante annos mille quingentos? Concretum est, dicas cretam tritam alboq; oui temperatum. M E. Quin igitur nudum ostentant? O G. Ne contaminetur uirorum osculis lac uirgineum. M E. Probè dicis. Nam sunt, opinor, qui os admoueant nec purum, nec uirgineum. O G. Vbi nos uidet mystagogus, accurrit, lineam uestem induit, sacram stolam addidit ceruici, procubuit religiosè & adorauit, mox nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Hìc in extremo altaris gradu religiosè procubuimus & ipsi, Christoq; primum salutato, Virginem oratiũcula tali, quam in hoc ipsum pararam, appellauimus. Virgo parens, quæ tuis uirgineis uberibus lactare meruisti cœli terræq; dominũ filium tuũ IESVM, optamus ut illius sanguine purificati proficiamus et

Precatio ad Virginem matrem.

nos

nos ad felicē illam infantiam columbinæ simplicitatis, quæ nescia malitiæ, fraudis, ac doli, lac Euangelicæ doctrinæ concupiscit assiduè, donec proficiat in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, cuius felici consortio frueris in æternū, cum patre & spiritu sancto. Amē. ME. Pia sanè deprecatio. Quid illa? OG. Visus est uterque annuere, nisi me fallebāt oculi. Nā subsilire uidebatur sacrū lac, & candidior aliquantò affulgebat eucharistia. Interim mystagogus ad nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigēs, qualem apud Germanos offerūt, qui in pontibus telos exigunt. ME. Equidem sæpenumero malè precatus sum illis petacibus tabellis, quum per Germaniam iter facerem. OG. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit uirgini. Mox per interpretem eius linguæ pulchrè peritum, & iuuenem blandæ cuiusdam eloquentiæ, nomen erat, ni fallor, Robertus Aldrisius, percontatus sum, quàm potui ciuilissimè, quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac uirginis. Id ego sanè pio studio scire cupiebam, quò possem impijs quibusdam hæc omnia ridere solitis os obturare. Primùm mystagogus obducta fronte obticuit: iussi, ut interpres instaret, sed blandius etiam. Ille uerò blandissimè, adeò ut si matrem ipsam nuper puerperam talibus uerbis appellasset, non fuerit ægrè latura. At mystagogus tanquàm afflatus numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus ac uelut horrore uocem blasphemam execrantibus, Quid opus, inquit, ista percontari, quū habeatis tabulam authenticam? Et omnino uidebatur nos ut hæreticos eiecturus, nisi drachmæ delenissent hominis ferociam. ME. Quid uos interim?

Telos, τέλος id est tributum, siue uectigal.

Mystagogus, q̄ ostēdit arcana, q̄ & hierophāta dicitur.

OG. Nos quid censes? Non aliter quàm fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illhinc subducimus, suppliciter audaciæ ueniam comprecati. Sic enim conuenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium diuæ Virginis. Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta ex illis minoribus, nosq; ueluti noscitans intuetur: aliquantulum progressis occurrit alius, itidem contemplans nos: post etiam tertius. ME. Fortasse cupiebant te pingere. OG. At ego longè diuersum suspicabar. ME. Quid istuc? OG. Sacrilegum quempiam suppilasse nonnihil ex mundo sacræ Virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiuncula saluto matrem Virginem: O sola fœminarum omnium mater & Virgo, mater felicissima, Virgo purissima, nunc te puram impuri uisimus, salutamus, donariolis nostris utcunque colimus, utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum IESVM intimis animi uisceribus concipere, semelq; conceptum nunquam amittere. Amen. Simulq; exosculatus aram deposui drachmas aliquot, & abij. ME. Quid hic uirgo? Nullo'ne nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? OG. Lumen, ut dixi, erat ambiguũ, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremò me sic deiecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. ME. Istius igitur professionis nõ erat admodũ lætus exitus. OG. Imò multò lætissimus. ME. Reddidisti animũ: nã mihi quoq; cor in genua deciderat, ut tuus loquitur Homerus. OG. A' prãdio repetimus templum. ME. Audebas suspectus sacrilegij? OG. Fortasis,

Ex mundo, ex ornamẽtis. Dicitur autem mũdus muliebris.

Alia precatio.

Cor in genua. est Iliados o. τάρβησεν, τᾶσιν δ' ὑπὸ γοῦνα καὶ ὑπὸ κάρδια θυμός. Id est, Expauerũt, omnibus autem in pedes deciditanimus.

Fortassis, sed ipse mihi suspectus non eram. Nescit pauorem mens sibi bene cõscia. Trahebat me tabulæ uisendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegarat. Eam diu quæsitam tandem inuenimus, uerùm in alto defixam, ut nõ à quibuslibet oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec lynceus dici posim, nec omnino luscios. Itaque legentem Aldrisium oculis obiter assectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. M E. Excussa est omnis dubitatio? O G. Puduit me mei, qui subdubitassem, adeò res tota illhic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res ut erat ordine gesta: breuiter, nihil omissum. Dictus est Gulielmus Lutetiæ natus, uir pius cum aliâs, tum præcipuè religiosus in conquirendis toto orbe diuorum reliquijs. Is peragratis regionibus plurimis, monasterijs ac templis undique lustratis, tandem peruenit Constantinopolim. Nam huius Gulielmi frater illhic agebat episcopum. Is iam adornantem reditum, admonuit esse uirginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet Virginis matris: abunde felicem futurum, si uel precario, uel pretio, uel arte portionẽ aliquam posset nanciscì. Nam cæteras reliquias omnes quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrũ lac. Ibi Gulielmus non conquieuit, donec exorat dimidium eius lactis. Eo thesauro plus quàm Crœsus sibi uidebatur. M E. Quid ni, & quidem præter spem? O G. Rectà domum properat, in itinere morbus occupat. M E. Vt nihil est in rebus humanis nec diu, nec undiquaq; felix. O G. Vbi uideret periculum, accersit clàm Gallum fidissimum eius peregrinationis comitem. Et religiosè stipulatur silentium, committit illi lac ea lege, ut si incolumis domum

redeat, deponat cum thesaurũ in ara diuæ Virginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, utrinq; Sequanã præterlabentem intuens: & amnis ipse uidetur honoris gratia decedere numini Virginis. Vt rem in pauca cõferam, sepultus est Gulielmus, alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperãs sui, tradit Anglo comiti lac, sed multis obtestationibus adstricto, ut faceret quod fuerat ipse facturus. Moritur hic, recipit ille, & in aram deponit lac canonicis eius loci præsentibus, qui tum temporis adhuc dicebantur regulares, quales adhuc sunt apud diuam Genouefam. Ab his impetrauit lactis dimidium. Id delatũ in Angliam, tandem in Parathalassum detulit, huc uocante mentem illius afflatu spiritus. ME. Pulchrè certè sibi constat hæc narratio. OG. Imò ne qua resideret posset dubitatio, ascripta erant nomina episcoporũ à suffragijs, qui lac illud inuisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt relaxationis, quantùm ex suo dimenso largiri possunt. ME. Quantum id est? OG. Dierum quadraginta. ME. Etiam apud inferos dies est? OG. Certè tempus est. ME. Vbi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non supereſt quod largiantur? OG. Minimè. Subscatet enim subinde quod dent, ac planè diuersum quiddam accidit hìc atque in dolio Danaidum. Illud enim quam cõtinenter impleatur, semper tamen inane est: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. ME. Si centum hominum millibus largiantur quadraginta, singuli tantundem habent? OG. Tantundem. ME. Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstò ne esset, quod daretur?

OG.

Ex suo dimẽso id est, ex modo præscripto. Romanus enim põtifex è dolio permit: episcopis certus modus præscriptus est. Apud inferos. Nam ad purgatoriũ nũc prorogãt dies, ubi nullus est dies, & tamen dies uocant. Danaidum dolium, uide prouerbium.

OG. Imò si hora eadem decies. ME. Vtinam mihi tale scriniolum esset domi, non optarim nisi tres drachmas, modò sic scateant. OG. Quin optas ut totus fias aureus, tantũdem accepturus ex uoto. Verùm ad fabulam redeo. Addebatur & aliud pij cuiusdam cãdoris argumentum: lac Virginis, quod alijs compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse uenerandum, hoc tamen cæteris esse uenerabilius, quòd illa abraderentur à saxis, hoc ex ipsis Virginis uberibus effluxisset. ME. Vnde id constabat? OG. Oh, narrarat hoc Virgo Constantinopolitana, quæ lac dederat. ME. Et illi fortasse communicarat diuus Bernardus. OG. Sic arbitror. ME. Cui natu grandi contigit gustare lac ex cadẽ mamma, quã suxit puer IESVS. Vnde miror, illum mellifluum dici potius quàm lactifluũ. Sed quomodo lac Virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus? OG. Fluxit & illud, sed saxo, cui fortè lactans insidebat, exceptum concreuit, deinde uolente Deo sic multiplicatum est. ME. Rectè. Perge. OG. His itaque peractis, dum paramus abitum obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignũ circunspectantes, rursum adsunt mystagogi, limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, uidebantur compellaturi, si fuisset audaciæ satis. ML. Nihil ibi metuebas? OG. Imò faciem illis obuerti, sic arridens & intuens, quasi ad cõpellandum inuitarem. Tandem unus aggressus, rogat quod mihi nomen esset, cdo. Num is essem qui ante biennium affixisset uotiuã tabellam literis Hebraicis. Fatebar esse me. ME. Scribis Hebraicé? OG. Minimè, sed isti quicquid non intelligunt, Hebraicum uocant.

Limis, id est, oculis obliquis ac semiclausis, quo modo se aspici leones indignantur.

Mox accersitus, ut conijcio, uenit illius collegij πρῶτος ὑστερος. ME. Quod isthuc dignitatis nomen est? Non habent abbatem? OG. Non. ME. Quur ita? OG. Quia nesciunt Hebraicè. ME. Non episcopum? OG. Nequaquam. ME. Quam ob rem? OG. Quia Virgo pauperior etiamnum est, quàm ut emat pedum ac mitram nimio uenalem. ME. Non saltem Præpositum? OG. Ne id quidem. ME. Quid obstat? OG. Quia Præpositus dignitatis est nomen, non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen abbatis reijciunt, Præpositi libenter amplectuntur. ME. Atqui πρῶτον ὕστερον antehac audiui nunquàm. OG. Nè tu magnopere rudis es grammatices. ME. Ὑστερόπρωτον noui in tropis. OG. Tenes. Hìc qui Priori proximus est, Prior est posterior. ME. Suppriorem dicis. OG. Is me salutauit satis humaniter. Narrat quātopere sudatum sit à multis, ut uersus eos legerent, quot frustra extersa perspicilla. Quoties aduenisset aliquis uetustus Theologiæ aut iuris doctor, adductus est ad tabellā: alius dicebat esse literas Arabicas, alius fictitias: tandē repertus est qui legeret titulum. Is descriptus erat uerbis ac literis Romanis, sed maiusculis. Græci uersus erant descripti Græcis maiusculis, quæ prima speciæ uidentur referre maiusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum Latinè, uerbum uerbo reddens. Huius operæ quum præmiolum oblatum constanter recusarem, affirmans nihil esse tam arduum, quod in Virginis sanctißimæ gratiam non essem cupidißimè facturus, etiam si literas iuberet illhinc perferre Hierosolymam. ME. Quid opus te grammatophoro, quum illi tot angeli adsint à manibus

atq;

atque à pedibus? O G. Ille protulit è crumena ligni fragmentum desectum è trabe, in qua uirgo mater uisa est consistere. Odor mirus protinus arguebat esse rem oppidò sacram. Ego uerò tam insigne munus pronus & nudato capite, summa cum ueneratione terq; quaterq; exosculatus, reposui in crumenam. M E. Licet'ne uidere? O G. Per me quidem licebit. Cæterùm si iciunus non es, aut si nocte proxima fuit tibi res cum uxore, non suaserim ut uideas. M E. Ostende, nihil periculi. O G. En tibi. M E. O' te beatum isto munere. O G. Ego, ne sis insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum uniuerso auro Tagi: includam auro, sed sic ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus ubi me uidet tam religiosè gestientem eo munusculo, iudicans non indignum, cui maiora quoque committerentur, rogat num quando uidissem secreta Virginis. Ea uox me nonnihil commouit, non tamen ausus sum percontari, quæ diceret secreta Virginis. Siquidem in rebus tam sacris etiam linguæ lapsus non uacat periculo: Nego me uidisse, sed uidendi cupidissimum esse dico. Inducor iam uelut afflatus numine. Accenditur una atque altera tæda cerata, ostenditur imaguncula nec magnitudine, nec materia, nec opere præcellens, sed uirtute pollens. M E. Moles non multùm habet momenti ad edenda miracula. Vidi Christophorum Lutetiæ non hamaxiæum aut colossæum, sed monti iusto parem, nullis tamen illhic miraculis nobilem, quod quidem audierim. O G. Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud Latinos aut Græcos nomen inditum: Galli à buffone dederunt nomen, eò quòd buffonis effigiem sic

Auro Tagi. Tagus inter fluuios aurificos cõmemoratur.

Hamaxiæa, Græcis dicunt prægrandia, quasi quæ plaustri iustũ onus sint.

Colossi dicuntur imagines ad miraculũ usque grandes.

ſic exprimat, ut nulla ars idem poſsit efficere. Quoq; maius eſt miraculum, puſillus eſt lapillus, non prominet buffonis imago, ſed in ipſa gemma uelut incluſa pellucet. ME. *Fortaſſe imaginantur buffonis ſimilitudinem, quemadmodum in ſecta filicis ſtirpe imaginamur aquilam. Et quĕadmodum pueri, quid non uident in nubibus? dracones ignem ſpirantes, montes igni candentes, armatos concurrentes.* OG. *Imò ne ſis neſciens, nullus buffo uiuus euidentius exprimit ſeipſum, quàm illhic erat expreſſus.* ME. *Hactenus pertuli fabulas tuas, poſthac alium quære, cui perſuadeas de buffone.* OG. *Nihil mirum eſt Menedeme, te ſic affectum eſſe. Nec mihi quiſquam perſuaſurus erat, etiamſi totus ordo Theologorum aſſeueraſſet, niſi his oculis, biſce inquam oculis uidiſſem, intuitus eſſem, cõperiſſem. Sed interim mihi uideris ſatis incurius rerum naturalium.* ME. *Quamobrem? quia non credo uolare aſinos?* OG. *An non uides, quàm ludat artifex natura in omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, quum alijs quidem in rebus, ſed præcipuè in gemmis? déinde quàm admirandas uires gẽmis illis indiderit prorſus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras chalybem intactum à magnete attrahi, & rurſus ab codẽ depelli ſine contactu, niſi uidiſſes oculis?* ME. *Profectò nunquã etiam ſi decem Ariſtoteles mihi deieraſſent.* OG. *Ne protinus igitur fabuloſum clames, ſi quid audis nondum experimento compertum. In ceraunia fulminis uidemus imaginem, in pyropo uiuum ignem, in chalazia grandinis & ſpeciem, & rigorem, etiam ſi conijcias in medium ignem: in ſmaragdo*

In ceraunia. uide Plinium de gemmis.

pro

profundas ac pellucidas maris undas: carcinias cancri marini speciem imitatur, echites uiperæ, scarites scari piscis, hieracites accipitris, geranites gruis collum effictum exhibet: ægophthalmus caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: lycophthalmus lupi pingit oculum quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: cyameam nigram si aperias, fabam in medio reperies: drystes truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: cissites & narcissites hederam pingit, astrapias fulminis radios è medio candido seu cyaneo iaculatur: phlegontites incendium intus ostendit, quod non exeat: in anthracitide uideas scintillas quasdam discurrere: crocias croci colorem reddit, rhodites rhosæ, chalcites æris: aëtites aquilam exprimit, cauda candicante: taos pauonis picturam habet, chelidonia aspidis: myrmecites innatam habet formicæ repentis imaginem: cantharias scarabeum totum exprimit: scorpites scorpium mirè depingit. Sed quid ego hæc persequor, quæ sunt innumera, quum nulla sit naturæ pars uel in elementis, uel in animantibus, uel in plantis, quam illa ueluti lasciuiens non expresserit in gemmis? Miraris in hac gemma buffonem expressum? M E. *Miror naturæ tantum esse otij, ut sic ludat omnium rerum imitatione.* O G. *Voluit exercere curiositatem humani ingenij, nosq; uel sic ab otio propellere. Et tamen quasi nihil sit, quo fallamus tædium tẽporis, insanimus in moriones, in aleas, in præstigiarũ ludibria.* M E. *Verissima prædicas.* O G. *Addunt quidã non leues, hoc gemmarũ genus si admoueas aceto innatare motis etiam membris.* M E. *Quur*

buffonem

buffonem addunt Virgini? O G. *Quia hæc ſpurcitiem omnem, uirulentiam, faſtum, auaritiam, & quicquid eſt terrenarum cupiditatum, uicit, calcauit, extinxit.* M E. *Væ nobis qui tantum buffonum geramus in pectore.* O G. *Puri erimus, ſi ſedulò colamus Virginem.* M E. *Quomodo gaudet coli?* O G. *Gratiſſimum illi cultum præſtiteris, ſi fueris imitatus.* M E. *Numero dixiſti, ſed iſthuc perdifficile eſt.* O G. *Eſt ſanè, ſed idem pulcherrimum.* M E. *Age, perge quod cœperas.* O G. *Deinde commonſtrat aureas argenteaſq; ſtatuas. Hæc, inquit, uerè aurea eſt, hæc argentea inaurata: addit ſingulis pondus, pretium, ac doni autorem. Quum ad ſingula mirabundus gratularer Virgini tam beatam opulentiam, myſtagogus, Quoniam inquit, uideo te pium ſpectatorem, non arbitror æquum, ut te quicquam celem, uidebis quæ Virginis ſunt ſecretiſſima: ſimulq; depromit ex ipſo altari mundum rerum admirabilium, cuius ſingulas partes ſi pergam recenſere, dies hic non ſufficerit narrationi. Sic illa ſanè peregrinatio mihi feliciſſimè ceſſit. Expletus ſum affatim ſpectaculis, & hoc inæſtimabile donum mecum aufero, pignus ab ipſa uirgine datum.* M E. *Nullum'ne feciſti periculum quid ualeat lignum tuum?* O G. *Feci: in diuerſorio quodam ante triduum reperi quendam mente captum, cui iam parabantur uincula, lignum hoc ſuppoſitum eſt illius ceruicali clam ipſo, obdormijt ſomno profundo pariter ac prolixo, manè ſurrexit integræ mentis.* M E. *Non fuerat phreneſis, ſed paroenia fortaſſis. Huic malo ſolet mederi ſomnus.* O G. *Quum libebit iocari Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam; in diuos iocis ludere nec pium eſt,*

Numero dixiſti, id eſt, expeditè, & compendio.

Paroenia, id eſt, deliratio ex uino.

est, nec tutum. Imò uir ipse narrabat sibi in somnis appa-
ruisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi por-
rexerit. M E. *Elleborum opinor.* O G. *Isthuc incertum est,*
illud certissimum hominem mentis esse compotem. M E.
Præteristi Thomã Cantuariensem archiepiscopum? O G. *Thomas Cã-*
Minimè gentium. Nulla peregrinatio religiosior. M E. *tuariensis.*
Audire gestio, nisi molestum est. O G. *Imò te quæso, ut au-*
dias. Cantium dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Cantium.
Flandriam spectat. Huius metropolis est Cantuaria. In ea Cantuaria.
sunt duo monasteria penè cõtigua, utrunq; Benedictinos
habet. Id quod habet diui Augustini titulum, uidetur an-
tiquius: hoc quod nunc appellatur diui Thomæ, sedes ar-
chiepiscopi fuisse uidetur, ubi cũ paucis electis monachis
uitam ageret, quemadmodũ & hodie præsules habẽt ædes
ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorũ canonicorum
semotas. Olim enim ferè tum episcopi, tum canonici mo-
nachi erãt. Id arguunt manifesta rerũ uestigia. Templum
autem diuo Thomæ sacrum tanta maiestate sese erigit in
cœlum, ut procul etiam intuentibus religionem incutiat.
Itaq; nunc suo splendore uicini luminibus officit, & locũ
antiquitus religiosissimũ uelut obscurat. Turres sunt in-
gentes duæ, procul ueluti salutantes aduenas, miroq; no-
larũ ænearũ boatu longè lateq; regionẽ uicinam perso-
nantes. In uestibulo templi, quod est ad Austrum, stant sa-
xo sculpti tres armati, qui manibus impijs uirum sanctis-
simum trucidarunt, addita sunt gentis cognomina, Tusci,
Fusci, Berri. M E. *Quur tantum honoris habetur impijs?*
O G. *Videlicet idem honoris habetur ijs, quod habetur*
Iudæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum,

quos

quos operose sculptos uides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ causa. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac injiciat manus uel in episcopos, uel in possessiones ecclesiæ. Nam tres illi sacrilegi à peracto facinore uersi sunt in rabiē, nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi fauore. M E. O perpetuam martyrum clementiam. O G. Ingressis aperit sese spatiosa quædam ædificij maiestas. Ea pars quoslibet recipit. M E. Nihil'ne illhic uisendum? O G. Nihil præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Euangelium Nicodemi, & sepulchrum nescio cuius. M E. Quid deinde? O G. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant eius spatij, quod est inter extremam ædem & chori, quem uocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibus testudo quædam aperit ingressum ad latus Septentrionale. Illhic ostenditur altare ligneum diuæ Virgini sacrum, pusillum, nec ulla re uisendum, nisi monumento uetustatis, luxum hisce temporibus exprobrante. Illhic uir pius dicitur extremum uale dixisse Virgini, quum mors immineret. In ara est cuspis gladij, quo præfectus est uertex optimi præsulis, ac cerebrum confusum, uidelicet quò mors esset præsentior. Huius ferri sacram rubiginem amore martyris religiose sumus exosculati. Hinc digressi subimus cryptoporticū: ea habet suos mystagogos: illhic primùm exhibetur caluaria martyris perforata, reliqua tecta sunt argēto, sūma cranij pars nuda patet osculo. Simul ostenditur plumbea lamina Thomæ Acrensis titulum habens insculptū. Pendent ibidem in tenebris induſia

Cryptoporticus, id est, subterranea porticus, quæ paratur aduersus æstum solis.

induſia cilicina, cingula, ſubligariaq; , quibus antiſtes ille ſubigebat carnem ſuam , ipſo aſpectu horrorem incutiens tia , nobisq; mollitiem ac delicias noſtras exprobrantia. ME. Fortaſsis & monachis ipſis. OG. Iſthac de re nec affirmare poſſum , nec negare, nec refert quidem mea. ME. Vera narras. OG. Hinc redimus in chori locum. Ad latus ſeptentrionale reſerantur arcana, dictu mirum , quantum oſſium illhinc prolatum ſit, caluaria, mẽta, dentes, manus, digiti, integra brachia , quibus omnibus adoratis fiximus oſcula: nec erat futurus finis, niſi qui mihi tum comes erat eius peregrinationis parum cõmodus , interpellaſſet oſtendi ſtudium. MENE. Quis iſte? OG. Anglus erat nomine Gratianus Pullus, uir eruditus ac pius, ſed minus affectus erga partẽ hanc religionis, quàm ego uolebam. ME. Vicleuita quiſpiam, opinor. OG. Non arbitror , etiam ſi libros illius legerat , incertum unde nactus. MENED. Is offendit myſtagogum? OG. Prolatum eſt brachium adhuc carnem habens ſanguinolentam, huius oſculum exhorruit, ac uultu quoq; tædium quoddam præ ſe ferebat. Mox ſua recondidit myſtagogus. Hinc ſpectauimus altaris tabulam & ornamenta, mox quæ ſub altari fuerant recondita, opulenta omnia: diceres Midam & Crœſum fuiſſe mendicos, ſi ſpectares uim auri atque argenti. MENED. Hic nihil oſculorum? OG. Non, ſed aliud uotorum genus tetigit animum meum. MENE. Quodnam? OG. Suſpirabam domi meæ nihil eſſe talium reliquiarum. MENED. Sacrilegum uotum. OG. Fateor , & ſupplex ueniam precatus ſum à diuo prius, quàm pedem efferrem templo. Poſt hæc ducimur in ſacrarium. Deus bone, quæ illhic pompa ueſtium

holoſericarum, quæ uis candelabrorum aureorum? Ibidem uidimus pedum diui Thomæ. Videbatur arundo lamina argentea obuestita, minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius quàm uſq; ad cingulum. ME. Nulla crux? OG. Nullam uidi. Oſtenſum eſt pallium, holoſericum quidem, ſed craſſo filo, nullo auro, gemmis'ue inſigne. Aderat & ſudarium, ſudoris ex collo cõtracti manifeſtasq; ſanguinis notas retinens. Hæc uetuſtæ frugalitatis monumenta libenter ſumus exoſculati. ME. Iſta non oſtenduntur quibuslibet? OG. Nequaquam ô bone. ME. Vnde tibi tantum eſt habitum' fidei, ut nihil arcani celaretur? OG. Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P. Guihelmo Vuaramo archiepiſcopo, is me tribus uerbis commendauit. MENE. Ex multis audio uirum ſingulari præditum humanitate. OGY. Quin potius dicas ipſam eſſe humanitatem, ſi noris. Iam ea doctrina, ea morum ſynceritas, ea uitæ pietas, ut nullam abſoluti præſulis dotem in eo deſideres. Ab his igitur deduci mur ad ſuperiora. Nam poſt altare ſummum rurſus uelut in nouum templum aſcenditur. Illhic in ſacello quodam oſtenditur tota facies optimi uiri inaurata, multisq; gemmis inſignita. Hic caſus quidam inopinatus penè totam illam felicitatem interturbauit. MENED. Expecto quid mali dicas. OGY. Hic minimum inijt gratiæ comes meus Gratianus: Is à precatiuncula rogauit myſtagogum aſſeſſorem: Heus, inquit, bone pater, uerum'ne eſt quod audio, Thomam, dum uiueret, fuiſſe benigniſſimum erga pauperes? Veriſſimum, inquit ille. Cœpitq; multa de illius erga tenues beneficentia commemorare. Tum Gratianus, Non arbitror eum affectum in illo mutatum eſſe, niſi

nisi fortè in melius. Assensus est mystagogus. Rursum ille, Quum igitur uir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, quum adhuc pauper esset, & ipse præsidijs pecuniarum egeret ob corpusculi necessitatem, an non putas æquo animo laturum nunc, quum tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusq; præsidijs destitutum, precata ueniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam subleuandæ familiæ, uelut à uolente sumens uel dono uel mutuò? Ad hæc quum nihil responderet assessor capitis aurei, Gratianus, ut est uehemens, Ego, inquit, planè confido sanctissimum uirum etiam gauisurum, quòd mortuus quoq; suis opibus subleuaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra, Gorgoneis oculis nos obtueri: nec dubito, quin sputo conuicijsq; nos eiecturus fuerit è templò, nisi cognouisset nos ab archiepiscopo commendatos. Equidem utcunque placaui blandis uerbis iram hominis, negans Gratianum quicquã horum ex animo loqui, sed suo more ludere, simulq; drachmas aliquot deposui. M E. *Ego sanè tuam pietatem uehementer approbo. Verùm mihi nonnunquam seriò uenit in mentem, quo colore possint excusari à crimine, qui tantum opum insumunt templis extruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor in sacris uestibus, in uasis templi, deberi cultui solenni suam dignitatem, uolo & structuram habere maiestatem suam. Sed quorsum attinent tot baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ?*

quorsum organorum, quæ uocant, immensi sumptus? nec unicis interim contenti sumus: quorsum ille musicus hinnitus, magno censu conducendus, quum interim fratres & sorores nostræ, uiuaq; Christi templa situ fameq; contabescant? OG. In his quidem nemo uir pius ac prudens modum non desiderat: uerùm quoniam hoc uitium ex immodica quadam pietate nascitur, fauorem promeretur, præsertim quoties in mentem uenit diuersus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista ferè donantur à potentibus ac monarchis, deterius peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primùm habetur pro sacrilegio, deinde contrahunt manus suas qui dare solent, insuper & inuitantur ad rapinam. Igitur harũ rerum magis illi custodes sunt, quàm domini. Deniq; malim uidere templum sacra supellectile luxurians, quàm, ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quàm templis. ME. At legimus olim laudatos episcopos, quòd uasa sacra diuendiderunt, eaq; pecunia subuenerunt egenis. OG. Laudantur & hodie, sed laudantur tantùm, imitari nec licet nec libet, opinor. MEN. Remoror tuam narrationem. Nunc expecto fabulæ catastrophen. OG. Accipe, paucis expediam. Inter hæc prodijt summus ille mystagogus. MEN. Quis nam? abbas loci? OG. Mitram habet, census habet abbaticos, solo nomine caret, & Prior dicitur ob id, quòd Archiepiscopus abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat eius ditionis Archiepiscopus, idem erat & monachus. MEN. Equidem uel camelus appellari sustineam, si census esset abbate dignus. OG. Mihi quidem uisus est uir pius iuxtà & prudens,

neq;

neq; Scoticæ Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquũ sancti uiri corpus requiescere dicitur. M E. Vidisti ossa? O G. Id quidem fas non est, nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam theca contegit lignea, ea funibus sublata opes nudat inæstimabiles. M E. Quid audio? O G. Vilissima pars erat aurum, gemmis raris ac prægrãdibus collucebant, nitebant ac fulgurabant omnia: quædam superabant oui anserini magnitudinem. Ibi multa cum ueneratione circunstabant aliquot monachi, sublato tegumento adorauimus omnes. Prior candida uirga demonstrabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, pretium & autorem doni. Nam præcipuas monarchæ dono miserant. M E. Oportuit illum esse præditum insigni memoria. O G Y. Rectè coniectas, quanquàm iuuat & exercitatio, frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in cryptoporticum. Illhic domicilium habet Virgo mater, sed subobscurum, semel atq; iterum ferreis cancellis circunsepta. M E. Quid metuit? O G. Nihil, opinor, nisi fures. Nec enim unquam uidi quicquam diuitijs onustius. M E. Cæcas mihi diuitias narras. O G. Admotis lucernis uidimus plus quàm regale spectaculum. M E. Vincit opibus Parathalassiam? O G. Specie longè superat, abstrusa nouit ipsa. Hæc non ostenditur, nisi magnatibus aut præcipuis amicis. Postremò reducimur in sacrariũ, illhic detractum est scrinium nigro contectum corio, depositum est in mensam, apertum est, mox omnes flexis genibus adorarunt. M E. Quid inerat? O G. Fragmenta quædam linteorum lacera, pleraque mucci uestigium seruantia. His, ut aiebant, uir pius extergebat sudorem à facie siue collo,

pituitam à naribus, aut si quid esset similium sordium, quibus non uacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursum non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo, & noto, nec mediocris autoritatis uiro Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens sese munus longè gratissimum offerre. Sed Gratianus hîc parum gratus, non sine fastidij significatione digitis contrectauit unum, & contemptim reposuit, porrectis labijs, ueluti popysmum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod tamen contemnendum esse iudicaret. Meum animum simul & pudor, & timor discruciabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factum, nos que post oblatum uini poculum humaniter dimisit. Quum rediremus Londinum. M E N E. Quid oportuit, quum iam non procul abesses à littore tuo? O G. Sic est.

Littus Angliæ rapinis infame.

Sed ego littus illud perquàm lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis quàm ullæ sunt Maleæ naufragijs. Dicam quod proxima uidi traiectione. Complures à littore Caletiensi scalmo deuehebamur ad nauem maiorem. In his erat Gallus quidam iuuenis, pauper ac pannosus. Ab hoc exigunt dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent è singulis ob breuissimam uectationem. Ille excusabat paupertatem, isti per iocum explorant scilicet, ac detractis calceis inter suppactas soleas reperiunt decem aut duodecim drachmas, eas cripiunt palàm ridentes, & conuicijs ludentes in sceleratum Gallum. M E N E. Quid iuuenis? O G. Quid aliud? Flebat. M E. Num ex autoritate faciebant ista? O G. Prorsus eadem, qua fiuntur sarcinas hospitum, qua tollunt crumenas, si quando

datur

datur opportunitas. ME. Mirum est istos tantum audere facinus, tot testibus conscijs. OG. Sic assueuerunt, ut rectè fieri putent. Spectabāt è maiore naui cōplures in cymba, aderant aliquot Angli negotiatores, qui frustra obmurmurabant. Illi uelut in re faceta gloriabantur deprehensum sceleratum Gallum. ME. Ego istos maritimos fures ludens ac iocans subigerem in crucem. OG. Atqui talibus scatet utrunq; littus. Hic mihi coniecta, Quid domini faciant, ausint quum talia fures? Proinde posthac quaslibet ambages malim, quàm illud compēdium. Ad hæc quemadmodum ad inferos facilis descēsus, sed reditus difficilimus, ita per hoc littus ingressus non admodùm facilis, exitus difficilimus est. Hærebant Londini nautæ aliquot Atuerpienses, cum illis decreueram me mari committere. ME. Habet ea regio nautas adeò sanctos? OG. Vt simia semper est simia, fateor, ita nauta semper est nauta: uerum si ad hos conferas qui rapto uiuere didicerunt, angeli sunt. ME. Meminero, si quando me quoque libido ceperit eam insulam inuisendi. Sed in uiam redi, unde te deduxi. OG. Ergo Londinum petentibus haud procul à relicta Cantuaria, occurrit uia uehementer caua simul & angusta, præterea à decliuis sic utrinque abrupto aggere, ut non possis effugere: nec uitari potest, quin hàc facias iter. Ad eius uiæ læuum latus est mendicabulum aliquot seniculorum: ab ijs procurrit aliquis, simulatq; sentiunt aduenientem equitem, conspergit aqua sacra, mox offert calcei summam partem obunctam æreo circulo, in quo uitrum est gemmæ specie. Exosculati dant nummulum. ME. In eiusmodi uia malim mendicabulum seniculorum, quàm gregem ua-

lentium latronum. OG. Gratianus equitabat mihi siniſter, propior mendicabulo: conſperſus eſt aqua, tulit utcunq;. Vbi porrigeretur calceus, rogabat quid ſibi uellet. Ait

Calceus D. Thomæ. calceum eſſe S. Thomæ. Incanduit homo, & ad me uerſus, Quid, inquit, ſibi uolunt hæ pecudes, ut oſculemur calceos omnium bonorum uirorum? Quin eadem opera porrigunt oſculandum ſputum, aliaq; corporis excrementa? Miſerebat me ſeniculi, datoq; nummulo conſolatus ſum triſtem. ME. Mea ſententia, non omnino præter cauſam incanduit Gratianus. Si calcei ſoleæq; ſeruarentur, ut argumentum frugalis uitæ, non improbarem: cæterum impudens mihi uidetur, ſoleas, calceos, & ſubligaria cuiquam oſculanda obtrudere. Nam ſi quis id ſua ſponte faciat ex ingenti quondam pietatis affectu, uenia dignum arbitrer. OG. Præſtabat iſta non fieri, ne quid diſſimulem: uerùm ex his rebus quæ ſubitò corrigi non poſſunt, ſoleo ſi quid

Viri boni ac mali compa- ratio. illa contemplatio, uirum bonum eſſe ſimilem oui: malum, noxiæ beſtiæ. Vipera poſteaquàm periit, mordere quidem non poteſt, odore tamen ſanieq; inficit: ouis quum uiuit, lacte nutrit, lana ueſtit, fœtura ditat: mortua porrigit utile corium, totaq; eſculenta eſt. Itidem uiri feroces, & huic mundo dediti, dum uiuunt, omnibus incommodi ſunt, mortui ſtrepitu nolarum, ambitioſa ſepultura moleſti ſunt uiuis, nonnunquam & ſucceſſorum inauguratio- nibus, hoc eſt nouis exactionibus: probi uerò nulla non ex parte magnam omnibus de ſe præbent utilitatem. Velut hic diuus, dum in uiuis eſſet, exemplo, doctrina, monitis ad pietatem inuitabat, conſolabatur deſtitutos, ſub-

leuabat

leuabat egenos: ac mortui penè maior utilitas. Extruxit hoc locupletißimum templum, ſacerdotum ordini per uniuerſam Angliam plurimum autoritatis conciliauit. Hoc denique calcei fragmentum alit egenorum conuenticulum. ME. Eſt quidem iſta pia contemplatio: ſed demiror te, quum iſto ſis animo, nunquàm inuiſiſſe antrum S. Patricij, de quo prodigioſa quædam uulgò iactant, nec mihi ſatis ueriſimilia. OG. Imò nulla hîc tam prodigioſa poteſt eſſe narratio, quin res ipſa ſuperet. ME. Ergo illhuc quoque penetraſti? OG. Enauigaui paludem uerè Stygiam, deſcendi in fauces Auerni, uidi quicquid apud inferos geritur. ME. Bearis me, ſi nõ grauaberis referre. OG. Sit hoc colloquij noſtri proœmium, ſatis, ut arbitror, prolixum. Eo domum, ut iubeam adornari cœnam: nam adhuc impranſus ſum. ME. Quur impranſus? num religionis gratia? OG. Minimè, ſed inuidiæ cauſa. ME. Num inuides uentri tuo? OG. Imò rapacibus cauponibus, qui quum nolint quod æquum eſt apponere, tamen non uerentur ab hoſpitibus quod iniquum eſt exigere. Eos ſic ulciſci ſoleo. Si ſpes datur cœnæ lautioris uel apud notũ, uel apud pandocheum paulò minus ſordidum, in prandio laborat mihi ſtomachus. Sin prandium obtulit fortuna quale uolo, ſub cœnam incipit dolere ſtomachus. MENED. Non pudet uideri parcum ac ſordidum? OG. Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, male collocant ſumptum. Ego meum pudorem alijs uſibus ſeruare didici. MENE. Iam ſitio reliquum fabulæ: quare me in cœna expecta conuiuam, ibi narrabis commodius. OG. Equidem habeo gratiam,

Sancti Patricij antrum.

quòd ultro temet offers conuiuam, quum multi uehementer rogati pernegent: sed hæc tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Cæterum habeo consilium utrique nostrum commodius: Cras mihi uxoriq; meæ domi tuæ adornato prãdium, tum uel usque ad cœnam proferentur fabulæ, donec te fatearis iam esse saturum, & si uolcs, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? TU para, nos bona fide ueniemus. ME. Malim incmptas fabulas. Verùm agè prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias. OG. Sed heus tu, non'ne titillat te animus, ut has peregrinationes obeas? ME. Fortasse titillabit, ubi tu peroraueris: nunc ut affectus sum, sat habeo stationes obire Romanas. OG. Romanas, qui Romam nunquàm uideris? ME. Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclaue, curoq; ut salua sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam, contemplor quid agant famuli famulæq; : inde in culinam circunspiciens, si quid opus sit admonitu: hinc aliò atq; aliò, obseruans quid agant liberi, quid uxor, solicitus ut omnia sint in officio. Hæ mihi sunt stationes Romanæ. OG. At ista pro te curaret diuus Iacobus. ME. Vt ipse curem ista, præcipiunt sacræ literæ: ut diuis committam, nusquam legi præceptum.

Stationes Romanæ.

ΙΧΘΥΟΦΑΓΙΑ.

LANIO, ET SALSAMENTARIVS.

LA. Dic mihi insulsissime Salsamentarie, nondum emisti restim? SAL. Restim Lanio? LA. Ita restim. SAL. Cui tandem rei? LAN. Cui, nisi suspendio? SAL. Emant alij, me nondum usquecadeò tædet huius uitæ. LA. At bre-

ui tcd

ui tædebit. SAL. In uatem ipsum ista uertat Deus aliquis potius. Sed quid est mali? LA. Si nescis, dicam. Instat tibi tuisq; planè Saguntina, quod aiunt, fames, ut res prorsus sit uobis ad laqueum reditura. SAL. Bona uerba Lanio. Ista sint hostibus nostris. Vnde nobis ex Lanio repentè prodisti Pythius quispiam, ut diuines tantam calamitatem? LAN. Non est diuinatio, ne tibi blandiaris, res ipsa adest in foribus. SAL. Enecas, ede rem si quid habes. LAN. Edam tuo magno malo. A' Romano senatu euenit edictum, ut posthac liberũ sit cuiq; uesci quibus uelit. Quid igitur tibi tuoq; ordini restat, nisi bulimia cum putribus salsamentis? SAL. Per me quidem uel limacibus, uel urticis uescatur, qui uolet. At num interdictum est cuiquam, ne uescatur piscibus? LA. Non, sed data potestas uescendi carnibus quibus fuerit collibitum. SAL. Siue uana prædicas, tu potius dignus es suspendio: siue uera, tibi potius parandus funis. Nam mihi posthac spero quæstum uberiorem. LAN. Imò prouentum uberrimum, sed esuritionis usq; ad saturitatem: aut si mauis audire lætiora, posthac longè mundius uiues, neq;, quod soles, cubito nasum emunges pituitosum & scabie fruticantem. SA. Ohe uenimus ad summum, cæcus conuicia iacit in luscum, quasi uerò quicquam apud lanionem purius sit ea parte corporis, quæ dicitur semper lotione superior. Vtinam uerum esset quod annuntias, at uereor ne me conijcias in falsum gaudium. LA. Tibi quidem nimium uera nuntio. Sed unde tibi quæstum promittis uberiorem? SAL. Quoniam eò uideo recidisse mores hominum, ut quod uetitum sit, impotentius appetant. LAN. Quid tum posteà?

Cubito nasum. extat iocus Ciceronis, in falsa mētarii filium.

Venimus ad summum. Dere extremę impudentię. Sic Horatius.

Lotione superior, quia subinde inquinat, de quo dictum est alias.

SA.

S A. *Quia plures abstinebunt ab esu carnium, ubi permissa est uescendi potestas, nec ullum erit lautum conuiuium absque piscibus, quemadmodum apud priscos fieri consueuit. Itaq; carnium esum permissum gaudeo, utinam & piscium esus esset interdictus, auidius his uescerentur homines.* L A. *Pium mehercule uotum.* S A. *Hoc optarem, si, quod tu facis, nihil aliud spectarem quàm pecuniæ lucrum, cuius amore tu crassam istam & carniuoram animam dijs manibus deuouisti.* L A. *Salsius es totus, quam insulsa sit oratio.* S A. *Quæ ratio commouit Romanos, ut tot seculis obseruatam legem carnariam relaxarint?* L A. *Nimirum hoc ipsa res iandudum illis persuasit. Reputant id quod est, per salsamentarios inquinari ciuitatem, infici terram, flumina, aërem, & ignem, & si quod aliud est elementum, corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri pluribus humoribus: hinc febres, tabes, podagræ, epilepses, lepræ, & quid non malorum?* S A. *Dic igitur mihi Hippocrates, quur in ciuitatibus bene institutis uetitum est intra mœnia mactare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti ciuium, si nec pecudes iugularentur. Quur lanijs describitur certus locus, ne si passim uiuant, totam urbem reddant pestilentem? An est ullum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieq; pestilentius?* L A. *Aromata mera sunt, si ad piscium putorem conferas.* S A. *Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt, at non idem uisum magistratibus, qui uos ab urbe submouent. Porrò quàm suauiter oleant uestræ istæ lanienæ, declarant ij qui naribus obturatis prætereunt: declarant uulgò, qui malunt habere uicinos*

Dijs manibus: id est, inferis: sic Decius & Q. Curtius se dijs manibus deuouerunt.

Tabes, quam φθίσιν Græci.

Epilepsis, morbus comitialis.

uicinos decem lenones, quàm unum lanionem. LA. At uobis ad abluenda putria salsamenta, nec lacus nec amnes toti sufficiunt: uereq; quod dici solet, inaniter aquã consumitis. Semper enim piscis piscem olet, etiam si unguentis oblinas. Quid autem mirum, mortuos sic olere, quum pleriq; uiui mox ut capti sunt oleant? Carnes muria conditæ seruantur multos in annos, adeò non putentes, ut aromaticum quiddam redoleant. Rursus uulgari sale conditæ durant absque fœtore. Duratæ fumo uentóue nihil molesti odoris contrahunt. Hæc omnia, si pariter adhibeas pisci, nihil aliud quàm piscem olebit. Vel hinc conijce, nullum esse potorem cum piscium fœtore conferendum, quòd ab his putrefit etiam ipse sal, in hoc à natura datus, ut à rebus arceat putrefactionem, dum genuina ui claudit constringitq;, simul & excludens quod extrinsecus noxam afferre possit, & humores intus unde putrefactio poterat oriri desiccans, in solis piscibus sal non est sal. Nostras ædes fortassis aliquis delicatior præteriens obturat nares, at nemo sustinet in cymba sedere, in qua uestra sunt salsamenta. Viatori si quando occurrunt plaustra onusta salsamentis, quæ ibi fuga? quæ narium obturatio? quæ sputa? quæ excreatio? Et si quà fieri possit, ut salsamenta pura in urbem aduecherentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, lex non dormiret: nunc quid facias ijs, quæ putria sunt etiam quum comeduntur? Et tamen quoties uidemus ab Agoranomis damnatas merces uestras conijci in flumen, uobis indicta mulcta? Id uerò sæpius etiam fieret, nisi illi corrupti per uos magis spectarent priuatum commodum, quàm publicam salutem

Muria, siue muries, est aqua salsamentorum.

Agoranomi, præfecti foris in quibus uendãtur esculenta.

salutem. Nec hac tantùm parte nocetis reipub. sed impia conspiratione uetatis, ne aliunde pisces recentiores aduehantur in ciuitatem. SA. *Quasi uerò nullus unquam uiderit mulcta percussum lanionem, quòd porcum insyncerum, & linguæ maculis lepræ uitium profitentem uendiderit, aut quòd ouem aquis cœnoue suffocatam, aut alioqui uerminātes armos, lotione & circumlito recenti cruore uitium dissimularit.* LAN. *Atqui nullum ex nobis tale extat exemplum, quale nuper ex uobis: ex unica anguilla crusto panis incocta, periere nouem conuiuæ. Talibus obsonijs uos instruitis mensas ciuium.* SAL. *Casum narras, qui nemini uitari possit, si fortuna uelit. At uobis penè quotidianum est, pro cuniculis altiles feles uendere, pro leporibus canes, si per auriculas & pedes hirsutos liceret. Quid autem commemorem artocrea ex humanis carnibus confecta?* LAN. *Tu quod in me damnabas, casus & hominum uitia mihi opprobras, tueantur ista qui committunt: ego quæstum cum quæstu confero. Alioqui damnentur & olitores, quòd interdum imprudentes pro caule uendant cicutam aut aconitum: damnentur & pharmacopolæ, quòd interdum pro remedijs porrigunt uenena. Nulla est ars tam inculpata, quin isthæc incidant mala. Vos quum omnes officij numeros impleueritis, uenenum est quod uenditis. Si torpedinem, si hydrum, si leporem marinum retibus admistum cum cæteris uenderetis, casus esset, non crimen: nec magis imputari poterat uobis quàm medico, qui nonnunquam occidit ægrum quem curat. Ferri poterat hoc malum, si mensibus duntaxat hybernis extruderetis uestra purulenta: rigor temporis mi-*

Torpedo, piscis letalis contactu.

Hydrus, serpēs aquatilis.

Lepus, piscis, homini præsentissimum & immedicabile uenenū, & homo pisci, adeò ut hominis cōtactu solo moriatur.

tigaret

tigaret pestilentiam. Nunc æstatis incendio putrem additis materiam, autumnũ per se nocentem redditis nocentiorem. Quumq; iam se renouat annus, & humores conditi sese rursus proferunt, non absq; corporum periculo, ibi uos totos menses duos tyrannidem occupatis, & anni renascentis infantiam accersito senio uitiatis. Quumq; hoc meditetur natura, ut corpora succis insalubribus repurgata, nouis succis repubescant, uos ingeritis meros putores merasq; sanies, & si quid est in corporibus uitij augetis malum malo adijcientes, & bonos insuper corporis succos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoque, si tantùm corpora uitiaretis: nunc quoniam ex ciborum differentijs uitiantur animorum organa, fit ut ipsi uitientur animi. Tales ferè uideas homines istos pisculentos, quales sunt ipsi pisces, pallent, olent, stupent, muti sunt. SA. O nouum Thaletem. Quid igitur sapiunt qui betis uictitant? nimirùm quantum ipsæ betæ. Quid sapiunt qui boues, & oues, & capras deuorant? nimirum quòd boues, oues, & capræ. Vos hœdos pro delicijs uĕditis, & tamen hoc animal ut est morbo comitiali obnoxium, ita gignit eundem morbum in his qui gaudent esu carnium. An non præstabat falsamentis placare latrantem stomachum? LA. Quasi solum hoc mentiti sint rerum naturalium scriptores. Et si maximè uerum sit, quod narrant, corporibus morbo obnoxijs sæpe quæ per se optima sunt, pessima sunt. Hecticis ac phthisicis uendimus hœdos, non uerti-ginosis. SA. Si piscium esus tantam perniciem adfert rebus mortalium, quur nobis præsulum ac principum sententia licet toto anno nostras merces diuendere, uobis bonam

Hectici, qui perpetua laborent febri, iam in habitum acta.

Phthisici, qui contabescũt & exarescunt.

Vertigo capitis est præludiũ ad morbum comitialem. Hœdus autem dicitur esse obnoxius ei morbo, & carnes inimicæ ad id propensis mali.

anni

anni partem indictæ sunt feriæ? LA. Istud quid mea refert? Fortassis hoc procuratum est à malis medicis, quò quæstus ipsis esset uberior. SA. Quos malos medicos mihi commemoras, quum nulli sint piscibus hostes æquè capitales? LA. Ne quid erres ô bone, non faciunt hoc studio uestri, nec amore piscium, quum ab his nulli religiosius abstineant, suum agunt negotium. Quò plures tussiunt, languent, ægrotant, hòc illis annona benignior est. SA. Medicis hic non patrocinabor, ipsi suam uicem ulciscentur, si quando in casses illorum incideris. Mihi pro mea causa sufficit ueterum sanctimonia, uitæ probatissimorum autoritas, episcoporũ maiestas, publica Christianarum gentium consuetudo, quos omnes si damnabis insaniæ, malo cũ illis insanire, quàm cum lanijs esse sobrius. LA. Tu recusas patronus esse medicis, ego nolim esse criminator aut censor ueterum, publicæ ue consuetudinis. Ista uenerari soleo, non incessere. SA. Isto quidem nomine cautus es uerius, quàm pius lanio, nisi te prorsus non noui. LA. Meo iudicio sapiunt, qui cauent, ne quid habeant rei cum his qui fulmen habent in manibus. Attamen quid ex meis Biblijs, quæ populari lingua uersa nonnunquam lego, sentiam, non tacebo. SA. Vt nunc fies ex lanione Theologus. LA. Arbitror primos illos homines simulatq; ex uda argilla prodierunt, fuisse corpore salubri ac succulento. Id declarat illorum uiuacitas. Deinde paradisum fuisse locum multo commodissimum situ cœloq; saluberrimo. Tali loco talia corpora, uel aëris haustu, herbarum, arborum ac florum undiq; aspirantium fragrantia, citra cibum ullum potuisse uiuere, præsertim quum

ultro

ultro citra sudorem hominis affatim tellus effunderet omnia, nec morbus esset ullus, nec senium. Cultus enim talis horti uoluptas erat uerius, quam labor. SAL. Adhuc uerisimilia prædicas. LA. Ex tam uario horti feracissimi prouentu, nihil interdictum est præter unicam arborem. SA. Verissimum est. LA. Idq; non ob aliud, nisi ut per obedientiam agnoscerent dominum & conditorem suum. SA. Recte. LA. Quin & illud arbitror, recentem terrã omnia progenuisse feliciora meliorisq; succi, quàm nunc gignit senescens ac propemodum effœta. SA. Esto. LA. Idq; præcipuè in Paradiso. SA. Haud dissimile ueri. LA. Illhic igitur uesci, uoluptatis erat, non necessitatis. SA. Audiui. LA. Et abstinere à laniandis animantibus, humanitas erat, non sanctitas. SA. Nescio. Animantium esum à diluuio permissum lego, prius interdictũ non lego. Quorsum autẽ attinebat permittere, si iam permissus erat? LA. Quare non uescimur ranis? Non quia uetitæ, sed quoniam abhorremus. Quî scis, an Deus illhic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quem permitteret? SA. Non sum ariolus. LA. Atqui in ipso statim conditi hominis initio legimus: Dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animalibus quæ mouentur super terram. Quis usus dominij, si uesci non licet? SAL. O crudelem herum. Itáne deuoras seruos & ancillas, tuos liberos & uxorem? Quin eadem opera uesceris matula tua, cuius dominus es? LAN. Sed audi uicissim insulse salsamentarie: Eì cæteris usus est, nec est inane dominij nomen. Equus uehit me tergo, camelus gestat sarcinas: è piscibus uerò quis usus, nisi uescaris?

S A. Quasi uerò non sint innumera ex piscibus remedia. Deinde multa sunt in hoc tantùm condita, ut delectent hominem contemplantem, & in conditoris admirationem rapiant. Fortè non credes delphinos hominem tergo uehere. Deniq; sunt pisces, qui nobis prædicant imminere tempestatem, uelut echinus. An non talem seruum optares domi tuæ? L A. Verùm ut hoc largiamur, ante diluuium non fuisse fas uesci cibis, præterquàm terræ frugibus, nihil magni erat abstinere ab ijs quæ non requirebat corporis necessitas, & habebant laniandi crudelitatem: illud fateris, animantium esum initio permissum ob humanorum corporum imbecillitatem. Frigus induxerat diluuium: & hodie uidemus in regionibus frigidis nasci homines cæteris edaciores. ac terræ prouentū uel extinxerat, uel corruperat inundatio. S A. Esto. L A. Et tamen à diluuio præteribant annum ducentesimum. S A. Credo. L A. Quur igitur Deus quod illis robustis citra exceptionē permisit, pòst imbecillioribus æuiq; cōtractioris astrinxit ad certa animantium genera, quemadmodum præcepit Moses? S A. Quasi meum sit eorum quæ Deus gerit, rationem reddere. Arbitror tamen hoc tum feciſſe Deum, quod solent heri, qui contrahunt indulgentiam in seruos, ubi uident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus satis ferocienti subducimus fabas & auenam parcoq; fœno pascimus, frænoq; & calcaribus asperioribus subigimus. Excusserat hominum genus omnem reuerentiam, in tantamq; licentiam sese effuderat, quasi nullus omnino Deus esset. Hic inuenti sunt legis cancelli, ceremoniarum repagula, minarum ac præceptorum fræna, quòd uel sic resi

Velut echinus, piscis est, spinas habēs propedib⁹, hic imminente tempestate affigit sese, aut saburrat arena.

resipiscerent. LA. Quin igitur manent hodie legis illius repagula? SA. Quia sublata est carnalis seruitutis asperitas, posteaquàm per Euangelium adoptati sumus in filios Dei. Detractum est præceptis, ubi contigit uberior gratia. LAN. Quum Deus appellet suum testamentum sempiternum, quumq; Christus negarit se soluere legem, sed consummare, qua fiducia posteriores ausi sunt bonam legis partem abrogare? SA. Gentibus ea lex data non erat, & ideo uisum est Apostolis, eas non onerare circunciſionis molestia, ne quod Iudæi faciunt & hodie, in corporalibus obseruationibus constituerent salutis spem potius, quàm in fiducia & charitate erga Deum. LAN. Omitto gentes. Quæ scriptura manifestè docet, Iudæos si professionem Euangelicam fuerint amplexi, manumissos esse à Mosaicæ legis seruitute? SA. Quoniam id fore prædictum erat à prophetis, qui promittunt testamentum nouum, & cor nouum, inducuntq; Deum abominantem festos Iudæorum dies, auersantem illorum uictimas, detestantem ieiunia, reijcientem donaria, desiderantem populum circunciſo corde. Confirmauit illorum promissa Dominus ipse, qui porrigēs discipulis corpus & sanguinem suum, appellat testamentum nouum. Si nihil abolctur de ueteri, quur hoc dicitur nouum? Ciborum Iudaicum delectum non exemplo quidem, sed sententia sua abrogauit Dominus, quum negat hominem inquinari cibis qui mittuntur in stomachum, & per secessum repurgantur. Docet idem Petrum conspecta uisione, imò Petrus ipse cum Paulo cæterisq; uescens cibis communibus, à quibus lex præceperat temperari. Agit hoc ubiq; Paulus in suis epi

stolis, nec dubitatur, quin quod hodie sequitur populus Christianus, ab apostolis ueluti per manus traditum ad nos deniq; peruenerit. Itaq; non tam manumissi sunt Iudæi, quàm à legis superstitione uelut à lacte consueto quidem & familiari, sed iam intempestiuo depulsi. Neq; lex abrogata est, sed ea pars iussa est cedere, quæ iam erat otiosa. Frondes & flores pollicentur fructum exoriturum, is ubi grauat arborem, nemo flores desiderat. Neque quisquam deplorat perisse filij sui pueritiam, ubi iam ad ætatem maturam peruenit. Neq; quisquam requirit lucernas & funalia, ubi se terris deprompsit sol. Nec habet quod queratur pædagogus, si filius iam puber suã libertatem sibi uindicat, ac pædagogum in sua uicissim habet potestate. Pignus desinit esse pignus, ubi promissa sunt exhibita. Sponsa prius quàm deducatur ad sponsum, epistolijs ab illo missis sese consolatur, exosculatur munuscula ab illo uenientia, picturas illum referentes amplectitur: cæterùm ubi iam ipsius sponsi data est copia, præ huius amore negligit illa prius adamata. At Iudæi primùm ægrè diuellebantur à consuetis, uelut si puer assuetus lacti iam grandis mammam inclamet, cibũ solidum fastidiens. Itaq; propémodum ui depulsi sunt ab illis uel figuris, uel umbris, uel tẽporarijs solatijs, quò se iam totos conuertunt in eum, quem lex illa promiserat & adumbrarat. LA. Quis expectarat tantũ Theologiæ à falsamentario? SA. Soleo pisculentum cõmeatum suppeditare nostræ ciuitatis Dominicano collegio: itaq; fit, ut illi frequẽter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum conflictationibus hæc decerpsi. LA. Næ tu

dignus

dignus es, qui ex salsamentario fias piscium recentium uenditor. Verùm illud expedi: Si Iudæus esses, neque mihi satis liquet an sis, & immineret ex fame certũ uitæ periculum, uescereris carne suilla, an mortẽ præoptares? S A. *Quid facturus essem, scio: quid mihi faciendum esset, nondum intelligo.* L A. *Deus utrunque uetuit, non occides, & non uescēris carne suilla. In tali casu utrum præceptum utri par est cedere?* S A. *Primùm non constat, an hoc animo Deus uetuerit uesci suilla, ut mortem uellet oppeti potius quàm esu uitæ consuli. Nam ipse dominus excusat Dauid, qui contra legis præceptum comederit sacros panes. Et in exilio Babylonico multa non obseruata sunt à Iudæis quæ lex præscripserat. Proinde censerem eam legem, quam ipsa quoq; natura tulit, coq; perpetua est & inuiolabilis, debere potiorem haberi ea, quæ neq; semper fuit, & pòst erat abroganda.* L A. *Quur igitur laudati sunt fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari, quàm carnem gustare suis?* S A. *Opinor, quoniam hic esus à rege præscriptus complectebatur totius patriæ legis abnegationem, quemadmodum circuncisio, quam Iudæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis professionem, non aliter quàm arra data ad uniuersum contractum præstandum obligat.* L A. *Itaq; si crassior illa legis pars post exortam Euangelij lucem rectè sublata est, quo consilio nunc uidemus uel eadem, uel his grauiora reuocari, præsertim quum Dominus iugum suum appellet suaue, & Petrus in Actis Apostolorum, Iudæorum legem appellet duram, quam nec ipsi ferre potuerint, nec patres ipsorum? Sublata est circuncisio, sed*

succeßit baptiſmus, duriore propè dixerim conditione. Illa differebatur in octauum diem, & ſi quis interim caſus intercepiſſet puerum, uotum circunciſionis pro circunciſione imputabatur: nos pueros uix dum à latebris uteri materni egreſſos in frigidam aquam, quæq; diu in alueo ſaxeo conſtitit, non enim dicam computruit, totos immergimus: & ſi uel primo die, atque adeò in ipſo partus oſtio perierit, nulla parentum aut amicorum culpa, deditur miſer æternæ damnationi. SA. *Sic aiunt.* LAN. *Sublatum eſt ſabbatum, imò non ſublatum eſt, ſed tranſlatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorũ dierum ieiunia indixit lex Moſaica, nos illis quãtum addidimus numerum? In delectu ciborum quantò liberiores Iudæi nobis, quibus licebat uel totum annum ueſci ouibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum ueſtis genus erat interdictum, præter eam quæ eſſet lana linoq; contexta. Nunc præter tot ueſtium præſcriptas & interdictas formas & colores, acceßit capitis raſura, eaq; uaria: ne cõmemorem interim confeßionis onus, & conſtitutionum humanarum ſarcinas, decimationes non ſimplices, aſtrictum arctioribus uinculis matrimonium, nouas affinitatis leges, aliaq; permulta, quæ faciunt, ut hac parte non paulò commodior uideatur fuiſſe Iudæorum, quàm noſtra conditio.* SA. *Erras tota uia Lanio: Chriſti iugum non æſtimatur ad iſtam regulam, quam imaginaris. Pluribus aſtringitur Chriſtianus, & aſtringitur ad difficiliora, denique ad pœnam grauiorem: ſed his adiuncta copioſior uis fidei & charitatis facit ea ſuauia, quæ natura ſunt grauißima.* LA. *Atqui quũ olim ſpiritus ſpecie linguarũ*

ignea

ignearum è cœlo delapsus, copiosissimo dono fidei & charitatis locupletarit credentiũ pectora, quur detractum est legis onus, uelut imbecillibus ac sub iniqua sarcina periclitantibus? Quur Petrus iam afflatus spiritu uocat onus intolerabile? S A. Detractum est ex parte, ne Iudaismus, ut cœperat, obrueret Euangelij gloriam, & ne legis odio gentes alienarentur à Christo, inter quas erãt infirmi plurimi, quibus instabat duplex periculum: alterum ne crederent, sine legis obseruatione neminem posse salutem consequi: alterum ne potius haberent in paganismo manere, quàm Mosaicæ legis iugum accipere. Horum imbecilles animos oportebat uelut esca quadam libertatis allicere. Rursus quò mederentur illis, qui negabant ex Euangelij professione salutis esse spem citra legis obseruationem, circuncisionem, sabbatismos, delectus ciborũ, aliaq; id genus aut prorsus sustulerunt, aut in aliud uerterunt. Porrò quòd Petrus negat se legis onus portare potuisse, non est referendum ad eam personam, quam tum gerebat, quum illi iam nihil esset intolerabile, sed ad crassos & infirmos Iudæos, qui non sine tædio arrodebant hordei tunicam, nondum gustata spiritus medulla. L A. Satis tu quidem crasse disseris. Atqui mihi uidetur & hodie non minus esse causarum, quur obseruationes istæ carnales hactenus tolli debeant, ut arbitrariæ sint, non obligatoriæ. S A. Quî sic? L A. Nuper in linteo quodam amplissimo uidi totum orbem depictum. Illhic didici quantula esset mundi portio Christi religionem purè syncereq; profitens: nimirũ Europæ particula uergens ad occidentem, rursus altera uergens ad Septentrionẽ, tertia tendẽs,

Hordei tunicã. Alludit ad allegoriã parabolæ de quinque panibus hordeaceis.

sed procul, ad Meridiem: ad Orientem uergentis quartæ postrema uidebatur Polonia. Reliquus orbis aut Barbaros habet, non ita multùm à brutis animantibus differentes, aut schismaticos, aut hæreticos, aut utrunque. S A. At non uidisti totum illud littus Austrinum, & sparsas insulas Christianis insignibus notatas? L A. Vidi, didiciq; illhinc auectas prædas, Christianismum inductum non audiui. Quum igitur tam ampla sit meßis, uidetur hoc esse consultißimum ad religionem Christianam propagandam quemadmodum apostoli sustulerunt onus legis Mosaicæ, ne gentes resilirent: ita nunc ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus initio seruatus est orbis, & nunc seruari posset, modò adsit fides & charitas Euangelica. Rursus audio uideoq; plurimos esse, qui in locis, uestibus, cibis, ieiunijs, gesticulationibus, cantibus, summam pietatis constituunt, & ex his proximum iudicant, contra præceptum Euangelicum. Vnde fit ut quum omnia referantur ad fidem & charitatem, harum rerum superstitione extinguatur utrunque. Procul enim abest à fide Euangelica, qui fidit huiusmodi factis: & procul abest à charitate Christiana, qui ob potum aut cibum, quo rectè quis uti potest, exasperat fratrem, pro cuius libertate mortuus est Christus. Quàm amarulentas contentiones uidemus inter Christianos, quàm inimicas calumnias ex ueste aliter cincta tincta ue, ex cibo quem porrigunt aquæ, & quem porrigunt pascua? Hoc malum si ad paucos serpsisset, contemni poterat. Nũc uidemus uniuersum orbem ob hæc dißidijs exitialibus concuti. Hæc & huiusmodi si tollerentur

tur, & nos maiori cõcordia uiuerемus, neglectis ceremonijs, ad ea tantũ contendentes quæ docuit Christus, & reliquæ nationes citius amplecterentur religionem cum libertate coniunctam. S A. Extra ecclesiæ domum non est salus. L A. Fateor. S A. Extra ecclesiam est, quisquis non agnoscit pontificem Romanum. LA. Non reclamo. S A. Sed hunc non agnoscit, qui illius præscripta negligit. L A. Atque ideo spero futurum, ut hic pontifex nomine Clemens, animo pietate q; clementissimus, quò magis omnes nationes ad Ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus usa sunt aliquot populos à Romanæ sedis fœdere alienare, potius q; habeat Euangelij lucrum, quàm suum in omnibus ius persequi. Audio quotidie ueteres querimonias de annatis, de condonationibus, de dispensationibus, deq; reliquis exactionibus, de grauatis ecclesijs: sed arbitror hunc ita moderaturum omnia, ut posthac impudens sit, qui pergat queri. S A. Vtinam idem facerent omnes monarchæ. Nihil addubito, quin res Christiana nunc in arctum coacta felicissimè sit proferenda, si gentes barbaræ senserint se uocari non ad seruitutem humanam, sed ad libertatem Euangelicã: nec ad rapinam expeti, sed ad felicitatis & sanctimoniæ cõsortiũ. Vbi coaluerint, & in nobis mores uerè Christianos compererint, ultro plus offerent, quàm ab eis ulla uis queat extorquere. L A. Id breui futurum auguror, si pestilens Ate, quæ duos potentissimos orbis monarchas funesto bello commisit, abierit εἰς κόραξας. S A. Atque ego demiror iandudum non esse factum, quum Francisco nihil fingi posit humanius, & Carolo Cæsari arbitror à præceptoribus instillatũ, ut quo

Ate, dea Homerica, quę dissidia serit inter Deos & homines, Litæ tardæ, Ate uelox. ἐς κόραξας. id est, in malã rẽ.

per fortunam plus acceſſerit imperij finibus, hoc ipſe plus addat clementiæ benignitatiq;. Ad hæc, habere ſolet & ætas ea peculiarem facilitatis ac manſuetudinis dotem. LA. Nihil eſt quod in utroq; deſideres. SA. Quid igitur remoratur publicũ orbis uotum? LA. Adhuc iureconſulti de finibus ambigunt, & ſcis comœdiarum tumultus ſemper deſinere in nuptias: itidem principes ſuas finiunt tragœdias. Sed in comœdijs ſubitò coëunt nuptiæ, hic inter magnos magnis moliminibus res agitur. Et præſtat aliquantò ſerius obduci cicatricem, quàm mox iterũ hulcus erumpere. SA. An credis iſtas nuptias eſſe firma concordiæ uincula? LA. Vellem quidem, ſed ex his uideo ferè naſci maximam bellorum partem, & ſi quod bellum ortum fuerit, dum affinis adeſt affini, latius ſe ſpargit incendiũ, & difficilius componitur. SA. Fateor, & agnoſco uerißimum eſſe quod dicis. LA. Sed æquum'ne tibi uidetur, ut ob iureconſultorum rixas & contractuum moras totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil uſquam tutum eſt, & peßimis licet plurimũ, dum neq; bellum eſt, neq; pax. SA. De principum cõſilijs non eſt meum dicere. Verùm ſi quis me faciat Cæſarem, ſcio quid ſim facturus. LA. Eia, facimus te Cæſarem, ſimulq; Romanum pontificem ſi libet. Quid facis? SA. Fac me potius Cæſarem & regem Galliæ. LA. Agè, eſto utrunq;. SA. Protinus concepto pacis uoto edicerem per uniuerſam ditionem meam inducias, dimißis copijs, denuntians pœnam capitis, ſi quis uel gallinam alterius attigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, uel ut melius dicam, publico, tranſigerem de ditionis finibus, aut de coniugij conditionibus.

LA.

LA. Habes'ne firmiora fœderis uincula, quàm matrimonium? S A. Arbitror. L A. Imperti. S A. Si Cæsar essem, sic absq; mora transegissem cum Rege Gallorum: Frater, malus quispiã genius bellũ hoc inter nos excitauit, neq; tamen inter nos certamẽ fuit de capite, sed de ditione. Tu quod in te fuit fortem ac strenuum bellatorem præstitisti. Fortuna mihi fauit, teq; ex Rege fecit captiuũ. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere, & tua calamitas omnes nos admonet humanæ conditionis. Experti sumus quàm hoc certaminis genus utriq; sit incommodum. Agè diuerso genere inter nos conflictemur. Dono tibi uitam, dono libertatem, pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorũ malorũ oblivio, redi ad tuos gratis ac liber, habe tibi tua, esto bonus uicinus, & posthac geratur unum hoc certamen inter nos, uter alterum fide, officijs ac beneuolentia uincat: neq; certemus uter altero latius regnet, sed uter sanctius administret suam ditionem. In priori conflictu fortunati laudẽ tuli, hîc qui uicerit, lõgè splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet ueræ laudis, quàm si uniuersam Galliam meæ ditioni adiunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris conciliabit, quàm si me tota Italia depulisses. Noli inuidere mihi laudem quam affecto, ego uicissim tuæ sic fauebo, ut huic amico libẽter sis debiturus. L A. Profectò sic posit astringi Gallia, imò totus orbis. Etenim si cõditionibus iniquis hulcus hoc obducatur uerius quàm sanetur, uereor ne mox per occasionem rupta cicatrice pus uetus erumpat maiore cum malo. S A. Quàm magnificã, quamq; plausibilẽ gloriã hæc humanitas

nitas per uniuersum orbem pararet Carolo? Quæ natio se non lubens tam humano, tamq; clementi principi submitteret? LA. Egisti Cæsarem sat feliciter, nunc age Pontificem. SAL. Perlongum sit singula persequi, dicam compendio. Sic agerem, ut uniuersus orbis intelligeret esse principem ecclesiæ, qui nihil aliud sitiret quàm Christi gloriam, & salutem omnium mortalium. Ea res uerè mederetur inuidiæ pontificij nominis, & solidam ac perennem pararet gloriam. Sed interim ab asino, quod aiunt, delapsi, multùm aberrauimus ab instituto. LAN. Ego te mox reducam in uiam. Ais igitur obligare pontificum leges omnes qui sunt in ecclesia? SA. Aio. LA. Ad pœnam gehennæ? SA. Aiunt. LA. Etiam episcoporum? SA. Sic arbitror in sua cuiusq; ditione. LA. Etiam abbatum? SA. Hæreo: nã hi certis conditionibus accipiunt administrationem, nec possunt suos grauare constitutionibus, nisi ex autoritate totius ordinis. LA. Quid si episcopus ijsdem conditionibus accipiat suam functionem? SA. Addubito. LA. Quod episcopus constituit, pontifex potest rescindere? SA. Opinor. LA. Quod pontifex decreuit, nemo potest abrogare? SA. Nemo. LA. Vnde igitur audimus rescissas pontificum sententias, hoc titulo, quòd parum rectè fuerint edocti, & priorum constitutiones à posterioribus antiquatas, quòd à pietate delirarent? SA. Ista subreptitia sunt ac temporaria. Nam & in pontificem, ut hominẽ, cadit ignorantia personæ facti'ue. Cæterùm quòd ex autoritate concilij uniuersalis proficiscitur, cœleste oraculũ est, & pondus habet par Euangelijs, aut certè proximum. LA. Licet'ne de Euangelijs dubitare?

Abasino, id est, à proposito digressi. Vide Chiliades.

Antiquatas, id est, abrogatas.

SA.

SA. Bona uerba, ne de concilijs quidem ritè in ſpiritu ſancto congregatis, peractis, editis & receptis. LAN. Quid ſi quis dubitet, an hæc competant in concilīū quod obijcitur, quemadmodum audio Baſilienſe concilium à nonnullis reijci, nec omnibus probari Conſtantienſe: loquor de his qui nunc habentur orthodoxi, ne quid dicam de proximo concilio Lateranenſi. SA. Dubitent qui uelint ſuo periculo, ego nolo dubitare. LA. Petrus igitur habuit autoritatem condendi nouas leges? SA. Habuit. LA. Habuit & Paulus cum cæteris Apoſtolis? SA. Habuerunt in ſuis quiſq; eccleſijs, à Petro, ſeu Chriſto commiſsis. LA. Et Petri ſucceſſoribus par eſt poteſtas cum ipſo Petro? SA. Quid ni? LA. Tantundem igitur honoris debetur reſcripto Romani Pontificis, quantum epiſtolis Petri: & tantundem conſtitutionibus epiſcoporum, quantum epiſtolis Pauli? SA. Equidem arbitror etiam amplius deberi, ſi præcipiant, & legem ferant cum autoritate. LA. Sed fàs'ne eſt dubitare, an Petrus & Paulus ſcripſerint afflatu diuini ſpiritus? SA. Imò hæreticus ſit qui dubitet. LA. Idem cenſes de reſcriptis & cōſtitutionibus Pontificum & epiſcoporum? SA. De pontifice cenſeo, de epiſcopis ambigo, niſi quòd pium eſt, de nullo perperā ſuſpicari, ni res ipſa palàm clamitet. LA. Quur ſpiritus citius patitur errare epiſcopum, quàm pontificem? SA. Quia grauius eſt à capite periculum. LA. Si tantùm ualent præſulum cōſtitutiones, quid ſibi uult quòd dominus in Deuteronomio tam rigidè cōminatur, ne quis quid addat aut adimat legi? SA. Nō addit legi, q latius explicat, quod latebat, qui ea ſuggerit quæ ſpectant ad legis

obſerua

obſeruationem: neq; detrahit qui pro uiribus audientium legem diſpenſat, alia promens, alia celans pro ratione temporis. LA. Num obligabant Phariſæorum ac ſcribarum conſtitutiones? SA. Non arbitror. LA. Quur ita? SA. Quia docendi habebant autoritatem, non condendi leges. LA. Vtra poteſtas uidetur amplior, condendi leges humanas, an interpretandi diuinas? SA. Condendi humanas. LA. Mihi ſecus uidetur. Etenim cui ius eſt interpretandi, huius ſententia pondus habet legis diuinæ. SA. Non ſatis aſſequor, quod dicis. LA. Dicam explanatius. Lex diuina iubet ſubuenire parenti, Phariſæus interpretatur hoc eſſe datum patri, quod miſſum eſt in corbanam, eò quòd Deus ſit pater omnium. Non'ne huic interpretationi cedet lex diuina? SA. Iſta quidem falſa interpretatio eſt. LA. Sed poſteaquàm illis ſemel tradita eſt interpretandi autoritas, unde mihi conſtabit, cuius ſit uera interpretatio, maximè ſi ipſi inter ſe diſſentiãt? SA. Si minus ſatisfecit tibi ſenſus communis, ſequere præſulum autoritatem, id tutiſſimum eſt. LA. Ergo Phariſeorum & Scribarũ autoritas deuoluta eſt ad Theologos & cõcionatores? SA. Eſt. LA. Sed nullos audio frequentius inculcãtes, Audite, ego dico uobis, quàm eos qui nũquàm uerſati ſunt in palæſtris Theologicis. SA. Audies omnes cãdidè, ſed cum iudicio, modò ne ſimpliciter inſaniãt. Tum enim oportet populũ cum ſibilo ſurgere, quò ſuam agnoſcant dementiam. Cæterùm quibus contigit titulus doctoris, his oportet fidere. LA. Verùm in his quoq; comperio nonnullos multò rudiores ac ſtultiores illis, qui prorſus ſunt illiterati: & inter doctiſſimos miram uideo controuerſiam,

uersiam. SA. Elige quæ sunt optima, inexplicata alijs relinquito, ea semper amplectens, quæ procerũ & multitudinis consensus approbauit. LA. Scio isthuc esse tutius. Sunt igitur & constitutiones iniquæ, quemadmodum sunt interpretationes falsæ? SA. An sint, alij uiderint, arbitror esse posse. LA. Annas & Caiphas habebant potestatem condendi leges? SA. Habebant. LA. Num horum quauis de re constitutiones obligabant ad pœnam gehennæ? SA. Nescio. LA. Puta Annam constituisse, ne quis reuersus à foro sumeret cibum, nisi loto corpore: qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret? SA. Non arbitror, nisi contemptus publicæ potestatis crimen exacerbaret. LA. An omnia præcepta Dei obligant ad pœnam gehennæ? SA. Non opinor. Nam Deus prohibuit omne peccatũ quãlibet ueniale, si Theologis habenda fides. LA. Fortassis & ueniale pertraheret in gehennam, nisi Deus sua misericordia subleuaret imbecillitatem nostram. SA. Non est absurdum dictu, affirmare non ausim. LA. Quũ Israëlitæ exularent in Babylone, præter alia plurima quæ lex præscripsit, in multis fuit omissa circuncisio. An omnes hi perierunt? SA. Deus nouit. LA. Si Iudæus clàm fame periclitans ueseretur carne suilla, cõmitteret ne crimen? SA. Mea quidem sententia, necessitas excusaret factum, quãdoquidem ore domini defensus est Dauid, quòd contra legis præceptum comederit panes sacros, quos appellant propositionis: nec solùm comedit ipse, sed & fugæ comites prophanos iisdem pauit. LA. Si quem ea necessitas constringeret, ut aut pereundum sit fame, aut furtum committendum, utrum eligeret

eligeret, mortem an furtum? SAL. Forsitan in eo casu furtum, furtum non esset. LA. Hem quid audio, ouum non est ouum? SA. Præsertim si caperet animo reddendi, placandiq; dominum, quum primùm liceret. LA. Quòd si percundum esset homini, nisi falsum testimonium ferat aduersus proximum, utrum eligendum? SAL. Mors. LA. Quid si commisso adulterio posit seruare uitam? SAL. Potior erit mors. LA. Quid si simplici stupro posis effugere mortem? SAL. Moriendum potius, ut aiunt. LA. Quur hîc ouum non desinit esse ouum, præsertim si nulla fiat uis aut iniuria? SA. Fit iniuria corpori puellæ. LA. Quid si periurio? SA. Moriendum. LA. Quid si simplici nulliq; noxio mẽdacio? SA. Docent præoptandã mortem. At ego crediderim graui necessitate, aut ingenti proposita utilitate mendacium huiusmodi aut nullum esse crimen, aut leuissimum, nisi quòd aperta fenestra, periculum est ne discamus & pernicios mendacijs assuescere. Finge incidisse casum, ut innoxio mendacio posit seruare & corpora, & animas totius patriæ suæ, utrum eliget uir pius, fugiet mendacium? LA. Quid alij sint facturi nescio, ego uel quindecim Homerica mendacia non uerear dicere, moxq; labeculam illam abstergerem aqua sacra. SA. Idem ego facerem. LA. Igitur non quicquid Deus præcipit aut interdicit, obligat ad pœnam gehennæ. SAL. Non uidetur. LA. Modus igitur obligationis non est ab autore legis tantũ, sed ex materia. Quædam enim cedunt necessitati, quædam non cedunt. SAL. Sic uidetur. LA. Quid si sacerdos periclitetur de uita, seruandus si ducat uxorem, utrum eliget? SA. Mortem. LA. Quum diuina

lex

lex cedat neceßitati, quur hæc lex humana Terminum agit, nulli dignans concedere? S A. Non lex obſtat, ſed uotum. L A. Quid ſi quis uouiſſet uiſere Hieroſolymam, nec id poſſet niſi certo uitæ diſpendio, non ibit, an morietur? S A. Morietur, ni uoti relaxationem impetrarit à pontifice Romano. L A. Quur alterum uotum relaxatur, alterum minimé? S A. Quia alterum ſolenne, alterum priuatum. L A. Quid eſt ſolenne? S A. Quod ſolet fieri. L A. An non igitur ſolenne & alterum quod quotidie fit? S A. Fit, ſed priuatim. L A. Proinde monachus ſi priuatim apud abbatem profiteretur, non eſſet uotum ſolenne? S A. Nugaris. Ideo facilius relaxatur uotum priuatum, quia minore offendiculo ſoluitur, & is qui facit, hoc animo facit, ut ſi commodum ſit, mutet ſententiam. L A. Hoc igitur animo uouent, qui priuatim profitentur perpetuam caſtimoniam? S A. Deberent. L A. Perpetuum igitur & non perpetuum? Quid ſi Carthuſianum monachum hîc conſtringat caſus, ut aut ueſcendum ſit carnibus, aut moriendum, utrum eliget? S A. Docent medici nullas eſſe carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ. L A. Vtrum igitur conducibilius gemmis & auro ſuccurrere periclitanti, an earum rerum pretio multos de uita periclitantes ſeruare, & ægroto dare pullum gallinaceum? S A. Hæreo. L A. Atqui piſcium aut carnium eſus non eſt ex eorum numero, quæ uocant ſubſtantialia. S A. Carthuſianos ſuo iudici relinquamus. L A. Dicamus in genere. Diligenter, frequenter, multisq; uerbis inculcatur in lege Moſi ſabbatiſmus. S A. Verum. L A. Vtrum igitur ſuccurram urbi periclitanti uiolato

Terminum agit. Fabula de Termino Deo qui nec loui uolunt concedere, notiſſima eſt.

olato ſabbato, an non? SA. At interim me uis eſſe Iudæum? LA. Volo, & quidem recutitum. SA. Iſtum nodum ſecuit ipſe dominus. Sabbatum enim hominis cauſa eſt inſtitutum, non contrá. LA. Iſta lex igitur ualebit in omnibus humanis conſtitutionibus? SA. Valebit, niſi quid obſtet. LA. Quid ſi conditor legis non hoc animo ferat legem, ut quenquam obliget ad pœnam gehennæ, imò ne ad reatum quidem ullum, ſed conſtitutionem nihilo plus uelit habere ponderis, quàm exhortationem? SA. O bone, non eſt in manu conditoris, quantum obliget lex. Vſus eſt ſua poteſtate ferendo legem, cæterùm ad quid obliget, aut non obliget, id Deo in manu eſt. LA. Quur igitur audimus quotidie parochos noſtros è ſuggeſto clamantes, cras ieiunandum ſub pœna damnationis æternæ, ſi nobis non conſtat, quomodo lex obliget humana? SA. Id faciunt, quò magis terreant contumaces: nam ad hos arbitror ea uerba pertinere. LA. Sed interim an contumaces talibus dictis territent, neſcio: certè infirmos uel in ſcrupum uel in periculum conijciunt. SA. Difficile eſt utriſque conſulere. LA. Eadem autem eſt uis conſuetudinis & legis? SA. Aliquando maior eſt conſuetudinis. LA. Proinde tametſi non adeſt animus conſuetudinem inducẽtibus inijciẽdi laqueũ cuiquam, tamen obligat uolentes nolẽtes? SA. Arbitror. LA. Onus imponere poteſt, tollere nõ poteſt? SA. Admodũ. LA. Iam itaq; uides, opinor, quantũ ſit periculi, nouas leges ab hominibus ferri, ſi nulla neceſſitas urgeat, aut nulla magna inuitet utilitas. SA. Fateor. LA. Dominus quũ ait, Nolite omnino iurare, num quemuis iurantem obnoxiũ facit gehennæ? SA. Non arbitror.

tror. consilium est enim, non præceptum. L A. At istud unde mihi liquet, quum uix aliud accuratius aut seuerius interdixerit, quàm ne iuremus? S A. Discès à doctoribus. L A. Et Paulus quum dat consilium, non obligat ad gehennam? S A. Nequaquam. L A. Quur ita? S A. Quid non uult inijcere laqueum infirmis. L A. Est igitur in manu condentis legem obstringere ad gehennam, aut non obstringere. Et sanctum est cauere, ne quibuslibet constitutionibus illaqueemus imbecilles. S A. Est. L A. Et si Paulus hìc cautionem adhibuit, multò magis sacerdotibus adhibenda, de quibus incertum, quo spiritu agantur. S A. Fateor. L A. Atqui paulò antè negabas, esse in manu conditoris quatenus obstringeret lex. S A. Iam consilium est, non lex. L A. Nihil est facilius, quàm commutare uocabulum. Noli furari, præceptum est? S A. Est. L A. Noli omnino resistere malo? S A. Consilium est. L A. At hoc posterius magis habet speciem præcepti, quàm illud prius. Saltem hoc est episcopis in manu, utrum uelint esse præceptum, quod instituunt, an consilium? S A. Est. L A. At istud paulò antè fortiter negabas. Etenim qui non uult suam constitutionem quenquam ad ullum crimẽ astringere, nimirũ uult eam esse consilium, non præceptum. S A. Verum, sed non expedit hoc scire uulgus, ne protinus clamitent esse consilium, quod seruare non libet. L A. At quid interim facies tot infirmis conscientijs tam misere confusis tuo silentio? Verùm agè, dic mihi nullus ne notis docti deprehendere possunt, utrum consilij uim habeat constitutio an præcepti? S A. Possunt, sicut audiui. L A. Non licet scire mysteriũ? S A. Licet, nisi uelis effutire. L A. Ah pisci dixeris.

Pisci dixeris. Pisces mutos esse declarat prouerbium.

ris. S A. Quũ nihil audis, nisi hortamur, ordinamus, mandamus, concilium est: quum audis, iubemus, districtè præcipimus, præsertim si accedant minæ excommunicationis, præceptum est. L A. Quid si debeam pistori meo, quumq; soluendo non sim, fugere malim quàm conijci in carcerem, num pecco criminaliter? S A. Non arbitror, nisi desit soluendi uoluntas. L A. Quur igitur excommunicor? S A. Istud fulmen territat improbos, non adurit innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tatummodo latas, qualis illa fertur è duodecim tabulis, de dissecando corpore debitoris, cuius ideo nullum extat exemplum, quòd nõ in usum, sed ad terrorem esset prodita. Iam ut fulmen non agit in ceram aut linum, sed in æs: ita tales excommunicationes nõ agunt in miseros, sed in cõtumaces. Et tamen, ut ingenuè dicam, in huiusmodi friuolis adhibere fulmen à Christo traditum, propémodum esse uidetur, quod ueteres dicebant, in lente unguentum. L A. Num idem ius patrifamiliâs in sua domo, quod episcopo in sua diœcesi? S A. Arbitror pro portione. L A. Et huius præscripta similiter obligant? S A. Quid ni? L A. Edico, ne quis uescatur cæpis. Quomodo periclitatur apud Deum qui non paruerit? S A. Ipse uiderit. L A. Posthac non dicam meis, præcipio, sed admoneo. S A. Sapies. L A. Verum perspicio uicinum meum proximum esse periculo, & arreptum clàm admoneo, ut sese subducat ab ebriosorum & aleatorum commercio: ille monitorem aspernatus, perditius incipit uiuere quàm antea, num hìc illum obstringit admonitio? S A. Videtur. L A. Igitur neq; consu-

De dissecando corpore. Vide Aul. Gellũ de pœna talionis.

lendo

lendo, neq; exhortando fugimus laqueum. S A. Imò non adfert laqueum admonitio, sed admonitionis argumentum. Etenim si frater admonitus, ut crepidis uteretur, negligeret, nullo crimine teneretur. L A. Non hîc percontabor, quantum obligent præscripta medicorum. Votum obstringit ad pœnam gehennæ? S A. Maximé. L A. Omne? S A. Omnißimum, modò sit licitum, legitimum, ac liberum. L A. Quid appellas liberum? S A. Quod nulla extorsit necessitas. L A. Quid est necessitas? S A. Est metus cadens in constantem uirum. L A. Etiam in Stoicum, quem si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ? S A. Istum Stoicum mihi ostende, & respondebo. L A. Sed extra iocum, num famis aut infamiæ metus cadit in constantem uirum? S A. Quid ni? L A. Si filia nondum emancipata clàm nubat inscijs parentibus nec passuris si sciant, legitimum erit uotum? S A. Erit. L A. An sit nescio, certè si qua sunt, hoc est unum ex illorum numero, quæ licet uera sint, tamen ob scandalum imbecillium silenda sunt. Quid si uirgo quæ ex autoritate parentum contraxit matrimonium cum sponso, clàm & inuitis parentibus, uoto semet addicat collegio sanctæ Claræ, crit'ne licitum & legimum? S A. Si fuerit solenne. L A. Num solenne est, quod in agro fit, in obscuro monasteriolo? S A. Sic habetur. L A. Si eadem domi paucis testibus uoto profiteatur perpetuam corporis integritatem, non erit legitimum? S A. Non. L A. Quam ob rem? S A. Quia sanctius uotum obstat. L A. Eadem puella si uendat agellum, ualebit contractus? S A. Non opinor. L A. Et ualebit, si seipsam dederit in potestatem alienam?

Si fractus illab. Retulit uerba Flacci ex Odis.

SA. Si se Deo dicauerit. LA. An non & uotū priuatū dicat hominem Deo? Et qui suscipit sanctum cōiugij sacramentum, non ne se dicat Deo? Et quos Deus iungit, dicāt se diabolo? De solis coniugibus dixit dominus, Quos Deus iunxit, homo non separet. Ad hæc quum adolescens uixdum pubescens, aut puella simplex, minis parentum, sæuitia tutorum, improbis instinctibus monachorum, blāditijs & odijs protruditur in monasterium, num liberum est uotum? SA. Si sint doli capaces. LA. Ea ætas maximè capax est doli, ut cui facilimè possis imponere. Quid si proponam in animo, diebus Veneris abstinere à uino, perinde obstringit propositum ut uotum? SA. Non arbitror. LA. Quid igitur interest inter certum propositum, & uotum tacita cogitatione conceptū? SA. Animus obligandi. LA. Negabas antè, hic ualere animum. Propono si queam, & uoueo siue queam, siue non queam? SA. Habes. LA. Habeo nebulas in pariete depictas, hoc est, nihil. Est igitur & in proposito dispicienda materiæ ratio? SA. Opinor. LA. Et ut illhic à legis, ita hic à uoti nomine cauēdum? SA. Rectē. LA. Si Romanus pontifex statueret, ne quis iungat matrimonium intra septimum propinquitatis gradum, admitteret crimen, qui duceret cognatam gradu sexto? SA. Opinor, certè periclitaretur. LA. Quid si episcopus suis ediceret, ne quis haberet rem cum uxore, nisi die lunæ, Iouis & sabbati, committeret crimen, qui clàm alijs diebus uteretur uxore? SA. Arbitror. LA. Quid si ediceret, ne quis bulbis uesceretur? SA. Quid isthuc ad pietatem? LA. Quia bulbi prouocant libidinem. Quod de bulbis dico, idem dictum puta de erucis. SA. Hæreo. LA.

Doli capaces. Ita loquūtur iurecōsulti. Alter ex ambiguo iocatur, quasi doli capax qui dolo est idoneus.

Bulbis. Genus est cæpis. Et bulbus & eruca prouocat uenerem: unde Ouidius salaces uocat erucas.

Quid

Quid hæres? unde est humanis legibus obligandi uis? SA. Ex dictis Pauli, Obedite præpositis uestris. LA. Hinc igitur obligat omneis episcoporum ac magistratuum constitutio? SA. Modò sit æqua, iusta, & legitimè lata. LA. Sed istius rei quis erit iudex? SA. Ipse qui condidit. Nam eius est interpretari, cuius est condere legem. LA. Ergo citra delectum est obediẽdum quibuslibet constitutionibus? SA. Opinor. LA. Quid si præpositus stultus & impius ferat legem impiam & iniquam, ipsius iudicio standum erit, & populus, cui nullum est iudicandi ius, obtemperabit? SA. Quorsum attinet ea somniare, quæ non fiunt? LA. Qui subuenit parenti, non subuenturus nisi lex cogeret, num impleuit legem? SA. Non arbitror. LA. Qui sic? SA. Primum nõ satisfacit animo eius, qui condidit legem, deinde uoluntati impiæ addit hypocrisin. LA. Qui ieiunat, non ieiunaturus nisi præciperet ecclesia, num satisfacit legi? SA. Mutas & autorẽ legis, & materiam. LA. Confer igitur Iudæum sic ieiunãtem diebus præscriptis, ut ni lex hunc adigat, non sit ieiunaturus, cum Christiano seruante ieiunium ab hominibus indictum, haud quaquam seruaturo si legem tollas: aut si mauis Iudæum abstinentem à carne suilla, & Christianum abstinẽtem à carnibus & lactarijs die Veneris. SA. Infirmitati nõnihil reluctanti legi puto paratam esse ueniam, certo proposito legem auersanti & obmurmuranti nõ item. LA. Atqui fateris leges diuinas non semper obligare ad pœnam gehennæ. SA. Quid ni fatear? LA. Nec audes fateri esse legẽ humanam, quæ non obligat ad eandem pœnam, sed hominem relinquis in ancipiti? Videris igitur aliquãdo plus tribuere le-

gibus hominum quàm Dei. Mendacium & obtrectatio ſuapte natura ſunt mala, & à Deo prohibita, & tamen fateris eſſe aliquod mendacij & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehennæ, nec audes eum qui quomodocunq; ueſcitur carnibus in die Veneris, liberare à pœna gehennæ. SA. Non eſt meum quenquam abſoluere aut damnare. LA. Si diuinæ leges & humanæ pariter obſtringunt, quid igitur intereſt inter has & illas? SA. Nimirum quòd qui uiolat legem humanam, immediate peccat aduerſus hominem (ſi mihi concedis ſcholaſticorum floſculis uti) mediatè aduerſus Deum: qui uiolat legem diuinam, contrá. LA. Quid refert, utrum prius miſceueris acetum, an abſynthium, quum mihi utrunque ſit ebibendum? Aut quid refert, utrum lapis à me uulnerato repercuſſus feriat amicum, an ordine uerſo? SA. Hoc didici. LA. Et ſi ex materia circunſtantijsq; ſumitur obligandi modus in utriſq; legibus, quid intereſt inter autoritatem Dei & hominum? SA. Impia percontatio. LA. Attamen multi credunt plurimùm intereſſe. Deus tulit legem per Moſen, nec licet uiolare. Idem fert leges per pontifices, aut certè concilium, quid intereſt inter has & illas? Lex Moſi per hominem, leges noſtræ per homines. Et uidentur minus ponderis habere quæ Deus tulit per unum Moſen, quàm quæ ſpiritus ſanctus edit per frequens epiſcoporum & eruditorum concilium. SA. De ſpiritu Moſi dubitare non licet. LA. Paulus in epiſcoporum uicem uenit. Quid igitur intereſt inter Pauli præcepta & cuiuslibet epiſcopi? SA. Quia ſine controuerſia Paulus ſcripſit afflatus ſpiritu. LA. Hæc ſcriptorũ autoritas

ritas quousq; se porrigit? SA. Arbitror non ultra Apostolos, nisi quòd cõciliorũ est inuiolata autoritas. LA. Quare de Pauli spiritu dubitare non licet? SA. Quia obstat ecclesiæ consensus. LA. De episcopis dubitare licet? SA. De his nihil temere suspicandum, nisi res ipsa palàm clamitet quæstum, aut impietatem. LA. Quid de concilijs? SA. Non licet, si fuerint ritè & per spiritum sanctum congregata peractaq;. LA. Est igitur aliquod concilium in quod ista nõ competunt? SA. Esse potest. Quod ni esset, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem. LA. Videtur igitur & de concilijs dubitari posse. SA. Non arbitror, posteaquàm fuerint Christianarum gentium iudicio consensuq; recepta comprobataq;. LA. Posteaquàm exceßimus pomœria, qbus Deus uoluit circunscribi sacro sanctam illam & inuiolabilem scripturæ autoritatem, uidetur mihi & aliud esse discrimen legum diuinarum & humanarum. SA. Quod? LA. Leges diuinæ sunt immutabiles, nisi si quæ sunt eius generis, ut significandi coërcendi ue gratia uideantur ad tempus datæ, quas & prophetæ desituras iuxta carnalem sensum prædixerunt, & apostoli iam omittendas docuerunt. Deinde, inter leges humanas existunt nonnunquam iniquæ stultæq; & pestilentes, unde & abrogantur uel autoritate superiorum, uel consentiente neglectu populi. Tale nihil est in legibus diuinis. Rursus humana lex suapte sponte cessat, ubi cessarit causa propter quam lata est: ueluti si constitutio iuberet singulos quotannis aliquid conferre in structuram templi, templo absoluto cessat rigor legis. Ad hæc lex ab hominibus lata non est lex, nisi fuerit utentium consensu

Pomœria, id est, limites prescriptos.

comprobata. Lex diuina nec expendi debet, nec potest abrogari. Quanquàm & Moses legem laturus, suffragia populi collegit, non quòd hoc esset necesse, sed ut illos magis haberet obnoxios. Impudens enim est legem contemnere, quam tuo suffragio comprobaris. Postremò quum leges hominum, quæ fere corporalia præscribunt, pædagogi sint ad pietatem, cessare uidentur, ubi quis profecit ad spiritus robur, ut iam talibus cancellis nō egeat, modò pro uirili uitetur scandalum infirmorum, non malitiose superstitiosorum. Velut si pater præscribat filiæ impuberi, ne bibat uinū, quò tutior sit illius uirginitas usq; ad nuptias: quū adoleuerit, iamq; uiro tradita fuerit, nō tenetur præcepto patris. Multæ leges habent instar pharmacorum, ea uerò mutantur & cedunt pro re nata, ipsis etiam medicis approbantibus, qui si semper ijsdem uterentur remedijs à ueteribus proditis, plures occiderent, quàm sanarēt. S A. Multa tu quidem congeris, quorum nōnulla placent, aliqua displicēt, quædam nō intelligo. L A. Si lex episcopi quæstum euidenter oleat, hoc est, statuat ut singuli parochi bis in anno emant aureo ducato ius absoluendi à casibus quos uocant Episcopales, quò plus extorqueat à suis, obtemperandum censes? S A. Censeo, sed interim clamandum aduersus legem iniquam, excluſa semper seditione. Sed unde hic mihi percontator Lanio? Tractent fabrilia fabri. L A. Huiusmodi quæstionibus sæpe torquemur in cōuiuijs, interdum diatriba feruescit ad pugnam & sanguinem. S A. Pugnent qui uolent: ego censeo leges maiorum esse reuerenter suscipiēdas, & obseruādas religiose, uelut à Deo profectas: nec esse tutū, nec esse pium, de potestate

teſtate publica ſiniſtram concipere aut ſerere ſuſpicionem. Etſi quid eſt tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatẽ, ſatius eſt ferre, quàm ſeditioſe reluctari. LA. Iſta quidem ratione fateor bene conſultũ rebus eorum, qui dignitate pollent, & tecum ſentio, nec illis inuideo. Cæterũ lubens audiam rationem, qua cõſulatur & populi uel libertati, uel commodis. SA. Deus non deſtituet populum ſuum. LA. Verũ ubi interim illa libertas ſpiritus, quam apoſtoli promittunt ex Euangelio, quàm paulus toties inculcat clamans? Regnum Dei non eſt eſca & potus: & quòd filij non ſimus ſub pædagogo, nec amplius ſeruiamus elementis huius mundi, aliáq; innumera: ſi tantò pluribus conſtitutionibus onerantur Chriſtiani quàm Iudæi, & ſi arctius obligant hominũ leges, quàm pleraq; à Deo tradita præcepta? SA. Dicã Lanio. Non in hoc eſt Chriſtianorum libertas, ut liceat illis facere quæ uelint, liberis à conſtitutionibus humanis, ſed quòd ex feruore ſpiritus ad omnia prõpti, libẽtes & alacres ea faciunt quæ præſcribũtur, ni mirũ filij potius quàm ſerui. LA. Expeditè: ſed erãt et ſub lege Moſaica filij, & ſunt ſub Euangelio ſerui, atq; adeò uereor ne maxima pars hominum, ſi quidem ſerui ſunt, qui lege coacti ſuum officium faciunt. Quid igitur diſcriminis inter nouam & ueterem? SA. Meo iudicio multum intereſt. Quod uetus ſub inuolucris docuit, noua ſub oculos poſuit: quòd illa ſub ænigmatibus prædixit, hæc dilucidius oſtendit: quod illa ſubobſcurè promiſit, hæc exhibuit maxima quidem ex parte. Illa tradita erat uni genti, hæc ex æquo docet omnes ſalutem: illa paucis prophetis & eximijs uiris impertijt inſignem illam & ſpiritualem

gratiam

gratiam: hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum & nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula. L A. Vbi nunc igitur ista? S A. Cessarunt, non interierunt: uel quia non est opus, iam euulgata Christi doctrina: uel quia pleriq; titulo tantùm Christiani, fide, quæ est miraculorum architectrix, caremus. L A. Si propter incredulos ac diffidentes opus est miraculis, talium nunc plena sunt omnia. S A. Est incredulitas simpliciter errans, qualis erat Iudæorum obmurmurantium Petro, quòd Cornelij familiam recepisset ad Euangelij gratiã: qualis erat gentium, quæ religionem, quam à maioribus acceperant, putabant esse salutiferam, & apostolorum doctrinam esse superstitionem peregrinam: hi conspectis miraculis conuersi sunt. Nunc qui diffidunt Euangelio, tanta luce per uniuersum orbem coruscante, non simpliciter errant, sed excæcati malis affectibus nolunt intelligere, ut bene agãt: hos nulla miracula reducerent ad mentem meliorem. Et sanandi tempus nunc est, puniendi pòst futurum est. L A. Quanquàm multa dixisti satis probabiliter, tamen mihi propositum est, non fidere salsamentario, sed adibo Theologum quendam eximiè doctum, quicquid is de singulis pronũtiauerit, cœlestis oraculi uice fuerit. S A. Quis iste? Pharetrius? L A. Ille simpliciter delirat & ante annos, dignus qui concionetur deliris aniculis. S A. Bliteus? L A. An ego tam loquaci sophistæ credam? S A. Amphicolus? L A. Nunquam ei credam in soluendis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bona fide soluat problemata, qui pessima fide nondum soluit pecuniam? S A.

Leman

Lemantius? L A. Non utor cæcis ad indicandam uiam. S A. Quis igitur? L A. Si scire uis, Cephalus est, uir trium linguarũ & omnis politioris literaturæ perpulchrè gnarus, tum in sacris uoluminibus & uetustis Thologis diu studioseq; uersatus. S A. Dabo rectius consilium. Eas ad inferos, illhic inuenies rabinum Druinum, qui Tenedia bi penni dissecabit omnes tuas quæstiunculas. L A. Tu præi, quò mihi uiam appares. S A. Sed extra iocum: Est'ne uerum, quod narras, datam potestatem uescendi carnibus? L A. Ludebam, te ut urerem. Et si Romanus pontifex id uellet maximè, ordo salsamentariorum moueret seditionẽ: deinde mundus est plenus pharisaicis hominibus, qui non aliare sibi possunt uindicare sanctimoniam, nisi talibus obseruatiunculis: hi nec paterentur sibi detrahi iam partam gloriam, nec sinerent minoribus plus esse libertatis, quàm ipsis fuit. Ne in lanionum quidem rem esset, permitti liberum quarumlibet rerum esum. Tum enim uarius esset euentus nostræ negotiationis, nunc certius est lucrum, & minus aleæ, minusq; laborum. S A. Verissima prædicas, sed eadem incommoditas ad nos rediret. L A. Gaudeo tandem inuentum aliquid, in quo salsamentario cum lanione conueniat. Iam ut incipiam & ipse seriò loqui, quemadmodum fortassis expediret populum Christianũ paucioribus constitutiunculis obstringi, præsertim si quæ non multùm, aut nihil conducunt ad pietatem, ne dicam officiunt: ita non libet ab istis stare, qui omnes omnium hominum constitutiones reijciunt, neq; flocci faciunt. Imò ob hoc ipsum multa faciunt, quia præceptum est, ne faciant. Attamen demirari non possum in pleriſq;

Minus aleæ, id est minus periculi.

pleriſq; rebus præpoſtera mortalium iudicia. S A. Idem nec ego ſatis admirari poſſum. L A. Cœlum terræ miſcemus, ſi quid periculi ſuſpicamur, nequid decedat ponderis ſacerdotum conſtitutionibus autoritatiq;: & dormitamus, quum imminet euidens periculum, ne tantum tribuamus hominum autoritati, ut autoritati diuinæ minus tribuatur, quàm oportet. Sic à Scylla declinamus, ut non metuamus Charybdim, malum exitiabilius. Debetur epiſcopis ſuus honos, quis negat? præſertim ſi agunt quod dicuntur. Sed impium eſt, honores ſoli Deo debitos transferre in homines, & dum impenſe reuereremur hominem, parum reuereri Deum. Honorandus Deus in proximo, uenerandus in proximo, ſed interim adhibenda cautio, ne Deus per hanc occaſionem ſuo fraudetur honore. S A. Itidem uidemus multos intantum fidere corporalibus ceremonijs, ut his freti negligant ea quæ ſunt ueræ pietatis, ſuis meritis arrogantes quod eſt diuinæ largitatis, & ibi conſiſtentes unde gradus erat ad perfectiora, & ex his rebus proximum ea lumniãtes, quæ per ſe nec bonæ ſunt nec malæ. L A. Quin in eadem re quum duo ſint quorum alterum altero præſtantius, ſemper deterioris eſt nobis potior ratio. Corpus & quæ corporis ſunt, ubiq; pluris fiũt, quàm ea quæ ſunt animi. Et hominem occidiſſe, pro graui crimine ducitur, ut eſt: at peſtifera doctrina, uipereis inſtinctibus corrupiſſe mentem hominis, ludus eſt. Si ſacerdos alat capillitium, aut ueſtem ſumat hominis prophani, rapitur in carcerem, acriter punitur: ſi bibat in lupanari, ſi ſcortetur, ſi ludat aleam, ſi uitiet alienas uxores, ſi nihil attingat ſacræ lectionis, tamen columna eſt eccleſiæ. Non

excuſo

excuſo mutatam ueſtem, ſed accuſo præpoſterũ iudicium. SA. *Imò ſi non perſoluat penſum precum horariarum, paratum eſt anathema: ſi fœneretur, ſi ſimoniam admittat, impune eſt.* LA. *Si quis uideat Carthuſianum aliter ueſtitum, aut ueſcentem carnibus, quàm execratur, quàm horret, quàm timet, ne terra dehiſcens & ſpectatorẽ & ſpectatum abſorbeat: idem ſi uideat eum temulentũ, mendacibus uerbis in famam aliorum debacchãtem, manifeſtis dolis imponentem tenui uicino, nemo perinde abominatur.* SA. *Veluti ſi quis uideat Franciſcanum enodi cingulo cinctum, aut Auguſtinenſem non corio, ſed lana cinctum, aut diſcinctum Carmelitam, aut cinctum Rhodienſem: rurſus ſi percalceatum Franciſcanum, aut ſemicalceatum Cruciferum, non ne concitaret Tyria, quod dici ſolet, maria?* LA. *Imò nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum utranq; dixiſſes prudentem, altera abortijt, altera concidit ſyncopi, quòd cõſpicerent Canonicum quẽdam ſacris uirginibus præfectũ in propinqua uicinia, ſed tamen in publico obambulare, qui ueſtem lineam non haberet tectam nigro pallio. At eædem crebrò uiderant aues eiuſmodi comeſſantes, cantillantes, ſaltitantes, non addam cætera, nec ullam ſentiebant nauſeam.* SA. *Sexui fortaſſe debetur uenia. Opinor tibi notum Polythreſcum. Is ægrotabat periculosè, phthiſis erat. Medici diu ſuaſerant, ut ueſceretur ouis & lactarijs, ſed fruſtra: eõdem cohortabatur Epiſcopus. Ille quum eſſet uir non indoctus, & Theologiæ baccalaureus, uidebatur citius emoriturus, quàm utriuſq; medici cõſilio morẽ geſturus. Ita uiſum eſt medicis & amicis ut falleretur, parata eſt ſorbitio*

Tyria maria, id eſt, ſummos tumultus. Vide prouerbium.

ex ouis

ex ouis & lacte caprino, dictum est lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliusculè, donec puella quædam fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat reuomere. At idem superstitiosus in lacte, nulla religione commotus est, quo minus abiuraret pecuniam mihi debitam. Nam chirographum simpliciter exhibitum clàm ungui sciderat. Delatum est iusiurandum, ego illi cessi. Is uerò tam non grauatim recepit, ut optare uideretur quotidianas eiusmodi delationes. Quid hoc iudicio peruersius? Peccabat aduersus mentem ecclesiæ, qui hìc non obtemperarit sacerdoti & medicis: & in periurio manifesto firmam habebat conscientiam tam infirmus in lacte. LA. Hìc mihi succurrit fabula, quam nuper Dominicanus quidam narrauit in concione frequentißima, quò sermonis amaritudinem (nam die parasceues exponebat mortem Domini) iucundiore narratione dilueret. Virginem sacram oppressérat adolescens, uteri tumor arguit factum, conuocatus est uirginum chorus, præsedit abbatissa. Accusata est. Inficiali statui non erat locus. Argumentum erat necessarium. Confugit ad statum qualitatis, nisi mauis translationis. Oppressa sum à ualentiore. At saltem exclamasses. Fecissem, inquit, sed in dormitorio nefas est soluere silentium. Sit hæc fabula, modò fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam quod his oculis uidi. Nomen hominis lociq; silebitur. Habebam affinem Priorem abbati proximum, ordinis Benedictini, sed ex eorum numero qui non uescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur dο-

Inficialis status quum factū negatur. Qualitatis, quū defendi tur, ut iure factū. Translatiuus, quū culpa facti trāsferturin alium.

ctus,

ctus, & ipse uolebat haberi, annos natus ferè quinquaginta. Certare poculis & hilarescere uino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas, illhic dabatur opera purgādis renibus. SA. Erat unde id fieret? LA. Possidebat annuè sexcētos florenos. SA. O paupertatem optabilem. LA. Ex uino & uenere incidit in phthisin. Desperantibus medicis abbas imperabat esum carniū, addens illud terribile uerbū, sub pœna inobediētiæ. Ille uix adigi potuit, ut moriēs gustaret carnes, à quibus tot annis non abhorruerat. SA. Prior tali abbate dignus. Diuino tamen, quos dicas: nam eandē fabulā & ab alijs audire memini. LAN. Diuina. SA. Non'ne abbas est prægrandi obesoq; corpore, lingua subblæsa: Prior humiliore statura, sed erecta, gracili uultu? LA. Di uinasti. SAL. Accipe par pari relatum. Audies quod nuper ipse uidi, cuique non interfui solùm, uerùm etiam propémodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ uisebant cognatos suos. Vbi uenissent, quò uolebant, famulus per obliuionem reliquerat codicem precum iuxta cōsuetudinem ordinis & loci in quo uiuebant. Deum immortalem, quāta illhic perturbatio. Non audebāt cœnare, nisi dictis precibus uespertinis, nec sustinebāt ex alio codice dicere quàm ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Cantherio recurrit famulus, sub multam noctem adfert relictum codicem. Dicuntur preces, uixq; ad decimam cœnauimus. LAN. Hactenus nihil audio, quod sit magnopere reprehendendum. SAL. Nimirùm, dimidium dúntaxat audisti fabulæ. Inter cœnandum cœperūt illæ uirgines hilarescere uino, tandem risu soluto, iocis

parum pudicis perſtrepuit conuiuium, ſed nemo licentius egit, quàm illæ, quæ niſi dictis ex ordinis forma precibus cœnare noluerunt. A' conuiuio luſus, choreæ, cantilenæ, reliqua non audeo commemorare, ſed planè uereor, ne quid ea nocte patratum ſit parum uirgineum, niſi me fallebant proœmia, laſciui luſus, nutus & ſuauia. LA. Iſtam peruerſitatem nõ tam imputo uirginibus, quàm ſacerdotibus earum curam gerentibus. Sed agè fabulam fabulæ penſabo, quin potius audies oculatam hiſtoriam. Hiſce diebus aliquot conjecti ſunt in carcerem, quòd auſi ſint die Dominico panem coquere, quum fortè deeſſet. Equidem non damno factum, ſed excutio iudicium. Aliquantò pòſt die Dominico, qui uulgò palmarum dicitur, fortè erat quur uicus propinquus mihi eſſet adeundus. Ibi tum ad horam diei ferme quartam à prandio, obuium habeo, ridiculum'ne dicã, an miſerandum ſpectaculum, arbitror nulla Bacchanalia plus habuiſſe turpitudinis. Alij uacillabant huc illhuc uino, non aliter quàm nauis deſtituta rectore iactatur uentis & fluctibus. Erant qui complexi brachium alterius ſuſtinebant lapſantem, ſed ipſi parum firmi: alij ſubinde cadebant, ægreq; ſurgebant: nonnulli quernis frondibus erant coronati. SA. Magis conueniebat pampineis, tum addendi thyrſi. LAN. Senior quidam Silenum agens, ſarcinæ in morem ſublimis geſtabatur humeris, eo geſtu quo ſolent olim efferri cadauera, pedibus eò porrectis quò ibant, niſi quòd pronus baiulabatur, ne uomitu præfocaretur ſupinus. Is miſerè conuomebat ſuras & calcaneos extremorũ baiulorum. Nec inter baiulos quiſquam erat ſobrius, plerique ridebant

Pampineis, quia Baccho operabantur.

Thyrſũ, haſtæ uiteæ, quas geſtabant agentes Bacchanalia.

Silenus apud Vergiliũ inducitur ſenex Epicureꝰ eſt & Deus comes Bacchi,

ridebant, sed sic ut facilè diceres mentem abesse. Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompa ciuitatem ingressi sunt, idq; clara luce. S A. Vnde collegerant eam insaniam? L A. In uico propinquo uinum paulò uilius uenditur, quàm in urbe, eò se contulerant aliquot combibones, quò uilius insanirent, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est demeniæ. Hi si gustassent ouũ, uelut cõmisso parricidio pertracti fuissent in carcerem: quum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces uespertinas, in die sacrato tantum intemperantiæ publicitus esset admissum, nemo punijt, nemo detestatus est. S A L. Atqui ne isthuc tantopere mireris, in medijs urbibus, in popinis tempore proximis, diebus quamlibet festis, potatur, cantatur, saltatur, pugnatur tanto strepitu, tantoq; tumultu, ut nec sacrum peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Idem si eodem tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accerserẽtur. Et tamen dies Dominicus ob hoc potißimum est institutus, quò uacaret audire doctrinam Euangelicam: & ideo uetitum consuere calceos, ut sit otium cõcinnandis animis. An nõ hæc mira iudiciorum peruersitas? L A. Prodigiosa. Iam in ipso ieiunij præscripto quum duo sint, alterum abstinentia cibi, alterum delectus cibi: nemo nescit, prius illud præceptum diuini, aut certè iuxta præceptum diuinum esse: alterum uerò non solùm humanum, uerùm etiam propémodũ pugnans cum apostolica doctrina, utcunque hoc excusanius: tamen hic quoque præpostero iudicio, cœnare uulgò impune est, gustasse cibum ab homine uetitum, à Deo per

Ieiunium, Abstinentia et Delectus cibi.

missum & item ab apostolis, capitale est. Ieiunium tametsi non constat esse certò præceptum ab Apostolis, tamen illorum exemplis ac literis commendatum est: at interdictum ciborum esum, quos Deus creauit ad uescendum cum gratiarum actione, ut tueamur apud iudicem Paulum, quot lemmatis est opus? Et tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur: si ualetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia uulgus quadragesimæ tempore iustam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere ius pulli, plus quàm sacrilegium admissum uidetur. Apud eosdem in quadragesima, quo ieiunio ut nihil antiquius, ita nihil sanctius habitum est apud Christianos, impune cœnatur, ut dixi: si tentes idem extra quadragesimam die Veneris, nemo feret. Si quæras quam ob rem, allegant patriæ consuetudinem. Execrantur eum, qui regionis negligit consuetudinem: & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant uetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem. S A. *Nec probandus est, qui sine causa negligit consuetudinem patriæ, in qua uiuit.* L A. *Nec ego criminor eos, qui quadragesimam cum Deo uentre'que partiuntur, sed indico præposterum de rebus iudicium.* S A. *Quum dies dominicus præcipuè legatur institutus, quò populus simul conueniret ad audiendum sermonem Euangelicum, qui non adit missam, abominabilis est: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus est.* L A N. *Quantum flagitium admissum existinent, si quis sumat Eucharistiam illotis faucibus: quàm nihil trepidant, quum idem faciunt illoto animo, peruersis q; cupiditatib*

Lemmatis, id est argumentis, sed propriè argumentiũ futile lemma dicitur.

piditatibus sordidato. S A. Quàm multi sunt sacerdotes, qui citius mortem oppetant, quàm sacrificent calice & patina nondum ab episcopo consecrata, aut quàm sacrificent ueste quotidiana. At inter hos qui sic affecti sunt, quàm multos uidemus, qui non uerentur ad sacram mensam accedere noctis proximæ crapula adhuc temulenti. Quanta trepidatio, si fortè contigerint corpus domini ea manus parte, quæ sacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione dispicimus, ne prophanus animus offendat dominum? L A. Vasa sacra non attingimus, & piaculum admissum arbitramur, si id fortè acciderit, & interim uiua templa sancti spiritus quàm securi uiolamus? S A L. Humana constitutio uetat, ne nothus, claudus, aut luscus recipiatur ad sacra ministeria. Hic quàm sumus difficiles, & tamen interim passim recipimus indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicunt, Latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor quæ magis in propatulo sunt, quàm uitia corporis. L A. Sunt & episcopi, qui ex functionibus nihil sibi uindicant, præter rationes, aliaq; sordida: concionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedunt quamlibet sordidis, haudquaquam facturi, nisi præpostero iudicio tenerentur. S A L. Qui festum diem uiolat ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam. Et satrapæ quidam, qui tot constitutionibus pontificum & conciliorum, tot fulminibus fortiter contemptis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fouendis senibus, ægrotis & egenis ex piorum hominum eleemosynis institutæ

sunt, abunde Christiani sibi uidentur si sæuiant in leuissimarum rerum prævaricatores. LAN. Præstat satrapas missos facere, loquiq; de salsamentis & carnibus. SAL. Assentior. Redeamus igitur ad ieiunium & pisces. Audiui pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, inualidos, grauem laborē sustinentes, grauidas, lactantes, ac uehementer tenues. LA. Idem & ipse frequenter audiui. SAL. Rursus audiui præcellentem quendam Theologum, opinor Gersoni nomen esse, hoc addere, si quid extiterit causæ paris momenti, cum his quæ pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare uigorem præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus, qui reddunt capitaliorem inediam, quàm morbus euidens: & sunt uitia morbi'ue, qui non apparent, quum re uera plus habeant discriminis. Proinde qui sibi notus est, nihil opus habet consulere sacerdotem, quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos à lege. Et qui pueros, aut uehemēter senes, aut alioquin inualidos adigunt ad ieiunium aut esum piscium, bis peccant, primùm aduersus fraternam charitatem, deinde aduersus mentem pontificum, qui nolunt eos inuolui lege, quibus obseruata pernicie adferret. Christus quicquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec ullus pontifex sibi uendicat tantum potestatem, ut sua constitutione quenquam adigat ad uitæ discrimen. Veluti, si quis ex inedia uespertina contrahit insomnium: & ob insomnium periclitetur paraphronesi, simul & aduersus ecclesiæ mentem, & aduersus Dei uoluntatē, homicida est sui. Principes quoties commodum est, editis lege

Paraphronesis deliratio, id est leuior insania.

minan

minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, nõ definio: illud dicam, tutius facerent, si non infligerent mortem corporis, nisi ob causas in diuinis literis expressas. In odiosis Dominus longius auocat ab extrema linea, uelut à periurio, uetans omnino iurare, in homicidio prohibens iracsci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidij lineam impellimus, quã uocamus necessitatem. Imò quoties apparet causa probabilis, charitatis est ultro hortari proximum ad ea, quæ postulat corpusculi imbecillitas. Etsi nulla apparet causa, tamen Christianæ charitatis est, benigne interpretari, quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat manifestum ecclesiæ contemptum. Contumaciter ac seditiosè uescentes rectè punit magistratus prophanus: at quid quisque domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est curare, non magistratuum. Quòd si quorum improbitas hinc quoque concitet tumultum, ipsi seditionis accersantur, non is qui seruiuit ualetudini, nec diuina nec humana lege uiolata. Hîc certè non in loco præteximus autoritatem pontificum, quorum tanta est humanitas, ut ubi cognorint causam haud absurdam, ultro inuitent ad ea, quæ postulat ualetudo, diplomatis arment aduersus malorum obtrectationes. Denique per uniuersam Italiam patiuntur in certis macellis uendi carnes, nimirùm illorum saluti consulentes, quos illa lex nõ astringit. Quin & in concionibus sacris audiui Theologos paulò minus Pharisaicos dicere: Nihil est quod uereamini cœnæ tẽpore sumere panẽ unũ & heminã uini ceruisiæue propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum

Hemina, mensurę genus sextarij dimidiũ.

sibi sumunt autoritatis, ut pro cœna cœnulam indulgeant ualidis, id'que contra præceptum ecclesiæ, quæ ieiunium indixit, non cœnulam: quur non audent iustam cœnam permittere ijs quorum imbecillitas hoc requirit, & pontifices expreßis causis declararũt sibi placere? Dicatur zelus, si quis durius tractet corpus suum: nam sibi quisque notus est: at ubi pietas, ubi charitas istorum, qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra sensum legis pontificiæ fratrem imbecillem, spiritu promptum, corpusculo infirmum ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? LAN. Suggerit mihi tua commemoratio quiddam, quod ante biennium uidi. Erotem nosti, uirum iam natu grandem, uidelicet sexagenarium, ualetudine plusquàm uitrea, tum quotidianis morbis, ijs'que atrocißimis grauißimisq; studiorum laboribus sic afflicta, ut uel Milonem poßint deijcere: ad hæc occulta quadam naturæ proprietate uel à puero sic & adhorrens à piscium esu, & impatiens inediæ, ut nunquàm id tentarit absque capitis discrimine, postremò diplomatis pontificum abunde cõmunitus aduersus pharisaicas linguas. Is nuper cò uocantibus amicis, inuiserat ciuitatem Eleutheropolim, non omnino suo nomini respõdentem. Erat autẽ quadragesimæ tempus, datus est unus atq; alter dies amicorum affectibus. Interim uescebatur piscibus, ne quem offenderet, quum haberet præter necessitatem à põtifice diploma, per quod licebat uesci quibuslibet. Iam præsentiebat morbum imminentẽ, quem habebat familiarem. sed morte crudeliorem: parat abitũ, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes illum hòc

Eleutheropolis, id est, libera ciuitas.

matu

maturius abire, quòd non ferret esum piscium, effecerunt ut Glaucoplutus uir adprimè doctus, & primæ in ea repub. autoritatis, Erotem inuitaret domũ suam ad ientaculum. Eros iam turbæ satur, quam in publico diuersorio uitare non poterat, assensus est, sed hac lege, ne quid esset apparatus præter oua duo, quæ stans ubi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Vbi eò uenit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indignè ferens, præter oua nihil attigit, & abrumpens conuiuiũ cõscendit equos, deducentibus eruditis aliquot. Eius pulli nidor nescio quomodo peruenerat ad sycophantas. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent ueneno necati. Nec ea ciuitas modò perstrepuit hac fabula, sed eodem ferme die rumor ad alias ciuitates transuolarat, quæ aberant itinere tridui. Atq;, ut fit, rumor aliquid ueris addiderat, Erotem ni propere fugisset, accersendum fuisse ad magistratum. Hoc ut erat falsissimum, ita uerum erat, Glaucoplutum magistratui expostulanti satisfeciſſe. Iam Eros sic affectus, ut dixi, si uel in publico carnibus uesceretur, quis deberet offendi? Et tamẽ in eadem ciuitate totam quadragesimam, sed præcipuè diebus festis bibitur usque ad insaniã, clamatur, saltatur, pugnatur, luditur alea proximè tẽplum, ut sacra cõcio nõ possit audiri, & nullũ est offendiculum. SA. Mira iudiciorũ peruersitas. LA. Accipe fabulam huic non dissimilem. Iam ferme biennium est, quòd idem Eros ualetudinis ergô uiseret Feruẽtiam, ego officij gratia comitatus sum. Diuertit in ædes ueteris amici, cuius crebris literis fuerat euocatus. Is est uir præpotẽs, & illius ecclesiæ procerũ unus.

ex ouis & lacte caprino, dictum est lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliusculè, donec puella quædam fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat reuomere. At idem superstitiosus in lacte, nulla religione commotus est, quo minus abiuraret pecuniam mihi debitam. Nam chirographum simpliciter exhibitum clàm ungui sciderat. Delatum est iusiurandum, ego illi cessi. Is uerò tam non grauatim recepit, ut optare uideretur quotidianas eiusmodi delationes. Quid hoc iudicio peruersius? Peccabat aduersus mentem ecclesiæ, qui hic non obtemperarit sacerdoti & medicis: & in periurio manifesto firmam habebat conscientiam tam infirmus in lacte. LA. Hìc mihi succurrit fabula, quam nuper Dominicanus quidam narrauit in concione frequentissima, quò sermonis amaritudinem (nam die parasceues exponebat mortem Domini) iucundiore narratione dilueret. Virginem sacram oppressérat adolescens, uteri tumor arguit factum, conuocatus est uirginum chorus, præsedit abbatissa. Accusata est. Inficiali statui non erat locus. Argumentum erat necessarium. Confugit ad statum qualitatis, nisi mauis translationis. Oppressa sum à ualentiore. At saltem exclamasses. Feissem, inquit, sed in dormitorio nefas est soluere silentium. Sit hæc fabula, modò fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam quod his oculis uidi. Nomen hominis loci; silebitur. Habebam affinem Priorem abbati proximum, ordinis Benedictini, sed ex eorum numero qui non uescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus,

Inficialis status quum factū negatur. Qualitatis, quū defendi tur, ut iure factū. Translatio nis, quū culpa facti trāsferun tu alium.

ctus, & ipse uolebat haberi, annos natus ferè quinquaginta. Certare poculis & hilarescere uino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas, illhic dabatur opera purgādis renibus. S A. Erat unde id fieret? L A. Possidebat annuè sexcētos florenos. S A. O paupertatem optabilem. L A. Ex uino & uenere incidit in phthisin. Desperantibus medicis abbas imperabat esum carniū, addens illud terribile uerbū, sub pœna inobediētiæ. Ille uix adigi potuit, ut moriēs gustaret carnes, à quibus tot annis non abhorruerat. S A. Prior tali abbate dignus. Diuino tamen, quos dicas: nam eandē fabulā & ab alijs audire memini. L A N. Diuina. S A. Non ne abbas est prægrandi obesóq; corpore, lingua subblæsa: Prior humiliore statura, sed erecta, gracili uultu? L A. Di uinasti. S A L. Accipe par pari relatum. Audies quod nuper ipse uidi, cuíque non interfui solùm, uerùm etiam propémodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ uisebant cognatos suos. Vbi uenissent, quò uolebant, famulus per obliuionem reliquerat codicem precum iuxta cōsuetudinem ordinis & loci in quo uiuebant. Deum immortalem, quāta illhic perturbatio. Non audebāt cœnare, nisi dictis precibus uespertinis, nec sustinebāt ex alio codice dicere quàm ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Cantherio recurrit famulus, sub multam noctem adfert relictum codicem. Dicuntur preces, uixq; ad decimam cœnauimus. L A N. Hactenus nihil audio, quod sit magnopere reprehendendum. S A L. Nimirùm, dimidium dúntaxat audisti fabulæ. Inter cœnandum cœperūt illæ uirgines hilarescere uino, tandem risu soluto, iocis

parum pudicis perſtrepuit conuiuium, ſed nemo licentius egit, quàm illæ, quæ niſi dictis ex ordinis forma precibus cœnare noluerunt. A' conuiuio luſus, choreæ, cantilenæ, reliqua non audeo commemorare, ſed planè uereor, ne quid ea nocte patratum ſit parum uirgineum, niſi me fallebant proœmia, laſciui luſus, nutus & ſuauia. LA. Iſtam peruerſitatem nõ tam imputo uirginibus, quàm ſacerdotibus earum curam gerentibus. Sed agè fabulam fabula penſabo, quin potius audies oculatam hiſtoriam. Hiſce diebus aliquot coniecti ſunt in carcerem, quòd auſi ſint die Dominico panem coquere, quum fortè deeſſet. Equidem non damno factum, ſed excutio iudicium. Aliquantò pòſt dic Dominico, qui uulgò palmarum dicitur, fortè erat quur uicus propinquus mihi eſſet adeundus. Ibi tum ad horam diei ferme quartam à prandio, obuium habeo, ridiculum'ne dicã, an miſerandum ſpectaculum, arbitror nulla Bacchanalia plus habuiſſe turpitudinis. Alij uacillabant huc illhuc uino, non aliter quàm nauis deſtituta rectore iactatur uentis & fluctibus. Erant qui complexi brachium alterius ſuſtinebant lapſantem, ſed ipſi parum firmi: alij ſubinde cadebant, ægreq; ſurgebant: nonnulli quernis frondibus erant coronati. SA. Magis conueniebat pampineis, tum addendi thyrſi. LAN. Senior quidam Silenum agens, ſarcinæ in morem ſublimis geſtabatur humeris, eo geſtu quo ſolent olim efferri cadauera, pedibus eò porrectis quò ibant, niſi quòd pronus baiulabatur, ne uomitu præfocaretur ſupinus. Is miſerè conuomebat ſuras & calcaneos extremorũ baiulorum. Nec inter baiulos quiſquam erat ſobrius, plerique ridebant

Pampineis, quia Baccho operabantur.

Thyrſi, haſtæ uiteæ, quas geſtabant agentes Bacchanalia.

Silenus apud Vergiliũ inducitur ſenex Epicureꝰ eſt & Deus comes Bacchi,

ridebant, sed sic ut facilè diceres mentem abesse. Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompa ciuitatem ingressi sunt, idq; clara luce. S A. *Vnde collegerant eam insaniam?* L A. *In uico propinquo uinum paulò uilius uenditur, quàm in urbe, eò se contulerant aliquot combibones, quò uilius insanirent, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est demen tiæ. Hi si gustassent ouũ, uelut cõmisso parricidio pertracti fuissent in carcerem: quum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces uespertinas, in dic tam sacrato tantum intemperantiæ publicitus esset admissum, nemo punijt, nemo detestatus est.* S A L. *Atqui ne isthuc tantopere mireris, in medijs urbibus, in popinis tem plo proximis, diebus quamlibet festis, potatur, cantatur, saltatur, pugnatur tanto strepitu, tantoq; tumultu, ut nec sacrum peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Idem si eodem tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accersẽretur. Et tamen dies Dominicus ob hoc potissimum est institutus, quò uacaret audire doctrinam Euangelicam: & idco uetitum consuere calceos, ut sit otium cõcinnandis animis. An nõ hæc mira iudiciorum peruersitas?* L A. *Prodigiosa. Iam in ipso ieiunij præscripto quum duo sint, alterum abstinentia cibi, alterum delectus cibi: nemo nescit, prius illud præcepti diuini, aut certè iuxta præceptum diuinum esse: alterum uerò non solùm humanum, uerùm etiam propémodũ pugnans cum apostolica doctrina, utcunque hoc excusamus: tamen hîc quoque præpostero iudicio, cœnare uulgò impune est, gustasse cibum ab homine uetitum, à Deo per*

Ieiunium. Abstinentia et Delectus cibi.

missum & item ab apostolis, capitale est. Ieiunium tamet. si non constat esse certò præceptum ab Apostolis, tamen illorum exemplis ac literis commendatum est: at interdictum ciborum esum, quos Deus creauit ad uescendum cum gratiarum actione, ut tueamur apud iudicem Paulum, quot lemmatis est opus? Et tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur: si ualetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia uulgus quadragesimæ tempore iustam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere ius pulli, plus quàm sacrilegium admissum uidetur. Apud eosdem in quadragesima, quo ieiunio ut nihil antiquius, ita nihil sanctius habitum est apud Christianos, impune cœnatur, ut dixi: si tentes idem extra quadragesimam die Veneris, nemo feret. Si quæras quam ob rem, allegant patriæ consuetudinem. Execrantur eum, qui regionis negligit consuetudinem: & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant uetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem. S A. Nec probandus est, qui sine causa negligit consuetudinem patriæ, in qua uiuit. L A. Nec ego criminor eos, qui quadragesimam cum Deo uentre'que partiuntur, sed indico præposterum de rebus iudicium. S A. Quum dies dominicus præcipuè legatur institutus, quò populus simul conueniret ad audiendum sermonem Euangelicum, qui non adit missam, abominabilis est: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus est. L A N. Quantum flagitium admissum existinent, si quis sumat Eucharistiam illotis faucibus: quàm nihil trepidant, quum idem faciunt illoto animo, peruersisq; cupiditatib

Lemmatis, id est argumentis, sed propriè argumeniũ futile lemma dicitur.

piditatibus sordidato. SA. *Quàm multi sunt sacerdotes, qui citius mortem oppetant, quàm sacrificent calice & patina nondum ab episcopo consecrata, aut quàm sacrificent ueste quotidiana. At inter hos qui sic affecti sunt, quàm multos uidemus, qui non uerentur ad sacram mensam accedere noctis proximæ crapula adhuc temulenti. Quanta trepidatio, si fortè contigerint corpus domini ea manus parte, quæ sacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione dispicimus, ne prophanus animus offendat dominum?* LA. *Vasa sacra non attingimus, & piaculum admissum arbitramur, si id fortè acciderit, & interim uiua templa sancti spiritus quàm securi uiolamus?* SAL. *Humana constitutio uetat, ne nothus, claudus, aut luscus recipiatur ad sacra ministeria. Hic quàm sumus difficiles, & tamen interim passim recipimus indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicunt, Latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor quæ magis in propatulo sunt, quàm uitia corporis.* LA. *Sunt & episcopi, qui ex functionibus nihil sibi uindicant, præter rationes, aliaq; sordida: concionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedunt quamlibet sordidis, haudquaquam facturi, nisi præpostero iudicio tenerentur.* SAL. *Qui festum diem uiolat ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam. Et satrapæ quidam, qui tot constitutionibus pontificum & conciliorum, tot fulminibus fortiter contemptis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fouendis senibus, ægrotis & egenis ex piorum hominum eleemosynis institutæ*

sunt, abunde Christiani sibi uidentur si sæuiant in leuissimarum rerum prævaricatores. LAN. *Præstat satrapas missos facere, loquiq; de salsamentis & carnibus.* SAL. *Assentior. Redeamus igitur ad ieiunium & pisces. Audiui pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, inualidos, grauem laborẽ sustinentes, grauidas, lactantes, ac uehementer tenues.* LA. *Idem & ipse frequenter audiui.* SAL. *Rursus audiui præcellentem quendam Theologum, opinor Gersoni nomen esse, hoc addere, si quid extiterit causæ paris momenti, cum his quæ pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare uigorem præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus, qui reddunt capitaliorem inediam, quàm morbus euidens: & sunt uitia morbi'ue, qui non apparent, quum re uera plus habeant discriminis. Proinde qui sibi notus est, nihil opus habet consulere sacerdotem, quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos à lege. Et qui pueros, aut uehemẽter senes, aut alioquin inualidos adigunt ad ieiunium aut esum piscium, bis peccant, primùm aduersus fraternam charitatem, deinde aduersus mentem pontificum, qui nolunt eos inuolui lege, quibus obseruata pernicie adferret. Christus quicquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec ullus pontifex sibi uendicat tantam potestatem, ut sua constitutione quenquam adigat ad uitæ discrimen. Veluti, si quis ex inedia uespertina contrahit insomnium: & ob insomnium periclitetur paraphronesi, simul & aduersus ecclesiæ mentem, & aduersus Dei uoluntatẽ, homicida est sui. Principes quoties commodum est, edita lege*

Paraphronesis deliratio, id est leuior insania.

minan

minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, nõ definio: illud dicam, tutius facerent, si non infligerent mortem corporis, nisi ob causas in diuinis literis expressas. In odiosis Dominus longius auocat ab extrema linea, uelut à periurio, uetans omnino iurare, in homicidio prohibens irasci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidij lineam impellimus, quã uocamus necessitatem. Imò quoties apparet causa probabilis, charitatis est ultro hortari proximum ad ea, quæ postulat corpusculi imbecillitas. Etsi nulla apparet causa, tamen Christianæ charitatis est, benigne interpretari, quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat manifestum ecclesiæ contemptum. Contumaciter ac seditiosè uescentes rectè punit magistratus prophanus: at quid quisque domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est curare, non magistratuum. Quòd si quorum improbitas hinc quoque concitet tumultum, ipsi seditionis accersantur, non is qui seruiuit ualetudini, nec diuina nec humana lege uiolata. Hîc certè non in loco præteximus autoritatem pontificum, quorum tanta est humanitas, ut ubi cognorint causam haud absurdam, ultro inuitent ad ea, quæ postulat ualetudo, diplomatis arment aduersus malorum obtrectationes. Denique per uniuersam Italiam patiuntur in certis macellis uendi carnes, nimirùm illorum saluti consulentes, quos illa lex nõ astringit. Quin & in concionibus sacris audiui Theologos paulò minus Pharisaicos dicere: Nihil est quod uereamini cœnæ tẽpore sumere panẽ unũ & heminã uini ceruisiæue propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum

Hemina, mensurę genus sextarij dimidiũ.

sibi sumunt autoritatis, ut pro cœna cœnulam indulgeant ualidis, id'que contra præceptum ecclesiæ, quæ ieiunium indixit, non cœnulam: quur non audent iustam cœnam permittere ijs quorum imbecillitas hoc requirit, & pontifices expressis causis declararũt sibi placere? Dicatur zelus, si quis durius tractet corpus suum: nam sibi quisque notus est: at ubi pietas, ubi charitas istorum, qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra sensum legis pontificiæ fratrem imbecillem, spiritu promptum, corpusculo infirmum ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? LAN. *Suggerit mihi tua commemoratio quiddam, quod ante biennium uidi. Erotem nosti, uirum iam natu grandem, uidelicet sexagenarium, ualetudine plusquàm uitrea, tum quotidianis morbis, ijs'que atrocissimis grauissimisq; studiorum laboribus sic afflicta, ut uel Milonem possint deijcere: ad hæc occulta quadam naturæ proprietate uel à puero sic & adhorrens à piscium esu, & impatiens inediæ, ut nunquàm id tentarit absque capitis discrimine, postremò diplomatis pontificum abunde cõmunitus aduersus pharisaicas linguas. Is nuper cò uocantibus amicis, inuiserat ciuitatem Eleutheropolim, non omnino suo nomini respõdentem. Erat autẽ quadrageſimæ tempus, datus est unus atq; alter dies amicorum affectibus. Interim uescebatur piscibus, ne quem offenderet, quum haberet præter necessitatem à põtifice diploma, per quod licebat uesci quibuslibet. Iam præsentiebat morbum imminentẽ, quem habebat familiarem. sed morte crudeliorem: parat abitũ, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes illum hoc*

Eleutheropolis, id est, libera ciuitas.

matu

maturius abire, quòd non ferret esum piscium, effecerunt ut Glaucoplutus uir adprimè doctus, & primæ in ea repub. autoritatis, Erotem inuitaret domũ suam ad ientaculum. Eros iam turbæ satur, quam in publico diuersorio uitare non poterat, assensus est, sed hac lege, ne quid esset apparatus præter oua duo, quæ stans ubi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Vbi eò uenit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indignè ferens, præter oua nihil attigit, & abrumpens conuiuiũ cõscendit equos, deducentibus eruditis aliquot. Eius pulli nidor nescio quomodo peruenerat ad sycophantas. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent ueneno necati. Nec ea ciuitas modò perstrepuit hac fabula, sed eodem ferme die rumor ad alias ciuitates transuolarat, quæ aberant itinere tridui. Atq;, ut fit, rumor aliquid ueris addiderat, Erotem ni propere fugisset, accersendum fuisse ad magistratum. Hoc ut erat falsissimum, ita uerum erat, Glaucoplutum magistratui expostulanti satisfeciſſe. Iam Eros sic affectus, ut dixi, si uel in publico carnibus ueſceretur, quis deberet offendi? Et tamẽ in eadem ciuitate totam quadrageſimam, sed præcipuè diebus festis bibitur usque ad insaniã, clamatur, saltatur, pugnatur, luditur alea proximè tẽplum, ut sacra cõcio nõ possit audiri, & nullũ est offendiculum. SA. Mira iudiciorũ peruersitas. LA. Accipe fabulam huic non dissimilem. Iam ferme biennium est, quòd idem Eros ualetudinis ergò uiseret Feruẽtiam, ego officij gratia comitatus sum. Diuertit in ædes ueteris amici, cuius crebris literis fuerat euocatus. Is est uir præpotẽs, & illius ecclesiæ procerũ unus.

Ventum est ad pisces, rursus Eros cœpit periclitari, agmen morborum erat, febris, cephalargia, uomitus, calculus. Hospes tametsi uideret grauiter periclitantem amicum, non ausus est tamen carnium micam dare amico. Quam ob rem? Videbat tot causas quur liceret, uiderat diploma, sed metuebat linguas hominum. Et iam eò profecerat morbus, ut frustra daturus fuerit. S A. Quid Eros? Noui hominis ingenium, emoriatur citius, quàm amicum ulla grauet inuidia. L A N. Incluſit se cubiculo, triduum uictitauit suo more. Prandium erat ouum unum, potus aqua saccaro decocta. Simulatq; se remiserat febris, conscendit equũ, secum deferens cõmeatum. S A. Quem? L A. Lac amygdalinum in laguncula, & uuas passas in crumena. Vbi domum rediit, tum aperuit sese calculus, totumq; mensem decubuit. Et tamen hunc quoq; abitum sæuus, sed uanus carnium rumor sequutus est, & Lutetiam usq; perlatus non sine frequenti splendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneum talibus offendiculis? S A. Vt in illorum capita cuncti suas matulas effundant, & si fortè occurrant, obturatis naribus prætereantur, quò uel sic agnoscant suam uesaniam. L A. Certè hanc pharisaicam impietatem oportebat acrius Theologorum cõuicijs flagellari. De hospite uerò illo quid censes? S A. Mihi uir prudens uidetur, qui norit quàm friuolis de causis quantas tragœdias interdum excitet populus. L A. Sit hoc sanè prudenter factum, et boni uiri metũ ciuiliter interpretemur, at quàm multi sunt, qui quũ in simili casu fratrẽ mori patiãtur, ecclesiæ cõsuetudinẽ & populi scandalum prætexũt: cæterum in

uita

uitæ palàm dedecorosa, quam agunt in comessationibus, in amoribus, in luxu, in otio, in summo contemptu sacrorum studiorum, in rapinis, simonijs & fraudibus, nihil formidant populi scandalum. SAL. Omnino tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis & impia crudelitas est. Sed illi mihi uidentur crudeliores, qui non ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inuentis periculis ueluti laqueis, impellunt multos in corporis animiq; manifestum discrimen, præsertim nulla publica autoritate pollentes. LAN. Expecto quid dicas. SA. Ante annos triginta uixi Lutetiæ in collegio cui cognomen ab aceto. LAN. Sapientiæ uocabulum audio. Quid uerò narras? Vixit salsamentarius in eo collegio tam acido? Non mirum igitur, si tantum tenet quæstionũ Theologicarum. Nam illhic, ut audio, parietes ipsi mentẽ habẽt Theologicam. SA. Sic est, ut dicis, ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus & pediculorum largissimam copiam nihil illhinc extuli. Verùm ut pergam, quod cœpi: In eo collegio tum regnabat Ioannes Standoneus, uir in quo non damnasses affectũ, sed iudicium omnino desiderasses. Etenim quòd ipse memor adolescentiæ, quam cum extrema paupertate transegerat, rationẽ habebat pauperum, uchementer probari debet. Et si iuuenum inopiam hactenus subleuasset, ut honestis studijs suppeteret rerum usus, nõ ad lasciuiam exuberaret copia, laudem merebatur. Cæterùm quòd rem aggressus est cubitu tam duro, uictu tam aspero parcoq;, uigilijs ac laboribus tam grauibus, ut intra annum prima experientia multos iuuenes, felici indole præditos, ac spem amplissimã præ se ferẽtes

Sapientiæ. Alludit ad locum Plautinum, Habet ne acetũ in pectore? Et de acri ingenio dicimus.

tes, alios neci dederit, alios cæcitati, alios dementiæ, nonnullos & lepræ, quorum aliquot ipse noui, certè nullus omnium non periclitatus est, quis non intelligat esse crudelitatem in proximum? Nec his contentus, addidit pallium & cucullam, admit in totum esum carnium. Et huius generis plantaria transtulit in longinquas regiones. Quòd si quisque tantùm permittat suis affectibus, quantùm ille permisit, futurum est, ut istorum similes totum occupent mundum. Siquidem à talibus initijs primùm orta sunt monasteria, quæ nunc minitantur pontificibus & monarchis. In proximi ad pietatem respiscentis lucro gloriari pium est: in ueste aut cibo gloriam quærere, pharisaicum est: proximorum inopiam subleuare pietas est, prospicere ne liberalitate bonorum abutantur ad luxũ, disciplina est. Cæterùm in morbos, in delirationẽ, in mortem his rebus impellere fratrem, crudelitas est, parricidium est. Abest fortasse uoluntas occidendi, at non abest homicidium. Quæ igitur istis debetur uenia? Nimirum quæ medico, qui per insignem imperitiã occîdit ægrotũ. Dicet aliquis: Nullus illos cogit ad hoc uitæ genus, sponte ueniunt, rogãt admitti, & liberum est abire pertæsis. O' Scythicam responsionem. Ita'ne postulant, ut adolescentes rectius perspiciant quid ipsis conueniat, quàm uir doctus, rerum usu tritus, & ætate prouectus? Sic sese excuset lupo, qui famelicum ostenta esca pellexit in retia. An qui ue hementer esurienti apponat cibum insalubrem aut letiferum etiam, ita semet excusabit pereunti? Nemo te coẽgit edere, uolens ac lubens deuorasti, quod erat appositum. Non'ne is iure respondeat? Tu non cibum dedisti,

sed

ſed uenenum. Telum ingens neceſsitas, graue tormentum fames. Auſerāt igitur illa magnifica uerba, libera erat electio. Imò magnam uim admouet, quiſquis talibus utitur tormentis. Nec ea ſæuitia tantùm perdidit tenues, ſuſtulit non paucos diuitum filios, & generoſam indolem depraua uit. Aetatē laſciuientem moderatis rationibus cohibere, paternum eſt. Cæterùm in medio hyemis rigore datur poſtulantibus paululum panis, potus iubetur è puteo peti, qui aquam habet peſtilentem, peſtiferam alioqui, etiam ſi nihil haberet præter rigorem matutinum. Noui multos, qui ualetudinem ibi contractam nec hodie poſſunt excutere. Erant aliquot cubicula humili ſolo, putri gypſo, uicinia latrinarum peſtifera. In his nullus unquam habitauit, niſi aut mors aut morbus capitalis fuerit conſequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinā, etiam in innoxios. Sic aiunt dediſci ferociam: ferociam appellant indolem generoſiorem, quam ſtudio frangunt, ut eos reddant habiles monaſterijs. Quantum ibi deuorabatur ouorum putrium? quantum uini putris hauriebatur? Sunt fortaſsis hæc iam correcta, ſed ſerò uidelicet ijs qui perierunt, aut corpus circunferunt infectum. Neque uerò hæc commemoro, quòd malè uelim illi collegio, ſed operæpretium eſſe iudicaui monere, ne ſub umbra religionis humana ſæuitia corrumpat ætatem imperitam ac teneram. Iam quantum ibi diſcatur ciuilitatis aut ueræ pietatis, in præſentia non excutio. Quòd ſi uiderem malitiā exuere quicunque cucullam induunt, hortarer omnes ad cucullam. Nunc alia res eſt, proinde non ſunt ad hoc uitæ genus frangendi ſpiritus ſuppullulantis ætatis, ſed animus magis

ad

ad pietatem educandus. Mihi *uix contigit ullum ingredi monasterium Carthusianorum, quin illhic offenderim unum atque alterum aut simpliciter mente captum, aut delirantem.* Verùm *iandudum tempus est, ut à tam longa digressione redeamus ad institutum.* LA. Imò *nullum est digressionis dispendium, rem ipsam egimus, nisi si quid tibi fortè succurrit, quod adijciendum putes ijs, quæ dissertè sunt de constitutionibus humanis.* SA. Mihi *quidem nec humanum præceptum implere uidetur, qui negligit hoc præstare quod spectauit is qui præcepit. Etenim qui festis diebus tantùm abstinet ab operibus manuarijs, nec interim uacat sacris, ut audiendis concionibus, uiolat festum diem, negligens id cuius gratia festus dies institutus est. Ideo enim interdictum est opus bonum, ut fieret melius. Iam uerò qui pro solitis operis uacant popinis, scortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis uiolant diem festum.* LAN. Opinor & *precum sacrarum pensum in hoc præscriptum sacerdotibus & monachis, ut hac exercitatione consuescerent sustollere mentem in Deum: & tamen qui pensum hoc non absoluit, periclitatur. Qui tantùm ore demurmurat uoces, nec curat animũ ad ea quæ sonat colligere, imò ne literas quidẽ studet discere, sine quibus quæ sonat, intelligi nõ possunt, uir bonus habetur, ac sibi quoq; uidetur.* SA. Ego *multos noui sacerdotes, qui piaculum inexpiabile putant, aliquam partem precum omisisse, aut per errorem dixisse de diua Virgine, quum dicendum esset de sancto Paulo. At ijdem pro nihilo ducebant aleam, scortum ac temulentiam, quæ diuinis pariter & humanis legibus uetita sunt.* LAN. Nec

paucos

paucos ego comperi, qui citius mortẽ oppetiſſent, quàm uel caſu guſtato cibo, aut dum os proluunt delapſis in ſtomachum aliquot aquæ guttis ſacrificaſſent: at ijdem fatebantur eſſe ſibi cum quibuſdam ſimultatem, quos, ſi daretur opportunitas, occiderent, nec uerebantur cum hoc animo ad ſacram Chriſti menſam accedere. SAL. Atqui ut ieiuni ſacrificent, hominis præceptum eſt: ut deponant iras prius, quàm accedant ad ſacram menſam, Dei præceptum. LA. Iam uerò de periurio quàm præpoſtere iudicamus? Infamis habetur, qui iureiurando confirmauit ſe diſſoluiſſe æs alienum, ſi conuincatur non diſſoluiſſe: nec periurium obijcitur ſacerdoti, qui palàm impudicè uiuit, quum iureiurãdo publicè profeſſus ſit caſtitatem. SAL. Quin iſtam cautionem canis epiſcoporum uicarijs, qui coram altari deierãt, ſe comperiſſe omnes, quos offerãt initiandos, idoneos ætate, ſciẽtia & moribus, quũ aliquoties inter hos uix duo tres ue ſint tolerabiles, plurimi uix ad ſtiuam idonei? LA. Vocatur ad pœnam, qui commotus aliqua cauſa peierat: & non puniuntur, qui tertio cuique uerbo admiſcent periurium. SAL. Iſti non iurant ex animo. LA. Eodem colore patrocineris licebit ei, qui hominem occîdit non ex animo. Peierare nec ioco nec ſerio fas eſt. Et atrocius diſcrimen foret, ſi quis ioco necaret hominem, quàm ſi cõmotus ira. SA. Quid ſi quis ad cãdem trutinam expendat iuſiurandũ principum, quo inaugurantur? LA. Et iſta quum ſint maximè ſeria, tamẽ quoniã uelut ex more fiunt, non habentur pro periurijs. Eadẽ eſt querimonia de uotis. Matrimoniũ uotum eſt iuris ſine cõtrouerſia diuini, & tamen dirimitur per monaſticæ

Ad ſtiuam, id eſt, ad aratrum. Nam ſtiua pars aratri eſt.

Eodem colore. Color in Rhetoricis, eſt ratio deſẽſionis. Iuu. Dic Quintiliane colorem. Et Seneca in controuerſijs, ſæpe meminit coloris.

sticæ uitæ professionē ab hominibus repertum. S A. Quum nullum uotum religiosius sit, quàm baptismi, tamen qui uestem mutat aut locum, perinde quasi patrem ueneno necarit, perquiritur, rapitur, stringitur, nonnunquam & occiditur propter honorem ordinis. At quorum tota uita pugnat ex diametro cum professione baptismi, quippe qui toti seruiunt mãmonæ, uentri, & huius mundi pompis, habentur in pretio, nec his obijcitur uoti uiolati crimen, nec exprobratur, nec uocantur apostatæ, sed habentur pro Christianis. L A N. Simile uulgi iudicium est de benefactis ac malefactis, de'que præsidijs beatitudinis. Quanta infamia sequitur puellã lapsam? at lõgè grauius crimen est lingua mendax & obtrectatrix, & animus odio liuoreq; corruptus. Vbi non grauius punitur quamuis leue furtum, quàm adulterium? Nemo lubens cum eo consuetudinem habet, qui semel furti aspersus est infamia: cum eo qui coopertus est adulterijs, pulchrum est habere familiaritatem. Speculatori publico, qui stipẽdio cõductus seruit legibus, quemadmodũ & iudex ipse, nemo dignetur locare filiam: & non detestamur affinitatem militis, qui toties inuitis parentibus, & uetante nonnunquam magistratu, subducit sese ad bellum mercenarium, tot stupris, tot raptibus, tot sacrilegijs, tot homicidijs, alijsq; facinoribus impurati, quæ uel in ipsa militia, uel in profectione ad bellũ, & reditu à bello cõmitti solent: hũc generum asciscimus, hunc quouis carnifice peiorem adamat uirgo, & interpretamur etiam nobilitatem quæsitam scelere. Qui nummum tollit, pendet: qui fraudata moneta publica, qui monopolijs, qui usuris, qui mille technis ac fraudibus

fraudibus tam multos spoliant, inter præcipuos habentur. SA. Qui uni cuipiam uenenum porrigunt, ut uenefici dant pœnas legibus: qui uinis infectis, aut oleo uitiato populum inficiunt, impune faciunt. LAN. Noui quosdam monachos adeò superstitiosos, ut existiment sese esse in manu diaboli, si uel casu sacra uestis absit, nec metuunt ab unguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur, si inebrientur, si inuideant. SAL. Istiusmodi licet & inter nos idiotas complures uidere: non credunt domum tutam à uiolentia cacodæmonis, nisi paratam habeant aquã consecratam, frondes sacras ac cereum: & non metuunt suis ædibus, in quibus quotidie tot modis prouocatur Deus, & colitur diabolus. LAN. Quàm multi sunt qui magis fidunt præsidio Virginis matris, aut Christophori, quam ipsius Christi? Matrem colunt imaginibus, candelis & cantiunculis, Christũ impia uita fortiter offendunt. Nauta quum periclitatur, Christi matrem, aut Christophorum, aut quemuis diuorũ citius inuocat, quàm ipsum Christũ. Et uirginem se credunt habere propitiam, quòd illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salue regina: ac non potius metuunt, ne illa se putet irrideri talibus cantiunculis, quum totus dies magnaq; noctis pars illis transigatur obscœnis sermonibus, temulentijs, & fictis non referendis. SA. Ita militi periclitanti citius in mentem uenit Georgius aut Barbara, quàm Christus. Porrò quum nullus sit cultus diuis gratior, quàm imitatio factorum, quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et Antonium nobis egregiè fauentem fore credimus, si illi porcos aliquot sacros alamus, siq; ipsum

cum suo porco, igni & tintinnabulo pictum habeamus in foribus ac lateribus ædium: nec metuimus, quod magis erat metuendum, ne ille malè uelit ædibus, in quibus regnant ea uitia, quæ uir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus rosariola, & salutatiunculas, quin potius annumeramus in illius gratiam coërcitum animi tumorem, repressam libidinem, condonatam iniuriam? Huiusmodi cantiunculis delectatur Christi mater, his officijs demeueris utrunq;. LA. Itidem morbo periclitanti citius in mentem uenit sanctus Rochus aut Dionysius, quàm Christus unica salus hominum. Quin & hi qui sacras literas interpretantur è suggesto, quas nemo sine spiritus afflatu uel intelligere rectè, uel docere potest utiliter, malunt inuocare Virginis matris auxilium, quàm ipsum Christum, aut Christi spiritum. Et in hæreseos suspicionem uocatur, qui mutire audet aduersus hanc consuetudinem, quam uocant laudabilem. Atqui laudabilior erat ueterum consuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui spiritum Christi itidem inuocant, Virginis auxilium nusquam implorant. Nec in eos stomachantur, qui tam sanctam consuetudinem, & ex Christi & apostolorum doctrina, ex sanctorum patrum exemplis desumptam, ausi sunt immutare. SAL. Similis error habet complures monachos, qui sibi persuadent Benedictum esse propitium, donec gestent illius cucullam & pallium, quanquàm non arbitror eum uirum unquam gestasse tam laciniosam, magnóque emptam uestem: nec uerentur illius iram, quòd in uita nihil habeant cum illo commune. LA.

Laciniosam, id est, sinuosam, multiq; panni, quod tamē primū uidetur inuctum, quo minus apparerent uestigia corporis.

Fran

Franciſci germanus eſt, qui ueſtem cinericiam, & cana beum cingulum non abijcit: uitam confer, nihil pugnantius. De pleriſq; loquor, non de omnibus. Atque hic ſermo per omnes ordinum, & profeßionum formas circunferri poteſt. Ex corruptis iudicijs naſcitur præpoſtera fiducia, & ex ijſdem naſcuntur præpoſtera ſcandala. Prodeat Franciſcanus coriacea zona cinctus, qui caſu funem ſuum perdiderit: aut Auguſtinenſis laneum geſtans cingulum, aut diſcinctus, qui cingi ſoleat, quæ futura eſt abominatio? quantum periculum ne mulierres ad hoc ſpectaculum abortiant? Et ex huiuſmodi nugis quanta fraternæ charitatis ruptura? quàm acerba odia? quàm uirulentæ obtrectationes? Aduerſus hæc clamat Dominus in Euangelio, nec minus gnauiter Paulus apoſtolus, aduerſus eadem clamandum eſſet Theologis, & concionatoribus. S A. Eſſet ſanè, ſed in his multi ſunt, quibus expedit talem eſſe populum, imò tales eſſe principes, tales epiſcopos. Et ſunt rurſus, qui nihilo plus ſapiunt in his, quàm populus, aut ſi quid ſapiunt, diſſimulant, ſuo uentri conſulentes potius, quàm Ieſu Chriſto. Itaq; fit, ut populus undiq; corruptus præpoſteris iudicijs, ibi fidat, ubi præſens eſt periculum: ibi trepidet, ubi nihil eſt periculi: ibi conquieſcat, unde progrediendum erat: eò proficiat, unde erat recedendum. Ab his male ſtructus ſi quid tentes conuellere, clamant excitari ſeditionem, quaſi ſeditio ſit, ſi quis uitioſum corporis habitum, quem imperitus medicus diu fouerit, ac propémodum uerterit in naturam, conetur eximere pharmacis melioribus. Verùm abrumpenda eſt querimonia, quæ finem non habet. Et periculum ſit, ſi ſenſerit popu-

lus hoc noſtrum colloquium, ne nouum ſuſcitent prouerbium, quod hæc curæ ſint Salſamentario, & Lanioni. LA. Iſtis ego regeram uetus prouerbium, Sæpe etiam eſt holitor ualde opportuna loquutus. Nuper quum iſta diſſererem ſuper cœnam, malis auſpicijs aderat quidam pannoſus, pediculoſus, luridus, uietus, exuccus, facie cadaueroſa, cranium uix habebat tres pilos, quoties loquebatur claudebat oculos, aiebant Theologum eſſe. Is me uocabat diſcipulum Antichriſti, aliaq; permulta balbutiebat. SALS. Quid ibi tu, mutus? LAN. Ego illi precabar micam ſobriæ mentis in tam putido cerebro, ſi tamen ullum habebat cerebrum. SALSAMENT. Iuuaret & iſtam audire fabulam ordine. LAN. Audies, ſi die Iouis ueneris ad prandium. Habebis uitulinam cruſto incoctam, contuſam, adeoq; teneram ut poſſis uel exugere. SALS. Polliceor, hac lege, ſi die Veneris apud nos prandeas, efficiam, ut intelligas ſalſamentarios non ſemper ueſci putribus ſalſamentis.

FVNVS.

MARCOLPHVS, PHAEDRVS.

Ex antro. uide prouerbium de Trophonij antro.

MAR. Vnde nobis Phædrus, num ex antro Trophonij? PH. Cur iſthuc rogas? MA. Quia præter morem triſtis, horridus, ſqualidus, toruus, in ſumma, nihil mitus, quàm quod diceris. PH. Si qui diutius uerſantur in officinis fabrorum æratiorum, aliquid nigroris ſibi contrahunt, quid miraris, ſi ego tot dies uerſatus apud duos ægrotantes, morientes, & ſepultos, ſolito ſum mœſtior, præſertim quum uterq; mihi fuerit egregiè charus? MARC. Quos mihi narras ſepultos? PH. Noſti Georgium Balearicum?

Nihil minus. Quia Phædrus Græcis ſonat hilarem.

MA

MA. Nomine duntaxat, de facie non noui. PH. Alterum scio tibi prorsus ignotum esse. Is erat Cornelius Montius, qui cum mihi plurimis iam annis interceßit arctißima necessitudo. MAR. Mihi nunquàm contigit adesse morienti. PH. Mihi sæpius quàm uellem. MAR. Sed est ne mors res tam horrenda, quam uulgò prædicant? PH. Iter ad mortem durius, quam ipsa mors. Quòd si quis horrorem illum & imaginationem mortis excutiat animo, magnam mali partem sibi detraxerit. Breuiter quicquid est cruciabile, uel in ægrotatione, uel in morte, longè tolerabilius redditur, si quis se totum tradat uoluntati diuinæ. Nam quod attinet ad sensum mortis, quum iam animus distrahitur à corpore, arbitror aut nullum esse, aut perquàm stupidum esse sensum, quòd natura prius quàm huc ueniatur, consopiat, ac stupefaciat omnes partes sensibiles. MAR. Nascimur absq; sensu nostri. PH. Sed non absque sensu matris. MA. Quur non itidem emorimur? Quur deus mortem uoluit esse tam cruciabilem? PH. Natiuitatem uoluit esse grauem, ac periculosam matri, quò charius haberet, quod peperisset: mortem autem unicuiq; uoluit esse formidabilem, ne paßim homines sibi mortem consciscerent. Etenim quum uideamus & hodie tam multos sibi manus adferre, quid censes futurum, si mors nihil haberet horribile? Quoties uapulasset seruus aut etiam filius adolescens, quoties uxor indignaretur marito, quoties perisset res, aut aliud accidisset, quod ægrè esset animo, protinus ad laqueum, ad gladium, ad flumen, ad præcipitium, ad uenenum currerent homines. Nunc mortis acerbitas uitam nobis reddit chariorem, præsertim quum medici non

queant mederi semel uita defuncto. Quanquàm ut non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis ratio. Quosdam cita mors protinus liberat, alij lenta morte contabescunt. Lethargici, quemadmodum & ab aspide percussi, somno consopiti citra sensum sui moriuntur. Illud obseruaui, nullum esse mortis genus tam acerbum, quin perferatur, si quis obfirmato animo decreuit exire. MAR. Vtrius mors uisa est Christianior? PH. Mihi quidem Georgij uisa est honorificentior. MARC. Etiam ne mors habet ambitionem suam? PH. Ego nunquàm uidi duos tam dispari morte morientes. Si uacat audire, depingam excessum utriusque, tuum erit iudicare, utra mors sit optabilior homini Christiano. MAR. Imò te rogo, ne graueris narrare. Nam ipse nihil audiero cupidius. PHAE. Ergo de Georgio prius audi. Vbi mors iam certa sui signa dederat, medicorum chorus, qui diu curarant ægrotum, dissimulata uitæ desperatione cœperunt mercedem poscere. MARC. Quot erant medici? PHAED. Aliquando decem, interim duodecim, quum paucissimi sex. MARC. Satis erat ad occidendum uel unà lentem. PHAE. Numerata pecunia clàm submonuerunt proximos, non procul abesse mortem, curarent ea, quæ pertinerent ad animæ salutem: nam de corporis incolumitate nihil esse spei. Per amicos intimos blandè submonitus est & ægrotus, ut corporis curam Deo committeret, ea tantùm curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis, mira toruitate Georgius oculos intendit in medicos, uelut indignè ferens, quòd ab illis destitueretur. Illi responderunt, se medicos esse, non

Deos,

Deos, quod artis erat præstitisse: cæterùm aduersus fatalem necessitatem nullam ualere medicinã. His actis abeunt in proximum cubiculum. MARC. Quid morantur etiam accepta mercede? PHAE. Inter illos nihil conuenerat de morbi genere: alius aiebat hydropem, alius tympaniten, alius apostema in intestinis, alius aliud atque aliud malum: totoq; hoc tempore quo tractabant ægrotum, acerrimè disceptarunt de morbi genere. MAR. O felicem interim ægrotum. PHA. Eam litem ut tandem finirent, per uxorem postularunt, ut sinerent exanimati corporis anatomiam fieri: id esse honorificum, & solere uel honoris gratia fieri in magnatibus: deinde rem eam fore saluti multis, idq; ad meritorum ipsius cumulum accessurum: postremò pollicentur suo sumptu se commercaturos triginta missas cessuras in commodum mortui. Id ægrè quidem, sed tandem blanditijs uxoris ac propinquorũ impetratum est. His actis subduxit sese statio medicorum. Negant enim fas esse, ut qui uitæ solent opitulari, mortis sint spectatores, aut exequijs interfint. Mox accitus est Bernardinus, uir, ut scis, reuerendus, Franciscanorum custos, qui confessionem exciperet. Vix peracta est confessio, iam aderat in ædibus turba quatuor ordinum, quos uulgus appellat mendicantium. MARC. Tot uultures ad unum cadauer? PHAE. Deinde uocatus est parochus qui hominem inungeret, sacrumq; symbolum corporis Dominici porrigeret. MARC. Religiosè. PHAE. Verùm ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. MA. Apud lectum ægroti? PH. Et quidem spectante Christo. MA. Quid excitauit tantos tumul

Statio medicorum, id est, conuentus stati.

Tot uultures. Vultures præsentiunt cadauera, unde captatores testamentorum uultures dicuntur.

tus ſubitò? PH. Parochus ubi cognouit ægrotum fuiſſe confeſſum Franciſcano, negauit ſe uel unctionis ſacramentum, uel euchariſtiam, uel ſepulturam impartiturum, niſi ſuis auribus audiſſet ægroti confeſſionem: ſe parochum eſſe, ſibi pro ſua ouicula reddendam domino rationem: id non poſſe, ſi ſolus ignoraret arcana conſcientiæ. MAR. Non'ne uiſus eſt æquum dicere? PH. Non illis quidem. Nam ſtrenuè reclamabant omnes, præſertim Bernardinus & Vincentius Dominicanus. MA. Quid adferebant? PH. Magnis conuicijs inceſſebãt parochũ, ſubinde uocantes eum aſinum, dignumq; qui paſtorẽ ageret porcorum. Ego, inquit Vincentius, ſum ſacræ Theologiæ baccalaureus formatus, mox licentiandus, atque etiam doctoris titulo inſigniendus: tu uix legis Euangelium, tantùm abeſt, ut poſsis excutere ſecreta conſcientiæ. Quòd ſi libet eſſe curioſum, exquire, quid agat uxor & manzares tui domi, aliaq; permulta, quæ me pudet referre. MAR. Quid ille, mutus ad hæc? PH. Mutus? Imò diceres cicadam ala correptam. Ego, inquit, baccalaureos multò te meliores nectam è ſtipulis fabarum. Autores & principes ordinum ueſtrorum Dominicus & Franciſcus ubi didicerũt philoſophiam Ariſtotelicam, aut argumenta Thomæ, aut ſpeculationes Scoti? aut ubi donati ſunt titulo baccalaureorũ? Irrepſiſtis in mundũ adhuc credulum, ſed pauci, humiles, quidam etiam docti ac pij, nidulabamini in agris ac uicis, mox in opulentiſſimas quaſq; ciuitates, & in florentiſſimam ciuitatis partem demigraſtis. Tot ſunt agri qui paſtorem alere non poſſunt, ibi locus erat ueſtræ operæ: nunc nuſquam adeſtis, niſi in ædibus diuitum. Iactatis nomen pontifi

Manzares. Iurecõſulti Manzares, uocãt ex inceſto natos.

Cicadam ala. Vide prouerb.

E ſtipulis fabarũ. E culmis tritici nectũtur galeri, nonnunq; & pallia aduerſus pluuiam: faba caules habet grandes intortos & fragiles, ad nihil minus utiles, q; ad texendũ. Eſt uulgò iactatũ prouerbium apud Batauos.

pontificum, at uestra priuilegia nihil ualent, nisi quum cessat episcopus, pastor, aut huius uicarius. In meo templo nullus uestrum concionabitur me pastore incolumi. Non sum baccalaureus: nec sanctus Martinus erat, & tamen agebat episcopum. Si quid mihi deest doctrinæ, à uobis non petam. An creditis etiamnum mundum esse tam stupidum, ut ubicunq; uiderit uestem Dominici aut Francisci, putet adesse illorum sanctimoniam? Num uestra refert, quid agã domi meæ? Quid uos agatis in latebris uestris, quomodo tractetis sacras uirgines, etiam populus nouit. Iam quàm nihilo sint uel feliciores uel puriores diuitum domus, quas frequẽtatis, omnibus & lippis, & tonsoribus notißimum est. Cætera Marcolphe non audeo referre, omnino patres illos reuerendos minimè reuerenter tractauit. Nec erat futurus finis, ni Georgius manu mota signum dedisset, se uelle quippiã dicere. Aegrè impetratum est, ut rixa tantisper consilesceret. Tum ægrotus, Sit pax, inquit, inter uos, tibi parocho denuo confitebor. Dein de pro strepitu nolarum, pro cãtionibus funeralibus, pro cenotaphio, pro sepultura numerabitur tibi pecunia prius, quàm ex eas hanc domum, neq; committam ut ulla in parte de me queri possis. MA. Num parochus recusauit tam æquam conditionem? PH. Non. Tantùm obmurmurauit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est, inquit, iisdem repetendis fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum, nunc uos uideritis. Hæc æquitas ægroti pessimè habebat monachos, indignè ferentes eam prædæ partem decidi parocho.

Ego tamen interceßi, feciq; ut lis sopiretur. Parochus tunxit ægrotum, dedit corpus Domini, & numerata summa discessit. MAR. Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? PHAE. Imò tempestatem hanc sæuior tempestas protinus excepit. MA. Obsecro quid causæ? PH. Audies. Confluxerant in ædes quatuor ordines mendicantium, his adiunxit sese quintus cruciferorum. Aducrsus hunc cœnothum quatuor illi magno tumultu coorti sunt: rogabãt uibi uidissent unquam plaustrum quinq; rotarum: aut quæ fronte uellent esse plures mendicantium ordines, quàm sint Euangelistæ. Eadem, inquiunt, opera adducite huc mendicos omnes è pontibus ac triuijs. MAR. Quid ad hæc cruciferi? PH. Vicißim rogabant quomodo tum inceßisset plaustrum ecclesiæ, quum nullus esset ordo mendicantium, deinde quum unus esset, posteà tres. Nam Euangelistarum, inquiunt, numerus nihilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quàm cum alea, quæ undiq; quatuor ostendit angulos. Augustinenses quis allegit in ordinem mendicantium? aut quis Carmelitas? Quando mendicauit Augustinus, aut quando Helias? Nam hos faciunt suorum ordinum autores. Hæc aliaq; multa fortiter qui-

Impreßio, est uehemens hostium irruptio.

dem illi detonabant, sed soli quatuor exercituum impressionem non ferentes cesserunt, dira tantùm minitantes.

Syncretißmus, id est, conspiratio prius dißidentium in communem hostẽ.

MAR. Hic saltem effulsit tranquillitas. PHAE. Imò syncretißmus ille in quintum ordinem, uersus est in pugnam gladiatoriam. Franciscanus ac Dominicanus contendebant, nec Augustinenses, nec Carmelitas esse germanè mendicos, sed nothos ac supposititicios. Hæc rixa sic increduit, ut planè uererer, ne ueniretur ad manus. MA. Hæcine

ne ferebat ægrotus? PHAE. Non hæc acta sunt apud lectum, sed in atrio, quod cubiculo adhærebat: uoces tamen omnes ad ægrotum permanabant, neq; enim mussabant, sed plenis tibijs res agebatur: & scis alioqui in ægrotis aurium sensum esse acutiorem. MAR. Quis tandem exitus belli? PH. Aegrotus per uxorem denuntiauit, ut silerent paulisper, se compositurum hoc dissidium. Itaq; rogauit, ut tum quidem temporis Augustinenses, & Carmelitæ discederent, hoc illos nullo suo damno facturos. Nam tantundem, inquit, cibi mittetur eis domum, quantum hîc daretur remanentibus. In funere uerò iussit omnes ordines adesse, etiam quintum, atque ut æqua pecuniæ portio diuideretur singulis, ad commune tamen conuiuium non adhiberentur, ne quid turbæ posset oriri. MARC. Virum œconomicum mihi narras, qui uel moriens norit tot rerum undas componere. PH. Phy. Multis annuis gesserat militiæ ducem. Ibi quotidianum est huiusmodi tumultus suboriri inter cohortes. MAR. Erat igitur re splendida? PH. Admodùm. MAR. Sed malè parta, ut fit, rapinis, sacrilegijs, extorsionibus. PH. Ita quidem uulgò faciunt duces, nec ausim deierare, hunc fuisse ab illorū moribus alienum. Si tamen satis hominem noui, magis auxit rem ingenij dexteritate, quàm uiolentia. MA. Qui sic? PH. Calleb at arithmeticam. MA. Quid tum postea? PH. Quid tum? apud principem supputabat militum triginta millia, quum uix essent septem millia. Deinde multis militibus nihil numerabat. MA. Næ tu mihi magnificam narras arithmeticam. PH. Deinde bellum arte ducebat, solitus simul & ab hostium, & amicorum uicis & oppidis pecuniam stipulari

Mussare, tacitè loqui.

Plenis tibijs, id est, clarè. uide prouerbium.

Peritum rei domesticæ uocat œconomicum.

Arte ducebat. Ducunt bellū, qui de industria proferunt: sed gerunt, qui uerè bellant.

ſtipulari menſtruam: ab hoſtibus, ne paterentur hoſtilia: ab amicis, ut illis liceret cum hoſte paciſci. M A. *Agnoſco morem uulgatum militum. Sed abſolue narrationem.* P H. *Bernardinus igitur, & Vincentius cum aliquot ſui ordinis ſodalibus remanſerunt apud ægrotum, ad reliquos miſ-*

Commeatus, id eſt, cibus, militare uerbum, Et ideo præſidium uocat domū unde alios depulerant.

ſus eſt commeatus. M A R. *Satin' inter eos conueniebat, qui remanſerunt in præſidio?* P H. *Non uſquequaq;. Grunniebant neſcio quid, de prærogatiuis diplomatum: ſed ne non perageretur fabula, diſſimulatum eſt. Hîc iam proferuntur cautiones teſtamentariæ, fiuntq; ſtipulationes accitis teſtibus, de ijs, quæ inter ipſos antè tranſegerant.* M A. *Iſthæc audire geſtio.* P H. *Dicam ſummatim, nam perlonga eſt fabula. Supereſt uxor annos nata duodequadraginta, mulier ſanè proba cordataq;, filij duo, alter annum natus undeuigeſimum, alter decimumquintum: filiæ, totidē, ſed impubes utraq;. Teſtamento ſic cautum erat, ut uxor quoniam perpelli non poterat ut fieret monacha, ſumeret pallium Beghinæ, id eſt medium genus inter monachas, & laicas: filius natu maior, quoniam nec is induci*

Vulpes anus. Vide prouerb.

potuit, ut fieret monachus. M A. *Vulpes anus non capitur laqueo.* P H. *Mox ab exequijs patris properaret Romam, ibiq; ex relaxatione pontificis factus ante legitimam ætatem ſacerdos, totum annum ſingulis diebus ſacrificaret in templo Vaticano pro anima patris, & ſacros gradus*

Vt aſini ſolent. Alluſit ad illud Flacci: Demitto auriculas, ut iniquæ mētis aſellus. Quum gratuitus dorſo lubijt onus.

in Laterano, ſingulo quoque Veneris die genibus perreptaret. M V. *Suſcepit hæc libenter?* P H. *Ne dicam dolo, ut aſini ſolent ſarcinas impoſitas. Filius minor dicaretur S. Franciſco, filia maior S. Claræ, minor Catarinæ Senenſi. Hoc tantum potuit obtineri: nam Georgij mens erat,*

quò

quò magis sibi Deum haberet obnoxium, quinque superstites partiri in quinque mendicantiũ ordines: & acriter quidem adlaboratum est, sed ætas uxoris, filijq; maioris nec minis, nec blanditijs cessit. MA. Exhæredandi genus.

PH. Vniuersa hæreditas sic erat diuisa, ut detractis de solido impendijs funeralibus, uncia cederet uxori, cuius dimidia uictitaret ipsa, dimidium cederet loco, cui se foret addictura, unde si mutato consilio recederet, tota pecunia resideret penes eum gregem: altera uncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur uiaticum, & quod satis esset emendo diplomati, parandoq; uictui annuo Romæ. Qui si mutata sententia recusaret initiari sacris ordinibus, illius uncia diuideretur inter Franciscanos, & Dominicanos. Et id ne fiat, uereor, adeò uidebatur adolescens à sacris abhorrere. Duæ unciæ cederent monasterio, quod excepisset filium natu minorem: binæ item monasterijs, quæ excepissent puellas, sed hac lege, ut si illi detrectarent eam uitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis. Iam una rursus uncia decideretur Bernardino, tantundem Vincentio: dimidium unciæ Carthusianis, pro communione bonorum operum omnium, quæ toto fierent ordine. Vncia & semis quæ superaret, distribueretur occultis pauperibus, quos beneficio dignos iudicassent Bernardinus, & Vincentius. MAR. Debebas iureconsultorum more dicere, quos uel quas. PHAE. His igitur uerbis stipulati sunt recitato testamento: Georgi Balearice, uiuus & sanæ mentis approbas hoc testamentũ, quod dudum ex animi tui sententia condidisti? Approbo. Et hæc est tua suprema, & immutabilis uoluntas? Est. Meq;, & hunc

De solido. I. de integra hæreditate, quæ assis dicitur. nondũ diuisa. Vncia duodecima pars assis.

Diplometi, quo liceret consecrari sacerdotem ante tẽpus legitimum.

hunc Vincentium baccalaureum instituis ultimæ tuæ uoluntatis executores? Instituo. Iussus est denuo subscribere. M A. *Quî potuit moriens?* P H. *Bernardinus rexit ægroti manum.* M A. *Quid subscripsit?* P H. *Sanctum Franciscum, & sanctum Dominicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare.* M A. *At non metuebant actionem testamenti inofficiosi?* P H. *Ista actio non habet locum in his quæ Deo dicantur, neque quisquam libenter cum Deo litem suscipit. His peractis uxor & liberi datis dextris ægroto, iurant se seruaturos quod recepissent. Post hæc cœptum est agi de pompa funerali, non sine contentione. Tandem hæc uincit sententia, ut ex quinque ordinum singulis adessent nouem, in honorem quinq; uoluminum Mosi, & angelorum in nouem choros digestorum. Suam quisq; ordo crucem præferret, canerentq; funebres nænias. Ad hæc præter cognatos conducerentur triginta (tot nummis erat uenditus dominus) daduchi pullati, & honoris gratia ploratores duodecim (hic est numerus ordini apostolico sacer) comitarẽtur: à feretro sequeretur equus Georgij pullatus, sic ad genua alligata ceruice, ut herum humi requirere uideretur. Stragula hinc atq; hinc ostenderent insignia. Similiter et unaquæq; tæda & pulla uestis haberet insignia. Reponeretur autem corpus quidẽ ipsum ad dextrum altaris summi in tymbo marmoreo, qui promineret à sõlo pedes quatuor, ipse in summo recumberet, Pario sculptus marmore, totus armatus à uertice usq; ad calcaneum, nec deesset galeæ sua crista: crista erat onocrotali collum: nec clypeus læuo brachio, in quo insignia hæc erant, tria capita apri syluestris aurea in planitie argentea*

Nænix ppric cantilenę funebres, nonnunquam tamẽ nugas quaslibet appellamus nęnias.

Daduchi, tædiferi.

In planitie.

Data opera fingit insignia uitiosa. Nam caduceatorum leges habẽt, adulterina esse insignia, quæ habent metallum super metallũ.

argentea: nec lateri gladius inaurato capulo, nec baltheus inauratus ac gemmeis distinctus bullis, nec pedibus aureæ calcaria: erat enim eques auratus: sub pedibus haberet leopardum. Oræ sepulchri titulum haberent tali uiro dignum. Cor autem separatim recondi uolebat in sacello diui Francisci. Intestina mandauit parocho honorificè sepelienda in sacello, quod est Virgini matri sacrum. MA. Funus nimirum honorificum, sed nimio constans. Venetiæ uel cerdoni cuipiam plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat sodalitas, & unum comitantur aliquando sexcenti monachorum tunicis pallijs'ue uestiti. PHA. Vidimus & nos, risimusq; istas pauperum inceptas glorias. Incedunt fullones & coriarij supernè, infernéq; cerdones, in medio monachi, chimæras esse diceres, nec hîc alia res erat, si uidisses. Cautum & illud Georgio, ut Franciscanus, & Dominicanus, inter sese sorte decernerent, utris primus cederet locus in pompa, post hoc cæteri quoque sortirentur, ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & huius clerici locum tenerent infimum, hoc est primum. Nec enim aliud erant passuri monachi. MAR. Non acies tantùm, sed & pompas ille callebat ordinare. PHAE. Cautum est & illud, ut funebre sacrũ, quod apud parochum fieret, modulato musicorum concentu peragereretur honoris gratia. Dum hæc aliaq; tractantur, inhorruit ægrotus, deditq; signa certissima, supremum tempus adesse. Adornatur igitur extremus fabulæ actus. MARC. Nondum finis? PH. Recitatur diploma pontificis, in quo promittebatur criminũ omnium abolitio, totusq; purgatorij metus adimebatur. Ad hæc iustificabãtur omnia illius

bona

bona. MA. Rapto parta? PH. Certè iure belli ac more militari. Sed fortè aderat Philippus Iureconsultus uxoris frater: is in diplomate notauit locum secus positum, quàm oportuit, & iniecit suspicionem falsi. MAR. Haud quaquam in tempore. Dissimulandum erat, etiamsi quid inesset erroris, & nihilo peius habuisset ægrotus. PH. Assentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus est, ut minimùm abesset à desperatione. Ibi Vincentius fortem uirum præbuit, iussit Georgium quieto esse animo, sibi esse potestatem corrigendi supplendiq;, si quid in diplomatibus uel erratum esset, uel omissum. Quòd si te, inquit, fefellerit diploma, ego iam nunc hanc animam pro tua suppono anima, ut tua petat cœlos, mea dedatur Orco. MA. Accipit'ne Deus tales animarum permutationes? Et si accipit, num satis cautum uidebatur Georgio tali pignore? Quid si Vincentij anima uel absque permutatione debebatur inferis? PH. Quod gestum est narro. Hoc certè perfecit Vincentius: ægrotus uisus est animum recipere. Mox recitantur cautiones, quibus Georgio promittebatur societas omnium operum, quæ fierent per quatuor ordines, & quintum Carthusiensium. MAR. Ego metuerem, ne deprimerer ad inferos, si tantum sarcinæ baiulandum esset. PH. De bonis operibus loquor: ea nõ aliter grauant animam subuolaturam, quàm plumæ auem. MA. Mala igitur opera sua quibus legant? PH. Militibus Germaniæ cõductitijs. MAR. Quo iure? PH. Iure Euangelico, habenti dabitur. Simulq; recitatus est numerus missarum & psalteriorum, quæ defuncti animam essent comitatura. Erat autem immensus. Post hæc iterata est confessio, datáq; benedi

nedictio. MA. Ita efflauit animam? PH. Nondum. Strata est humi storea iuncis contexta, sic ut ab initio conuoluta ceruicalis speciem ex sese faceret. MA. Quid nunc futurum est? PH. Eam conspersérunt cinere, sed raro, ibi deposuere corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata preculis & aqua lustrali. Cuculla supposita est capiti, nam tum indui non poterat, unà cum illa suppositum est diploma cum cautionibus. MA. Noua mortis species. PH. Atqui confirmant dæmoni nullum esse ius in eos qui sic moriuntur. Sic aiunt præter alios mortuum S. Martinum & Franciscum. MA. Sed huic morti illorum uita respónderat. Obsecro quid tum posteá? PH. Porrecta est ægroto crucis imago & candela cerea. Ad crucem porrectam dixit ægrotus, Soleo in bellis tutus esse meo clypeo, nunc hunc clypeum opponam hosti meo, & exosculatus admouit humero læuo. Ad ceream uerò sacram, Olim, inquit, hasta ualuit in bellis, nũc hanc hastam uibrabo aduersus hostem animarum. MA. Satis militariter. PH. Has postremas uoces edidit. Nam mox linguam mors occupauit, simulq; cœpit animam agere. Bernardinus à dextris imminebat morienti, Vincentius à sinistris, uterq; pulchrè uocalis. Alter ostẽdebat imaginem sancti Francisci, alter Dominici. Cæteri sparsi per cubiculum demurmurabant psalmos aliquot uoce lugubri. Bernardinus magnis uociferationibus percellebat aurem dextram, Vincẽtius sinistram. MA. Quid occlamabant? PH. Huiusmodi ferme Bernardinus: Georgi Balearice, si nunc quoq; probas ea quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum. Flexit. Vincentius contrà,

ne quid trepides Georgi, habes Franciscum & Dominicum propugnatores. Esto securus. Cogita quantum habeas meritorum, quod diploma, deniq; memineris meam animam pro tua oppigneratam, si quid esset periculi: hæc si sentis & probas, flecte caput in læuũ. Flexit. Rursus simili clamore, Si hæc sentis, inquiunt, preme manũ meam: tum manum pressit. Ita huc & illhuc flectendo capite, & premendis manibus transactæ sunt horæ ferme tres. Quũ iam inciperet oscitare Georgius, ibi Bernardinus erectus pronuntiauit absolutionem: quam perficere non potuit, quin Georgius efflasset animam. Hæc sub noctis medium: manè peracta anatomia. MA. Quid mali repertum est in corpore? PH. Rectè mones, nam exciderat. Fragmentum plumbi inhærebat diaphragmati. MARC. Vnde id? PH. Vxor narrabat illum quondam ictum sphærula bombardica. Hinc coniectabant medici plumbi liquefacti particulam resedisse in corpore. Mox corpus lacerũ utcunq; conuestitum est amictu Franciscano. A' prandio sepultura peracta est ea pompa, qua decretum erat. MARC. Nunquàm audiui mortem operosiorem, nec funus ambitiosius. Verùm istam, opinor, fabulam nolis cuulgari. PH. Quam ob rem? MA. Nequid tritentur crabrones. PH. Nihil est periculi. Etenim si pia sunt quæ narro, etiam ipsorum interest hæc scire populum; sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent, qui hæc prodiderim, quo pudore correcti quidam desinant similia facere, deinde simplices caueant, ne in similem pertrahantur errorem. Sunt enim & apud istos cordati uereq; pij, qui frequenter apud me questi sunt, paucorum

Diaphragma est septũ transuersum, quod separat præcordia, in quibus cor & pulmo, ab inferiore corporis parte, in qua splen, hepar, & renes.

uel superstitione, uel improbitate totum ordinem reddi apud bonos inuidiosum. MA. Rectè tu quidem & fortiter. Sed nunc auco scire, quomodo decesserit Cornelius. PH. Vt uixit nulli molestus, ita mortuus est. Habebat febrem anniuersariam, quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum, siue quia grauabat ætas: nam annum excesserat sexagesimum: siue alijs de causis solito magis urgebat hominem, & uisus est ipse præsentire diē fatalem imminere. Itaque quatriduo prius, quàm moreretur, erat Dominicus dies, templum adijt, confessus est suo parocho, audiuit publicam concionem & sacrum, à sacro reuerenter accepto pignore corporis Dominici, domum se recepit. MA. Non usus est medicis? PH. Vnicum duntaxat consuluit, sed non minus bonum uirum, quàm bonum medicum, ei Iacobo Castrutio nomen est. MAR. Noui. Nihil illo syncerius. PH. Is respondit suam quidem operam amico non defuturam, sed sibi uideri plus esse præsidij in Deo, quàm in medicis. Cornelius hanc uocem nō minus alacriter accepit, quàm si certissimam uitæ spem ostendisset. Itaq; tametsi semper pro suis facultatibus fuisset perbenignus in pauperes, tum quicquid decidi poterat uxoris et liberorū necessitati, impartiebatur in egenos, nō istos ambitiosè mendicos, & nusquam nō obuios, sed in probos, qui pro uiribus industria laborandi cum paupertate pugnabant. Rogabam hominem, ut decumberet, & sacerdotem ad sese accerseret potius, quàm tenue corpusculū defatigaret. Respondit hoc sibi semper studio fuisse, ut amicos suos subleuaret potius, si posset, quàm grauaret officijs, nec se sui dissimilem esse uelle in morte.

Anniuersariā, id est, in singulis annis incurrentem.

Nec decubuit quidem nisi postremum diem & noctis partem, qua reliquit terras. Interim ob corpusculi lassitudinem baculo nitebatur, aut sedebat in cathedra, rarò componebat se lectulo, sed uestitus & erecto capite. Hoc tempore aut mandabat aliquid de curandis egenis, maximè notis ac uicinis, aut legebat è libris sacris, quæ prouocant hominis erga Deum fiduciam, quæq; illius in nos charitatem declarant. Si per lassitudinem ipse minus poterat, audiebat amicum prælegentem. Frequenter miro affectu hortabatur familiam ad mutuum amorem & concordiam, adque studium ueræ pietatis, sollicitosque de morte ipsius amantissimè consolabatur. Identidem admonebat suos, ne quid æris alieni præteriretur indissolutum. MA. Non condiderat testamentum? PH. Iam pridem sanus ac ualens id curarat. Negabat enim esse testamenta, quæ fierent ab agentibus animam, sed deliramenta potius. MA. Nihil legarat monasterijs aut egenis? PH. Ne teruncium quidem. Ego, inquit, pro mea portione dispensaui facultatulas meas, nunc ut earum possessionem alijs trado, ita trado & dispensationem. Et confido meos sanctius dispensaturos, quàm ipse feci. MA. Non accersebat ad se pios homines, quemadmodum fecit Georgius? PH. Ne unum quidem: præter familiam & duos intimè amicos nullus aderat. MAR. Demiror quid senserit. PH. Negabat se morientem pluribus molestum esse uelle, quàm fuisset nascens. MA. Expecto finẽ istius fabulæ. PH. Mox audies. Venit dies Iouis. Ille stratum non reliquit, sentiẽs extremam corpusculi lassitudinem. Accitus parochus impartijt extremam unctionem, ac rursus porrexit

corpus

corpus Domini, sed citra confessionem. Negabat enim quicquam scrupuli resedisse in animo. Ibi parochus agere cœpit de sepultura, qua pompa, quo'ue loco sepeliri uellet. Sepeli, inquit, me quomodo sepelires infimæ sortis Christianum: nec mea refert, ubi seponas hoc corpusculum, æquè inueniendum in extremo die ubicunque condideris. Pompam funeris nihil moror. Mox iniecta mentio de sonitu campanarum, de tricenarijs & anniuersarijs, de diplomate, de communione meritorum emenda: Tum ille, Mi pastor, nihilo peius habebo, etiam si nulla sonet campana. Si me uel uno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud est, quod ob publicam ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti uix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus cuiusquam uel preces commercari, uel meritis quenquã suis spoliare. Satis meritorum exuberat Christo, & confido totius ecclesiæ preces ac merita mihi, si modò uiuum sum membrum profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est. Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorũ dominus IESVS *aboleuit, affigens illud cruci: alterum quod ipse suo sacrosancto sanguine scripsit & obsignauit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus prouocem Dominum meum, ut in iudicium ueniat cum seruo, certus quòd in conspectu eius non iustificabitur omnis uiuens. Ego ab illius iustitia appello ad eiusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis. His dictis abijt parochus. Cornelius ueluti magna spe salutis concepta*

gaudens & alacer, iubet sibi quædam recitari è sacris uoluminibus, quæ confirmant spem resurrectionis & præmia immortalitatis, uelut illud ex Esaia de morte Ezechiæ dilata, una cum cantico: Deinde cap. 15. epistolæ Pauli ad Corinth. prioris: De morte Lazari ex Ioanne, sed præcipuè historiã Christi passi ex Euangelijs. Quam hic animo deuorabat singula, ad quædam suspirans, ad alia compositis manibus gratias agens, ad quædam hilarescens ac gestiens, ad nonnulla preculas quasdam breues eiaculans. Ad prandio quum paululum temporis obdormisset, iubet recitari caput ex Euãgelio Ioannis duodecimum, usq; ad historiæ finẽ. Hic dixisses hominem plane transfigurari afflariq; nouo spiritu. Iam dies uergebat ad uesperam, accersit uxorem ac liberos: ibi erecto quantum licuit corpusculo, sic affatus est suos: Charissima coniux, quos Deus antè coniunxerat, idem nunc separat, sed corporibus duntaxat, idq; ad breue tempus: curam, charitatem, pietatem quam antehac partiri soles in me & dulcissima pignora, totam in istos transfer. Ne putaris te ullis modis posse magis demereri uel Deum, uel me, quàm si istos quos Deus dedit nobis coniugij fructũ, sic educes, foueas & instituas, ut Christo digni habeantur. In hos igitur conduplica pietatem tuam, & meam portionẽ in te trãslatam existima. Id si feceris, ut facturã confido, non erit quur uideantur orphani. Quòd si repetas matrimonium. Ad hanc uocem uxor erupit in fletum, cœpitq; deierare, se nunquam de repetendis nuptijs cogitaturã. Hîc Cornelius: Soror in Christo mihi charissima, si Dominus Iesus largiri dignabitur tibi propositũ

istud

istud ac robur spiritus, ne desis dono cœlesti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis commodius. Sin aliò uocabit carnis infirmitas, scito quòd mors mea te liberat à iure coniugij, sed non liberat à fide, quam meo tuoq; nomine debes curandis communibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, utere libertate, quam tibi permisit dominus. Tantùm hoc te rogo moncoq;, ut uirum tibi deligas ijs moribus, tuq; te illi talem præbeas, ut possit uel suapte bonitate ductus, uel tua commoditate prouocatus amare priuignos. Proinde caue, ne cui uoto te obstringas. Seruæ te liberam Deo & liberis nostris, quos sic institues ad omnem pietatẽ, ut caueas, ne se cuipiam addicant instituto, donec per ætatem & rerum usum constiterit ad quod uitæ genus sint idonei. Déinde uersus ad liberos exhortatus est ad studium pietatis, ad obediendum matri, ad mutuam inter ipsos charitatem & cõcordiam. His peroratis, dedit osculum uxori: liberis, facto signo crucis, precatus est bonam mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderant: Sub crastinam, inquit, auroram dominus, qui diluculo reuixit pro sua misericordia dignabitur hanc animulam ex huius corpusculi sepulchro, eq; huius mortalitatis tenebris euocare in lucem suam cœlestem. Nolo teneram ætatem excubijs inanibus fatigari. Cæteri quoq; uicissim dormiãt. Mihi satis est unum adesse uigilem, qui recitet sacram lectionem. Transacta nocte sub horam quartam, cunctis præsentibus iussit recitari psalmum totum, quem Dominus orans recitauit in cruce. Eo finito, iussit exhibere cereum & crucem: & cereum accipiens dixit, Dominus illuminatio mea & salus mea

quem timebo? Crucem exosculatus dixit, Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Mox manus super pectus in supplicantis gestum composuit, & oculis in cœlum erectis dixit, Domine IESV, *accipe spiritum meum. Et protinus clausit oculos ueluti dormiturus, simulq; leui flatu emisit spiritum. dixisses illum obdormisse, non expirasse.* MA. *Nunquàm audiui mortem minus operosam.* PH. *Talis fuerat in omni uita. Vterq; fuit amicus. Fortasse non æquè dijudico, uter decesserit Christianius: tu qui integer es, rectius dispicies.* MA. *Ita faciam, sed per otium.*

IVVENIS, ECHO.

IV. *Cupio paucis te consulere, si uacat.* EC. *Vacat.* IVV. *Et si uenio tibi gratus iuuenis.* ECH. *Venis.* IVV. *Sed potes ne mihi & de futuris dicere uerũ* Echo? EC. ἴσχω. IV. *Et Græcè nosti? Quid isthuc noui?* ECH. *Noui.* IV. *Qualia tibi uidentur Musarum studia?* ECH. θεῖα. IVV. *Censes igitur terendos autores, qui conducunt ad bonas literas?* ECH. *Teras.* IV. *Quam igitur mentem habent isti, qui hæc studia linguis traducunt suis?* ECH. *Suis.* IVV. *Sed utinam harum cultores similiter essent & pietatis studiosi.* ECH. *O si.* IVVE. *Nunc quorundam improbitas omnes reddit inuisos.* ECH. ἴσως. IVV. *Et multis, hominum peccatum confertur in nomen eruditionis.* ECH. ὄνοις. IVVE. *Atqui uulgò uidentur non infimi.* ECH. *Fimi.* IVVEN. *Quid facere censes eos, qui terunt ætatem in sophistico doctrinæ genere?* ECH. *Nere.* IVVE. *Fortassis telas aranearum.* ECH. *Harum.* IVVE. *Ac Penelopes telas texunt ac retexunt.* ECH. *Texunt.* IVVEN. *Cui suades ut me dem uitæ*

ἴσχω, possum.

θεῖα, diuina.

ἴσως, fortasse.

ὄνοις, asinis.

instí

instituto? ECH. Tuto. IVV. Erit auspicatum, si uxorem duxero? EC. Serò. IVV. Quid si mihi ueniat usu, quod his qui incidunt in uxores parum pudicas, parumq; frugiferas? ECH. Feras. IV. Atqui cum talibus morte durior est uita. ECH. Vita. IVV. Siccine in rebus humanis dominari fortunam? ECH. Vnam. IV. Magis fortasse expedit, ut aliquis præ coniugio monachi institutum eligat. EC. Ligat. IV. Quid superest remedij, ubi quem astrinxerit iam nodus insolubilis? ECH. Bilis. IVV. Attamen miserum est homines uiuere solos. ECH. ὅλως. IVV. Cuiusmodi censes horum temporum pleroſq; monachos? ECH. ἄχΘ. IVVE. Quid igitur istos mouet, qui suspiciunt illos ut semideos? ECH. ΔέΘ. IV. Quid captant pleriq; qui ambiunt sacerdotium? ECH. Otium. IV. Prætereà nihil habet sacerdos? ECH. κέρδΘ. IV. Quid bonæ rei contingit illis qui fiunt episcopi? ECH. κόπΘι. IVV. At nulli magis uiuunt in otio. EC. Scio. IV. Quæres illos admonere poterit, ut intelligant, quantum sustineant onus? ECH. ὁ νῦς. IV. Ergo res præclara est sacerdotium, si quis se in eo gerendo qualem oportet præbeat? ECH. Beat. IV. Quid fructus erit, si me conferam in aulam eorum, qui præcellunt monarchica dignitate? ECH. Ate. IVVE. At non paucos uideo qui solent illhinc sibi præclarã felicitatem ariolari. ECH. λάροι. IV. At interim dum incedunt holoſericati, uulgò uidentur homines magnifici. EC. Fici. IV. Foris igitur aureos, intus ficulnos homines dicis, si quis inſpiciat comminus? EC. Minus. IVVE. Nihil igitur præclari sunt, quos pro dijs ueneramur byßinos. EC. σῖνΘ. IV. Nec militare genus magno æstimabis fortasse. EC. Asse. IV. Magnum quid-

ὅλως, omnino.
ἄχΘ, pernicies, pestem.
ΔέΘ, timor.
κέρδΘ, lucrum.
κόπΘι, labores.
ὁ νῦς, mens.
Ate, dea damni.
λάρΘι, auis marina & rapax.
σῖνΘ, nocumentum.

dam pollicentur qui è syderibus & futura prædicunt Astrologi. ECH. λόγοι. IV. At strenuè laborant Grammatici. ECH. ἐκεῖ. IV. Non placent, opinor, legulei homines semper famelici. EC. λύκοι. IVV. Qualis ero, si fiam opifex? EC. Fæx. IV. Ità'ne nihil prætereà adferunt artes boni aut mali? ECH. Ali. IV. Fuero'ne beatus si perseuerauero in bonis literis? EC. Eris. IVV. Sed quæ res dabit, ut adsit pietas? ECH. Aetas. IVV. Decem iam annos ætatem triui in Cicerone. EC. ὄνε. IVV. Vnde tibi subit me asinum dicere? ECH. E' re. IV. Fortassis hoc dicis, non sit huic incumbendum, ut alios relinquam. ECH. Inquam. IVV. Non placet igitur, is qui se per omnem uitam tantùm in hoc torqueat, ut fiat Ciceronianus? ECH. ἄνους. IV. Quid superest natu grandibus, quorum ætas ad hæc discenda non est tẽpestiua? EC. Stiua? IV. Facundior esses, opinor, si longius abessem. EC. Essem. IV. Non me delectant sermones dissyllabi. EC. Abi. IV. Cœpi prior, uideo non posse uitari, quin posterior desinas. EC. Sinas. IV. Iã igitur tibi uideor satis instructus ad ea probè gerenda quæ sunt in uita? EC. Ita. IV. Proinde si me uoles abire, dicito. EC. Ito.

λόγοι, uerba
ἐκεῖ, temere, frustra.
λύκοι, lupi.
ὄνε, asine.
ἄνους, amens.

Dispar conuiuium.

ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ.

SPVDVS, APITIVS.

SP. Heus heus Apiti. AP. Non audio. SP. Heus inquam Apiti. AP. Quis hic est tam molestus interpellator? SP. Est seriæ rei quiddam, quod te uolo. API. At ego ad rem seriam propero. SP. Quò nam? AP. Ad cœnam. SP. Hæc ipsa de re tecum uolebam agere. APIT. Non uacat nunc actoribus operam dare, ne actum agam. SP. Nihil feceris dispendij, comitabor te quò properas. AP IT. Agè dic, modò

modò tribus uerbis. S P. Magno ſtudio molior cõuiuium, in quo nulli diſpliceam conuiuarum, placeam omnibus. Eius artis quoniam tu principatum tenes, ad te uelut ad oraculum confugio. A P. Reſponſum accipe, & quidem iuxta ueterũ morem μέμετρον, Nulli ut diſpliceas, nullum inuitare memento. S P. Atqui ſolenne eſt epulum, multos excipiam oportet. A P. Quò plures inuitaris, hòc pluribus diſpliceas oportet. Quæ fuit unquam tam bene uel cõ ſcripta, uel acta fabula, ut toti placuerit theatro? S P. Sed agè Comi delicium Apiti, ſubleua me tuo cõſilio, habebo te poſthac numinis loco. A P. Sit igitur hoc primum conſilium, ne conare quod fieri non poteſt. S P. Quidnam? A P. Vt conuiuator omnibus placeas. Tanta eſt palatorũ uarietas. S P. At ſaltem ut paucioribus diſpliceam. A P. Voca paucos. S P. Non licet. A P. Voca pares, & ingenijs congruentes. S P. Ne id quidem mihi liberum eſt. Vitari non poteſt, quin & multos uocem & diſsimiles, denique nec eiuſdem linguæ, neq; nationis homines. A P. Næ tu mihi uerè cõuicium narras, non conuiuium, in quo facilè poſsit talis exoriri luſus, qualem Hebræi narrãt accidiſſe inſtructura Babel, ut petenti frigidum aliquis porrigat calidum. S P. Opitulare te quæſo, gratum experieris ac memorem. A P I T. Agè quando electio non eſt tui arbitrij, in re mala dabo bonum conſilium. Haud parui refert ad hilaritatem conuiuij, quo quiſque loco ſedeat. S P. Veriſsimum. A P. Ea res ut tibi cedat proſperè, fac ut ſortibus diſtribuantur accubitus. S P. Pulchrè mones. A P I. Déinde ne ſic paulatim à ſummo ad imum procedãt patinæ, ut ſigma literæ uel ſerpẽtis potius imaginem

Id eſt, metricũ.

ginem pingant, aut ultro citroq; reciprocent, quẽ admodum olim in conuiuijs myrtus tradi solet. S P. Quid igitur? A P. Sed ad singulas conuiuarum tetradas appone patinas ternas, sic ut quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartum: in singulis sit aliud atque aliud cibi genus, quo quisq; quod libet eligat. S P. Placet. Sed quoties mutabo patinas? A P. Quot partibus constat oratio rhetorica? S P. Quinque, ni fallor. A P. Quot actibus constat fabula? S P. Apud Horatium legi, Ne sit quinto productior actu. A P. Toties mutabit patinas, ut proœmium sit iussulentum, conclusio uel epilogus ex uarijs bellariorum generibus conflatus. S P. Quem probas in patinis ordinem? A P. Eundem quem Pyrrhus in acie. S P. Quid ais? A P. Quemadmodum in oratione, ita nec in conuiuio decet proœmium esse elaboratum. Rursus epilogus uarietate commendetur potius quàm apparatu. In tribus itaque medijs seruanda Pyrrhi disciplina, ut in utroq; cornu sit aliquid eximium, in media acie uulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, ut nec sordidus uideare, nec fastidiosa copia sis molestus. S P. Satis expedite de cibis, superest ut quomodo bibendum doceas. A P. Nulli omniũ cyathum appones, sed pueris dato negotium, ut ubi percontari didicerint, quo quisq; uini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod uolet, porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur & iucundius, non solùm ob id, quia subinde recens dabitur potus, uerùm etiam quòd nemo bibet, nisi sitiens. S P. Optimum profectò consilium. Sed quî fieri poterit, ut hilarescant omnes? A P. Id ut fiat,

partim

partim in te situm est. S P. Quî nam? A P. Tenes illud, Ante omnia uultus accessere boni. S P. Quorsum istud? A P. Vt conuiuas comiter accipias, fronteq; hilari compelles, sermonem ad cuiusque ætatem, affectum, ac mores attemperans. S P. Accedam, ut dicas melius. A P. Nosti linguas? S P. Propémodum omnium. A P. Vt sua quenque lingua subinde appelles, utq; conuiuium fabulis amœnioribus hilarescat, uarias misce materias de rebus, quarum quisq; libenter meminit, & nullius dolore audiũtur. S P. Quas dicis huiusmodi materias? A P. Sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas ipse melius perspicies, ego generatim attingam aliquot. Senes gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerũt. Matronis dulce est refricari memoriam eius temporis, quum à procis ambirẽtur. Nautæ, quiq; diuersas ac longinquas mundi regiones inuiserunt, libenter ea narrant, quæ quia nemo uidit, mirantur omnes. Est & anteactorum malorũ, iuxta prouerbium, iucunda recordatio, si modò eius sint generis, ut cũ probro coniuncta non sint, ueluti militiæ, professionum, naufragiorumq; discrimina. Postremò de sua cuique arte grata est confabulatio, deq; hisce rebus, quarum usu callet. Hæc sunt fermè generalia, peculiares affectus singulatim describi non queant: sed exempli causa, Est aliquis laudis appetẽtior, alius uult haberi doctus, alius gaudet uideri diues: est hic loquacior, ille pauciloquus, nonnullos reperies tetricos, alios contrà blandiores. Sunt qui nolint uideri senes, quum sint: sunt rursus qui uolunt haberi grandiores quàm sint, affectantes hoc esse mirandi,

quòd

quòd bellè portant ætatem: sunt fœminæ quæ sibi de forma placent, sunt aliæ putidulæ. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones unicuiq; gratos, uitatis his quæ mœrorem afferunt. S P. Nætu perpulchrè tenes artem conuiuatoriam. A P. Phy. Si tantundem temporis & operæ mihi consumptum esset in utroque iure, Medicina ac Theologia, quantũ impensum est huic arti, iandudũ & inter iureconsultos, medicos ac Theologos doctoris & titulum, & lauream tulissem. S P. Credo. A P. Sed heus tu, nequid erres, hîc cauendũ est, ne fabulæ sint nimiùm prolixæ, aut ne exeant in temulentiam. Quemadmodum enim uino nihil iucundius, si modicè sumpseris: contrà nihil molestius, si suprà quàm sat est hauseris, ita usu uenit in fabulis. S P. Vera prædicas. Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? A P. Vbi sensesris suboriri τὸν ἄοινον μέθην, per occasionem interseca sermonem, & argumentum diuersum interfere. Frustra, opinor, te monerem, ne cui suus dolor in conuiuio refricetur, utcunque Plato iudicat in conuiuijs quibusdam uitijs esse medendum, uino discutiente tristitiam, & offensæ memoriam abolente. Verùm illud te monitum oportuit, ne niniùm crebrò salutes conuiuas, tametsi probo, ut interdum obambulans, nunc hos, nunc illos comiter appelles: oportet enim conuiuatorem bonum motoriam agere fabulam. Nihil autem inciuilius, quàm ibi cõmemorare, quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de uino dictum puta. Quin extenuandum etiam modicè quod apponitur. Alioquin nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est bis aut ad summum

Id est, ebrietatẽ non ex uino or tam.

ter

ter dixisse, Boni consulite. Si parum lautus est apparatus, animus certè lautissimus est. Interdum sales aspergendi sunt, sed qui nihil habeāt dentis. Profuerit & illud, subinde sua quenq; compellare lingua, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem ucnit in mentem. S P. Quidnam? A P. Si non placet sortito dare locos, cura ut tres ex omnibus eligas natura festiuos, minimcq; mutos, quorum unum collocabis in capite mensæ, alterum è regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam cæterorum discutiant. Quòd si perspexeris conuiuium uel silentio tristius esse, uel clamoribus tumultuosum, aut etiam ad rixas tendere. S P. Hoc crebrò fit apud nos: quid tum faciendum? A P. Accipe rem mihi multo usu cōpertam. S P. Expecto. A P. Inducito duos Mimos, siue γελωτοποιοὺς, qui sine uoce ridiculum aliquod argumentum gesticulatione repræsentent. S P. Quur sine uoce? A P. Vt par sit omnium uoluptas, aut nihil loquantur, aut lingua loquantur omnibus æquè ignota. Gestibus loquentes omnes pariter intelligent. S P. Quod argumentum mihi narras, non satis intelligo. A P. Sunt innumera, puta uxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quippiam è media uita. Quò magis erit ridicula saltatio, hòc plus erit omnibus uoluptatis. Hos oportet esse semifatuos, alioqui qui planè fatui sunt quædam interdum effutiunt imprudentes, quæ lædunt. S P. Ita tibi precor semper propitium Comum, ut mihi dedisti fidele consilium. A P. Addam coronidem, quin potius repetam, quod initio dixeram, ne nimiùm sis anxius, ut placeas omnibus, non hic tantùm, sed in omni uita, atq; ita fiet, ut citius placeas omnibus: optimum

Id est, risum mouentes.

optimum enim in uita, ne quid nimis.

DE REBVS AC VOCABVLIS.

BEATVS, BONIFACIVS.

B E. *Saluus sit Bonifacius.* B O. *Etiam atq; etiam saluus sit Beatus. Sed utinam essemus uterq; quod dicimur, tu diues, ego formosus.* B E. *Ita'ne parum tibi uidetur habere nomen magnificum?* B O. *Mihi quidem minimi momenti, nisi res adsit.* B E. *At pleriq; mortales aliter affecti sunt.* B O. *Fieri potest ut mortales sint isti, homines esse non credo.* B E. *Et homines sunt ò bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos & asinos obambulare.* B O. *Hoc citius crediderim, quàm homines esse, qui pluris nomen faciant, quàm rem.* B E. *In certis rerum generibus, fateor, pleriq; malunt rem quàm nomen, in multis contrá.* B O. *Hoc quid sit, non satis assequor.* B E A. *Atqui penes nos ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses alterutro spoliãdus, utrum malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius?* B O. *Equidem malim uel Thersites dici, quàm habere prodigiosam faciem: an bonã habeam, nescio.* B E. *Item ego si diues essem, & aut res aut nomen esset deponendum, malim Irus dici, quàm re spoliari.* B O. *Assentior uera loquenti.* B E. *Idem usu ueniet, opinor, in his qui sunt prospera ualetudine, aut aliis corporis præditi commodis.* B O. *Probabile est.* B E. *At quàm multos uidemus, qui mallent nomen eruditi pijq; uiri, quàm esse docti boniq; uc.* B O. *Plurimos istiusmodi noui.* B E A T. *An non apud hos plus habet momenti nomen, quàm res?* B O N I F. *Videtur.* B E A T. *Iam si quis*

Alterutro, nomine scilicet aut re.

nobis adesset Dialecticus, qui scitè definiret, quid sit rex, quid episcopus, quid magistratus, quid philosophus, fortassis & hìc inueniremus qui mallent nomen, quam rem. BO. Ita profectò, si rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si episcopus, qui totus inuigilat gregi Dominico: & si magistratus est, qui ex animo consulit Reipub. & si philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantum studet bonæ menti parandæ. BE. Hìc uides quantum huius generis exemplorum possim aggerere. BO. Sanè plurimum. BE. An hos omnes negabis esse homines? BO. Vereor ne nos ipsi citius nomen hominis amittamus. BE. At si homo est animal rationale, quantum abest hoc à ratione, ut in corporis commodis uerius quàm bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit quum libet, rem malimus, quàm nomen: in ueris animi bonis, nomen pluris faciamus, quàm rem. BO. Præposterum mehercule iudicium, si quis attendat. BE. Eadem autem est ratio in contrarijs. BO. Expecto quid dicas. BE. Idem iudicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de uocabulis expetẽdarum. BO. Apparet. BE. Magis enim horrendum est esse tyrannum, quàm tyranni nomen: & si malus episcopus iuxta sententiam Euangelicam, fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quàm ipsa res. BO. Conuenit sanè. BE. Tu de cæteris similiter colligito. BO. Prorsus intelligo. BE. Non'ne fatui nomen aduersantur omnes? BO. Et quidem maximè. BE. Non'ne fatuus esset qui aureo piscaretur homo, qui uitrum anteponeret gemmis, qui chariores haberet equos quàm uxorem ac liberos? BO. Is esset

Aureo hamo pisc. uide Chiliades.

quouis Corœbo stultior. BE. An non tales sunt qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodùm magni, corpus & animam exponentes periculo: qui student congerendis opibus, quum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui uestes & ædes exornant, quum animus neglectus ac squallidus iaceat: qui corporis ualetudinem anxiè tuentur, animam tot capitalibis morbis laborantem negligunt: deniq; qui fugacissimis huius uitæ uoluptatibus cruciatus merentur æternos? BO. Ipsa ratio fateri cogit, plus quàm fatuos esse. BE. Atque his fatuis quum plena sint omnia, uix inuenias qui ferre possit fatui uocabulum, quum adeo non abhorreant à re. BO. Sic est profectò. BE. Agè, scis quàm sint apud omnes inuisa uocabula, mendacis ac furis. BO. Sunt inuisissima, nec sine causa. BE. Fateor. Sed quum stuprare cõiuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidam etiã gloriantur, ad furti conuicium ilico stricturi gladium. BO. Ita res habet apud complures. BE. Ita quum multi scortis uinoq; perditissimi sint, & sint libenter ac palàm, tamen ad Ganeonis nomẽ offenduntur. BO. Hi nimirum rem sibi gloriæ ducunt, quum uocem rei debitam horreant. BE. Sed uix aliud nomen auribus nostris uidetur intolerabilius, quàm mẽdacis. BO. Noui qui hoc cõuicium cæde sint ulti. BE. Sed utinam pariter abominentur rem. Nunquàm accidit tibi, ut qui promiserat se mutuum ad certum diem redditurum, falleret? BO. Frequenter etiam quum id deieraſſet, neque id semel, sed iterum atque iterum. BE. Fortasse non erant soluendo. BO. Imò erant, sed commodius esse ducebant non reddere creditum. BE. An hoc non

est

est mentiri? BO. Planissimè. BE. Auderes istiusmodi creditorem sic compellare, Quur mihi toties mentiris? BO. Non, nisi paratus essem ad pugnam. BE. An non simili modo quotidie uerba dant latomi, fabri, aurifices & uestiarij, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tua? BO. Mira impudentia, sed adde his aduocatos pollicentes operam. BE. Potes addere sexcenta nomina, nemo tamen horum laturus sit mendacis uocaculum. BO. Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia. BE. Itidem furis nomen nemo tolerat, quum à re non perinde omnes abhorreant. BO. Expecto ut dicas clarius. BE. Quid interest inter eum qui rem tuam tollit è scrinio, & inter eum qui depositum abiurat? BO. Nihil, nisi quòd sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem. BE. At quàm pauci sunt, qui depositum reddunt, aut si reddunt, non dant integrum. BO. Opinor esse perpaucos. BE. Nemo tamen istorum ferat furis uocabulum, quum rem non horreant. BO. Admodum. BE. Iam mihi reputa, quid uulgò fiat in tractandis pupillorum bonis in testamentis aclegatis, quantum hæreat digitis tractantium? BO. Frequenter totum. BE. Furtum amant, uocabulum detestantur. BO. Maximè. BE. Quid agant qui res fisci tractant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum æstimatione, priuatorum rem accidunt, fortasse nobis non admodùm liquet, de his quæ quotidie experimur, loqui fas est. Qui sumit mutuum, aut qui conflat æs alienum hoc animo, ut reddat, si liceat, nunquam, quantulum abest à fure? BO. Cautior fortasse dici potest: melior, nequaquam.

BE. At horum quum ingens ubiq; sit numerus, nemo ta-
men tolerat furis nomen. BO. Animum solus Deus nouit,
proinde apud homines obærati uocantur, non fures. BE.
Quantuli refert quo nomine dicantur apud homines, mo-
dò sint fures apud Deum? Certè suus cuique notus est ani-
mus. Adhæc, qui quum debeat multum, quod obtigit pe-
cuniæ nequiter prodigit, qui posteaquàm decoxit in una
ciuitate delusis creditoribus fugit in aliam, hospites quæ-
rens quibus imponat, idq; facit crebrius, non'ne satis de-
clarat quo sit animo? BO. Satis superq;. Sed tamen isti
solent fucare colore, quod faciunt. BE. Quonam? BO.
Multum multisq; debere prædicant sibi cum magnatibus
atque adeò regibus esse commune, eoq; qui sunt hoc in-
genio præditi, ferè nobilitatis opinionem affectant. BE.
In quem usum? BO. Dictu mirum, quantum equiti licere
uelint. BE. Quo iure, quibus legibus? BO. Haud alijs,
quàm quibus præfecti maris uindicant sibi quicquid ec-
ctũ est naufragio, etiamsi extet dominus: quibus alij suum
esse uolunt, quicquid apud furem aut prædonem depre-
henderint. BE. Istiusmodi leges possent ipsi fures conde-
re. BO. Et facerent, si queant tueri, & haberent quod
excusarent, si bellum indicant prius quàm furentur. BE.
Quis hoc iuris dedit equiti potius, quàm pediti? BO. Mi-
litiæ fauor. Sic enim exercentur ab bellum, quò promptio
res sint ad spoliandum hostem. BE. Sic, opinor, Pyrrhus
exercebat suos ad bellum. BO. Non, sed Lacedæmonij.
BE. Abeant in malam crucem cum suo exercitio. Sed un-
de nomen hoc tantæ prærogatiuæ? BO. Quibusdam ob-
uenit à maioribus, alij mercantur ære, quidam asciscunt.

BE.

B E. *An licet aſciſcere cuilibet?* B O. *Licet, ſi mores reſpondeant.* B E. *Qui?* B O. *Si nihil bonæ rei gerat, ſi ſplendidè ueſtiatur, ſi incedat anulatus, ſi gnauiter ſcortetur, ſi aleam ludat aßiduè, ſi certet chartis, ſi cõpotationibus ac uoluptatibus ætatẽ abſumat, ſi nihil loquatur plebeiũ, ſed arces, pugnas, ac bella mera crepet, Thraſonica omnia. Iſti ſibi permittũt bellũ cui uelint indicere, etiam ſi pedem ubi ponant non habeant.* B E. *Equites mihi narras, equuleo dignos. Atqui tales habet non paucos Sicambria.*

Pedem. uide Chili. 1. cen. 5. prouerb. 7.

CHARON.

CHARON, GENIVS, ALASTOR.

CH. *Quid ita properas geſtiens Alaſtor?* A L. *Opportunè tu quidem ô Charon. Ad te properabam.* CH. *Quid nouæ rei?* A L. *Nuntium fero tibi Proſerpinæq; lætiſſimum futurum.* CH. *Effer igitur quod fers, teq; exonera.* A L A S. *Furiæ non minus gnauiter quàm feliciter geſſerunt ſuum negotium, nullam orbis partem non infecerũt malis Tartareis, diſſidijs, bellis, latrocinijs, peſtilentijs, adeò ut planè iam caluæ emiſſis colubris ſint, & exhauſtæ uenenis obambulent, quærentes quicquid uſquam eſt uiperarum & aſpidum, quando tam glabræ ſunt, quàm ouum, & pilum non habent in capite, neque quicquam in pectore ſucci efficacis. Proinde tu fac cymbam ac remos appares. Mox enim uentura eſt tanta umbrarũ multitudo, ut uerear ne non ſufficias omnibus tranſmittendis.* CH A. *Iſta nos non fugerant.* A L. *Vnde reſcieras?* CH. *Oſſa pertulerat ante biduum.* A L. *Vt illa Dea nihil eſt uelocius. Sed quid tu igitur hìc ceſſas relicta cymba?*

Tranſmittẽdis. Charõ enim apud inferos animas defunctorũ per Stygem & Acherontẽ trãſuehit.

CH. Ita nimirùm res ferebat. Huc profectus sum, ut mihi compararem ualidam aliquam triremem. Nam mea cymba iam uetustate putris ac sutilis, non sufficerit huic oneri, si uera sunt quæ narrauit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? Res ipsa compellit. Nam naufragium feci. AL. Nimirum totus distillas, suspicabar te redire è balneo. CH. Imò enataui è Stygia palude. AL. Vmbras ubi reliquisti? CH. Natant cum ranis. ALA. Sed quid narrauit Ossa? CH. Tres orbis monarchas capitalibus odijs in mutuum exitium ruere, nec ullam orbis Christiani partem immunem esse à belli furijs. Nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli consortium: omnes esse talibus animis, ut nemo uelit alteri cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Scotum, nec uerò Turcam interim esse in otio, moliri dira: pestilentiam ubique sæuire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad hac nouam esse luem ex opinionum uarietate natam, quæ sic uitiauit omnium animos, ut nulla usquam sit syncera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec uxori cum marito conueniat. Spes est hinc quoq; nasciturum olim magnificam hominum perniciem, si res à linguis & calamis ad manus peruenerit. AL. Hæc omnia uerissimè narrauit Ossa. Nam ipse plura uidi his oculis, assiduus comes & adiutor furiarum, quæ nullo tempore magis declararunt se suo dignas nomine. CH. Atqui periculum est, ne quis dæmon exoriatur, qui subitò adhortetur ad pacem, & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio apud superos esse polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari bellum, & ad pacem cohortari. ALAS. Ille iam pridem

Polygraphum. Erasmum, qui multa scripsit, & pacis querelam.

pridē surdis canit. Olim scripsit pacis profligatæ querimoniam, nunc eidem extinctæ scripsit epitaphium. Sunt alij contrà, qui non minus iuuent rem nostram, quàm ipsæ furiæ. CH. Quinam isti? AL. Sunt animalia quædam pullis & candidis pallijs, cinericijs tunicis, uarijs ornata plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorem belli, hortantur eōdem proceres ac plebem, in Euangelicis illis concionibus clamitant bellum esse iustum, sanctum ac pium. Quoq; magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utranque partem. Apud Gallos cōcionātur Deum stare pro Gallis, nec uinci posse qui Deum habeat protectorem. Apud Anglos & Hispanos, hoc bellum non à Cæsare geri, sed à Deo, tantum præbeant se uiros fortes, uictoriam esse certam. Quòd si quis interciderit, cum non perire, sed rectà subuolare in cœlum, sicut erat, armatum. CH. Et habetur istis tanta fides? AL. Quid non potest simulata religio? Accedit huc iuuentus, rerum imperita, gloriæ sitis, ira, animus ad id quò uocatur natura propensus. His facilè imponitur, nec difficilè perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam. CH. Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero. AL. Appara lautum conuiuium. Nihil potes gratius. CH. Ex maluis, lupinis, & porris. Nam apud nos non alia est, ut scis, annona. AL. Imò ex perdicibus, capis, & phasianis, si uis esse gratus conuiuator. CH. Sed quæ res istos mouet, ut tantopere promoueant bellum? Aut quid hinc metunt commodi? AL. Quia plus emolumenti capiunt è morientibus, quàm ex uiuis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multaq; alia non aspernāda

lucra. Denique malunt in castris uersari, quàm in suis alueariibus. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace neteruncij quidem fiebant. CH. *Sapiunt.* AL. *Sed quid opus est triremi?* CH. *Nihil, si uelim in media palude rursus naufragium facere.* AL. *Ob multitudinem?* CH. *Scilicet.* AL. *Atqui umbras uehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ?* CH. *Sint tipulæ, tamen tipularum tanta uis esse potest, ut onerent cymbam. Tum scis & cymbam umbratilem esse.* AL. *At ego memini uidere me, cùm esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, à clauo tuo tria millia umbrarum pendêre nonnunquam, nec tu pondus ullum sentiebas.* CH. *Fateor tales esse animas quæ paulatim demigrarunt è corpore phthisi aut hectica tenuato. Cæterùm quæ subitò reuelluntur è crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit apoplexia, cynanche, pestilentia, sed præcipuè bellum.* AL. *Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis.* CH. *Multò minus quàm cæteri, quanquam & horum animæ nõ omnino ueniunt plumeæ. Cæterùm è Britannis, è Germanis bellè pastis ueniunt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim decem duntaxat uehens: & nisi iacturam feciſſem, perieram unà cum cymba, uectoribus & naulo.* AL. *Ingens discrimen.* CH. *Quid intereà censes fieri, cùm accedunt crassi satrapæ, Thrasones & Polymachæroplacidæ?* AL. *Ex his qui pereunt in iusto bello, nullos arbitror ad te uenire. Nam aiunt eos rectà subuolare in cœlum.* CH. *Quò subuolent, nescio: unum illud scio, quoties bellum est, tot ad me ueniũt saucij lacerique, ut demirer ullum superesse apud superos.*

superos. Nec solùm ueniunt onustæ crapula & abdomine, uerùm etiam bullis, & sacerdotijs alijsq; rebus plurimis. AL. *At ista non deferunt secum, sed nudæ ueniunt ad te.* CH. *Verum, sed quæ recentes ueniunt, somnia talium rerum secum adferunt.* AL. *Ita'ne grauant somnia?* CH. *Grauant cymbam meam: quid dixi grauant? iam demerserunt. Postremò tot obolos putas nihil habere sarcinæ?* AL. *Equidem arbitror, si ferant æreos.* CH. *Proinde certum est mihi prospicere de naui quæ sufficiat oneri.* AL. *O' te felicem.* CH. *Quid ita?* AL. *Quia propediem ditescas.* CH. *Ob multitudinem umbrarum?* AL. *Næ.* CH. *Si quidem suas opes secum adferant. Nunc qui in cymba deplorant se apud superos reliquisse regna, præsulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obolum. Itaque quod iam annis ter mille mihi corrasum est, id totum est effundendum in unam triremem.* AL. *Sumptum faciat oportet, qui quærit lucrum.* CH. *Atqui mortales, ut audio, felicius negotiantur, qui fauente Mercurio ditescunt intra triennium.* AL. *Sed ijdem decoquũt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius.* CH. *Nescio quam certum: si quis Deus nunc exoriatur, qui res principum componat, sors hæc tota mihi perierit.* AL. *Ista quidem de re iubeo ut me sponsore in utranque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est quod pacem metuas. Vnus Romanus pontifex sedulò quidem hortatur ad concordiam, sed laterem lauat. Murmurant & ciuitates tædio malorũ: conferunt susurros populi nescio qui, dictitantes iniquum, ut ob priuatas iras aut ambitionem duorũ trium ue res humanæ sursum deorsum misceã-*

Laterem lauat. uide Chiliades.

tur, sed uincent, mihi crede, quamlibet recta consilia furiæ. Cæterum quid opus erat hac gratia petere superos? An apud nos non sunt fabri? Certè Vulcanum habemus. CH. *Pulchrè, si quærã nauim æream.* AL. *Minimo accersetur aliquis.* CH. *Ita est, sed defecit nos materia.* AL. *Quid audio, nihil illhic syluarũ?* CH. *Etiam nemora quæ fuerãt in campis Elysijs absumpta sunt.* AL. *In quem tandem usum?* CH. *Exurẽdis hæreticorum umbris, adeò ut nuper coacti simus è terræ uisceribus carbones effodere.* AL. *Quid? an istæ umbræ non possunt minore sumptu puniri?* CH. *Sic uisum est Rhadamantho.* AL. *Vbi triremẽ mercatus eris, unde remiges parabuntur?* CH. *Meæ partes sunt tenere clauum, remigent umbræ, si uelint traijcere.* AL. *At sunt quæ non didicerunt remum agere.* CH. *Apud me nullus est eximius, remigant & Monarchæ, remigant & Cardinales suam quisq; uicem, nõ minus quàm plebeij tenues, siue didicerint, siue nõ didicerint.* AL. *Tu fac dextro Mercurio feliciter mercere triremẽ. Ego nõ te remorabor amplius. Orco lætum adferam nuntiũ. Sed heus heus Charon.* CH. *Quid est?* AL. *Fac matures reditum, ne te mox obruat turba.* CH. *Imò iam plus quàm ducẽta millia offendes in ripa præter illas quæ natant in palude. Properabo tamen quantùm licebit. Dic illis me mox adfuturum.*

SYNODVS GRAMMATICORVM.

ALBINVS, BERTVLPHVS, CANTHELVS, Diphylus, Eumenius, Fabullus, Gaditanus.

AL. *Est'ne quisquam in hoc numero, qui didicit Arithmeticen?* BE. *Cui tandem rei?* AL. *Qui certum doceat quot conuenerimus grammatici.* BE. *Isthuc quidem*

citrà

citra calculos, uel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te pono in pollice, me in indice, Canthelũ in medio, Diphylum in anulari, Eumenium in minimo. Nunc ad læuam transeo, illhic in pollice pono Fabullum, in indice Gaditanum. Itaque, ni fallor, septem sumus. Sed quorsum attinet isthuc scire? A L. Quoniam audio septenarium reddere legitimum concilium. B E. Quod concilium mihi narras? A L. Est res seria quæ me diu multumq; torsit, neque me tantùm, uerum multos etiam uiros neutiquam indoctos. Eam proponã in medium, ut huius synodi autoritate semel finiatur quæstio. C A. Eximium quiddam sit oportet, quod tu uel ignores Albine, uel animum tuum perspicacissimum diu multumq; torserit. Quare cupimus & ipsi nosse quid isthuc sit rei. Nam unus omnium nomine respondeo. A L. Ergo hic estote omnes, aures simul adhibentes & animos. Plus uident oculi quàm oculus. Est'ne quisquã uestrum, qui nobis explanare possit, quid significet hæc uox Anticomarita? B E. Nihil facilius. Sonat enim betæ genus, quam prisci natatilem appellabant, caule contorto nodosoq;, mirè fatua, tetri odoris si cõtingas, posset cum Anagyri contendere. C A. Natatilem narras betam, imò cacatilem bestiam. Quis unquã audiuit aut legit antehac nomen natatilis betæ? B E. Imo hoc dilucidè docet Mammetrectus uulgò corruptè dictus, quum uero nomine dicatur Mammothreptos, quasi dicas auiæ alumnum. A L. Quid isthuc est tituli? B E. Vt intelligas in libro nihil inueniri præter meras delicias, quòd mammæ, hoc est, auiæ soleant indulgentius habere nepotes, quàm matres liberos suos. A L. Planè delicioſum opus mihi narras. Nuper enim Anticomarita

quum

quum in hunc codicem incidissem, minimùm abfuit, quin risu dissilierim. C A. Vbi tu nactus es eum codicem, qui rarissimus inuentu est? B E. Abbas diui Bauonis, nomine Liuinus, à prandio Brugis duxit me in bibliothecam suam peculiarem, quam homo senex cupiens aliquod sui monumentum posteris relinquere, non mediocri sumptu parabat. Nullus erat liber, qui non esset manu descriptus, idq; in membranis, nullus qui non uarijs picturis ornatus, ac foris bysso auroq; tectus. Quin & ipsa codicum spatiosa moles nescio quid maiestatis præ se ferebat. A L. Quinam erant? B E. Oh præclari omnes, Catholicon, Brachylogus, Ouidius per allegorias expositus, alijq; innumeri, inter quos & lepidissimum Mammothreptum reperi. Inter eas delicias inueni natatilem Betam. A L. Quur uocant natatilem? B E. Referam quod legi, penes autorem fidei periculum esto. Quoniam, inquit, prouenit in locis humidis putridisq;, nec usquam felicius prouenit, quàm in cœno aut sterquilinio, bonos sit auribus. A L. Ita'ne grauiter olet? B E. Sic ut nec oletum ullum peius oleat. A L. Est'ne istius oleris ullus usus? B E. Imò in delicijs est. A L. Fortasse porcis, aut asinis, aut bubus Cyprijs. B E. Imò hominibus, & quidem delicatis. Pelinorum gens est, apud quã conuiuia uicissim in longam ducuntur periodum, extremam compotationem uocant sua lingua resumptam, quasi nos dicamus bellaria aut tragemata. A L. Quàm bella bellaria. B E. Eius compotationis hæc lex est, liberum sit conuiuatori quicquid uolet apponere: nefas autem sit conuiuis quicquam reijcere, sed omnia boni consulere. A L. Quid si apponeret cicutam aut cramben recoctam?

Bubus Cyprijs. uide Chiliades.

B E.

DE. Quicquid apponitur deuorandum ibi est tacitè. Domi tamen licet quod ederint reuomere. Nam hic ferè ponunt natatilem Betam, siue Anticomaritam: nihil enim refert utro nomine dixeris, res eadem est. Admiscent aliquid querni corticis, & allij plurimum. Ita moretum absoluunt. AL. Quis persuasit legem tam barbaram? BE. Consuetudo, quouis tyranno potentior. AL. Tragicam periodum mihi narras, quæ tam inamœnum habeat exitum. BE. Dixi meam uicem, nulli præiudicans, si quis quid habet rectius. CA. At ego comperi priscis fuisse piscem, quem uocarunt Anticomaritam. BE. Dic autorem. CA. Codicem exhibere possum, nomen autoris non possum dicere. Scriptus est Gallice, sed formulis Hebraicis. BE. Quam speciem habet piscis Anticomarita? CA. Cætera nigris squamis est, solus uenter albet. BE. Palliatum quempiam Cynicum, opinor, nobis ex pisce facies. Qui sapor? CA. Nihil insuauius. Quin pestilens est. Nascitur in putribus lacunis, interdum & in cloacis, iners, limosus: solo gustu pituitam gignit grauem, quam uix uomitu leues. Frequēs est in regione quam Celtithracen appellant. Nam illhic in delicijs est, quòd gustasse carnes detestabilius sit homicidio. AL. Infelix regio cum suo Anticomarita. CA. Tantum habeo quod dicam, nemini præiudicatum uelim mea sententia. DI. Quid opus est huius uocis enarratione ex Mammothreptis aut Hebræis schedis petere, quū ipsa dictiōis etymologia præ se ferat Anticomaritas dici puellas parū feliciter coniugatas, utpote maritis uetulis? Nec enim nouum est quòd scribæ, quo uerterunt in co, quum sint literæ cognatæ, c, q, & k. EV. Erat aliquid quod dixit

Diphylus

Diphylus, si constaret dictionem esse Latinam. Mihi uidetur esse Græca è tribus conflata: ex anti, quod est contra, & come, quod sonat pagum, & ἁρίζειν, quod est muliebriter garrire, hinc per synalœphen elisa o, dictus est Anticomarita, qui rusticana garrulitate cunctis obstrepit. F A. Sedulò quidem meus dixit Eumenius. At mihi uidetur ex tot dictionibus conflata uox, quot habet syllabas. Nam ἄρ sonat ἄνθρωπον: κώδια: μα, μάλα: ρυ, ῥυπαρά: perperam enim scribitur per i: πα, πάλας. Ex his conficitur, amens ac miser uellens pilos putrium tergorum. A L. Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modò dixit Bertulphus. B E. Nimirùm anticomarita anticomaritæ. C A. Sedulò quidem dixistis omnes, at mihi uidetur uxor uiro malè morigera, dici Anticomarita per syncopen antidicomarita, quòd semper aduersetur marito. A L. Si recipimus tales tropos, facilè ex foria fient fora, & cuniculus fiet cuculus. B E. Atqui Albinus qui consul est in hoc senatu nondum dixit, quid ipse censeat. A L. Ex me quidem quod adferam non habeo, haud tamen grauabor in medium adferre, quod ab hospite meo nuper didici homine linguacissimo. Sæpius uariabat in loquendo sermonem, quàm luscinia cantionem. Is asseuerabat uocem esse Chaldaicam, è tribus compositam. Apud illos enim, ut aiebat, anti sonat peruersum ac cerebrosum: comar, petram: ita, sutoriam. B E. Quis unquam petræ tribuit cerebrum? A L. Nihil absurdi, si modò mutes genus. C A. Prorsus in hac synodo euenit, quod uulgò dici solet, Quot homines, tot sententiæ. Quid igitur actum est? sententiæ numerari possunt, diuidi non possunt, ut pars maior uincat minorem

rem. AL. Vincat igitur melior deteriorem. CA. Atqui ad hoc ipsum opus esset alia synodo. Nam sua cuiq; sponsa uidetur pulcherrima. AL. Isthuc si uerum esset, minus haberemus adulteriorum. Sed habeo consilium expeditum. Fabis sortiamur ex hoc numero cui ius sit, ut ex omnibus suffragijs probet, quod uolet. CA. At isthæc in te cudetur faba. Num uera dixi? AL. Mihi prima & postrema magis arridet. CA. Assentimur omnes, ut unus pro omnibus respondeam. AL. Agè sit igitur hoc interea, de quibus dubitare fas non est. CA. Maximè. AL. Si quis dissentiat, quid erit pœnæ? CA. Maiusculis scribetur hæreticus in grammatica. AL. Adijciam bonis auibus, quod mihi non negligendum uidetur. Id ex medico quodam Syro acceptum amicis communicabo. BE. Quid isthuc? AL. Si natatilem betam, gallam è quercu, & sutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aspersis coprī sex uncijs miscueris in malagma, præsentaneum esse remedium aduersus caninam scabiem, & porcorum pruriginem. BE. Sed heus Albine, qui nobis omnibus de Anticomarita negotium facessis, in quo tandem autore legitur isthuc uocabulum? AL. Dicam, sed in aurem, & uni. BE. Accipiam, sed hac lege, ut ego uicissim unus uni in aurem dicam. AL. At repetita henas, tandem fit chilias. BE. Verum dicis, ubi semel ex henade reddideris dyadē, iam nō est tibi in manu sistere fluxum dyadis. AL. Quod pauci norunt, celari potest: quod multi, nequaquam: trias autem ad multitudinem pertinet. BE. Probè, qui tres simul haberet uxores, multas habere diceretur. Sed qui tres haberet pilos in capite, aut dētes in ore, multos'ne, an

Suum cuique pulchrum, uide prouerb.

In te cudetur faba, id est, in te malum hoc recidet.

paucos

paucos habere diceretur? AL. *Sophista, admoue aurem.* BE. *Quid ego audio? Isthuc non minus absurdum est, quàm si Græci ciuitatem, cui expugnandæ tot classes ducebant, suo nomine non possent nominare, pro Troia dicentes Sutrium.* AL. *Atqui hic Rabinus est nuper è cœlo delapsus, qui nisi præsens numen succurrisset rebus humanis, iandudum quæreremus, ubi nam essent homines, ubi pietas, ubi philosophia, ubi literæ.* BE. *Næ iste inter Moriæ procceres primas mereretur, dignus qui posthac uocetur, Archimorita, cum suis Anticomaritis.*

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ, *siue* CONIVGIVM IMPAR.

PETRONIVS, GABRIEL.

PE. *Vnde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num ex antro Trophonij?* GAB. *Imò à nuptijs.* PE. *Nunquàm uidi uultum minus nuptialem. Nam qui nuptijs interfuerunt, totos postea sex dies solent hilariores amœnioresq; uideri, senes etiam reiuuenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis, opinor, cum Marte.* GAB. *Imò iuuenis generosi cum puella sedecim annos nata, in qua nihil desideres siue formam spectes, siue mores, siue genus, siue fortunam. Quid multis? Ioue marito digna uideri poterat.* PET. *Hui tam teneram puellam tam uetulo?* GABR. *Reges non senescunt.* PET. *Vnde igitur isthæc tristitia? Fortassè sponso inuides, qui tibi captatam prædam uictor præripuit.* GAB. *Phy, nihil minus.* PE. *Num tale quid accidit, quale memorant de conuiuio Lapitharum?* GA. *Nequaquam.* PET. *Quid? an defuit Bacchi liquor?* GA. *Imò supererat.* PE. *Non aderant*

tibi

tibicines? GA. Et fidicines, & lyricines, & tubicines, & utricines. PET. Quid igitur? Non aderat Hymenæus? GA. Frustra tot uocibus ciebatur. PE. Nec Charites? GA. Ne musca quidem Charis. Nec pronuba Iuno, nec aurea Venus, nec Iupiter Gamelius. PE. Næ tu mihi nuptias loqueris prorsus inauspicatas & ἀθέους, seu potius ἄγαμον γάμον. GA. Magis dicas, si uidisses. PE. Non igitur saltatum est? GA. Imò miserè claudicatum. PE. Nullum ergo numen prosperius istas hilarabat nuptias? GA B. Nullũ omnino illhic aderat præter unã Deam, quæ Græcis dicitur Psora. PE. Pruriginosas, opinor, nuptias dicis. GA. Imò rubiginosas & purulẽtas. PE. Sed quid est mi Gabriel, quòd hæc commemoratio tibi lacrymas etiam excutit? GA. Hæc res Petroni uel silici posit extundere lacrymas. PET. Credo, si silex uidisset. Sed obsecro te, quidnam est hoc tantùm mali? Ne cela, nec meum animum diutius suspendito. GA. Nosti Lampridium Eubulum? PE. Quo non alius in hac urbe uir melior aut beatior. GA. Quid? eius filiam Iphigeniam? PE. Florem huius ætatis nominasti. GA. Sic est. At scis cui nupserit? PE. Sciam, si dixeris. GA. Nupsit Pompilio Bleno. PE. Ei'ne Thrasoni, qui neminem non solet occidere suis glorioſis fabulis? GA. Huic ipsi. PE. At is iam olim celebris est in hac urbe, duabus potissimũ rebus, mendacijs ac scabie, quæ nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum habeat nomina. GA. Superbissima scabies est, quæ nec lepræ, nec elephantiasi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mẽtagræ cedat, si res ueniat in certamen. PE. Ita predicant medicorũ filij. GA. Quid ego nũc Petroni

ἀθέους: id est, sine Dijs.

ἄγαμ. id est, nuptiæ non nuptiæ.

ψώρα, scabies. Hîc Deam fingit scabiei.

Multorum nomina. Dicitur enim Morbus Gallicus, Morbus Neapolitanus, Scabies Hispanica.

depingam puellam tibi non incognitam, quanquàm plurimũ gratiæ addidit ornatus natiuo decori. Mi Petroni, dixisses Deam quampiam esse. Nihil illam non decebat. Interim prodijt nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter, quàm solent Suiseri, manibus scabris, halitu graui, oculis lãguidis, capite obuincto, sanies & è naribus, & ex auribus fluebat. Alij digitos habent anulatos, ille etiam in femore gestat anulos. PE. Quid parentibus accidit, ut talem filiam tali portento committerent? GA. Nescio, nisi quòd hodie plerisq; uidetur adẽpta mens. PE. Fortasse prædiues est. GA. Est affatim, sed ære alieno. PE. Si puella ueneno sustulisset ambos auos & auias, quod grauius suppliciũ de illa sumi poterat? GA. Si minxisset in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat, tali monstro uel osculũ dare coacta. PE. Accedo. GA. Mihi sanè factũ hoc crudelius esse uidetur, quàm si illam nudam obiecissent ursis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ peperciissent tam insigni formæ, aut subita mors finisset cruciatum. PE. Vera prædicas. Mihi planè uidetur hoc factũ Mezẽtio dignũ, qui mortua, ut inquit Maro, iungebat corpora uiuis, Componens manibusq; manus, atque oribus ora. Quanquàm nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaueri iungeret: nec ullum cadauer est, cui non iungi malis, quàm tam putido cadaueri. Siquidem hoc ipsum quod spirat, merum est uenenũ: quod loquitur, pestis est: quod contingit, mors est. GA. Iam tu mihi cogita Petroni, quid uoluptatis habitura sint illa suauia, illi complexus, illi nocturni lusus, ac blãditiæ? PE.

Minxisset in patrios cineres. uide Chiliades.

Theolo

Theologos nonnunquam audiui loquẽtes de impari coniugio. Isthuc demum optimo iure dici potest impar coniugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror teneræ uirginis audaciam. Solent enim tales puellæ ad lemuris aut laruæ conspectum tantùm non exanimari. An hæc audebit tale cadauer amplecti noctu? GA. *Habet puella quod excuset, autoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis simplicitatem: ego parentum uesaniam satis mirari non possum. Quis enim filiam habet tam infelici forma, quam collocare uelit homini leproso?* PET. *Nullus, opinor, si modò uel unciolam habeat sanæ mentis. Mihi si lusca esset eademq; clauda, nec minus deformis, quàm fuit Thersites Homericus, postremò indotata, recusarem istiusmodi generum.* GA. *At hæc lues est omni lepra tum tetrior, tum nocẽtior. Nam citius serpit, & subinde recurrit, ac frequẽter occidit, quũ nonnunquã lepra sinat hominem ad extremam usq; senectutẽ uiuere.* PET. *Fortasse latebat parentes sponsi morbus.* GAB. *Imò pulchrè nouerant.* PET. *Si tam malè uolebant filiæ, quin potius insutam culeo proiecerunt in Scaldam?* GAB. *Profectò leuior fuisset insania.* PET. *Quæ dos commendabat illis sponsum? Præcellit arte quapiam?* GAB. *Permultis. Strenuus est aleator, potator inuictus, scortator improbus: nugandi, mentiendiq; artifex maximus, prædator non segnis, decoctor eximius, comessator perditus. Quid multis? quum scholæ non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quam decẽ illiberales.* PE. *Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus.* GA. *Nihil aliud quàm glorioſum equitis nomen.* PE.

Qualis eques, cui per scabiem uix in sella sedere licet? Sed fortassis habet luculentas possessiones. GA. Habuit mediocres, sed ex proteruia, quam fecit, nihil supereſt præter unam turriculam, unde excurrere solet ad prædā, eamq; tam bellè instructam, ut nolis illhic porcos tuos ali. Sed interim nunquàm non habet arces in ore & feuda, aliaq; magnifica nomina, nusquàm non affigit sua insignia. PE. Clypeus quod habet symbolum? GAB. Tres elephantos aureos, in spatio phœniceo. PE. Scilicet, elephas elephanti congruit. Oportet autem hominem esse sanguinarium. GA. Imò uinarium. Nam rubro uino mirum in modum delectatur, sic tibi sanguinolentus est. PE. Ad hauriendum igitur utilis est illi proboscis. GA. Maximè. PE. Itaq; insignia declarant magnum ac stolidum nebulonem, uini gurgitem. Neq; enim ille color sanguinis est, sed meri: & aureus elephas indicat, quicquid auri nactus est, uino absumi. GAB. Sic est. PE. Quid igitur dotis hic Thraso conferet ad sponsam? GAB. Quid? maximam. PE. Quî maximā decoctor? GA. Sine me loqui, maximam, inquam, pessimamq; scabiem. PE. Emoriar ni malim filiam meam equo nuptam, quàm tali equiti. GAB. At ego uel monacho nuptam malim. Imò hoc non est homini nubere, sed hominis cadaueri. Hoc spectaculū si uidisses, dic mihi tenuisses'ne lacrymas? PE. Quî potuissem, qui uix ista sine lacrymis audio? Adcón' parentes ad omnem naturalis pietatis affectum obsurduisse, ut filiā unicam, puellam tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monstro in seruitutem traderent, propter mendacem clypeum? GA. Atqui facinus hoc quo nihil inuenias nec

imma

immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est, quum expediat eos qui Reipub. tractandæ nascuntur, esse quàm prosperrima ualetudine. Corporis enim habitus animi uim afficit. Certè hic morbus quicquid est homini cerebri solet exhaurire. Ita fit ut Reipub. præsideant, qui nec animo bene ualeant, nec corpore. PE. Non solùm integræ mentis ac prospera ualetudine conuenit esse qui Reipublicæ gubernaculis assidet, uerùm etiam forma dignitateq; corporis præcellentes. Quanquam enim prima principum commendatio sint sapientia & integritas, tamen nonnihil refert, qua specie corporis sit, qui cæteris imperat. Nam si sæuus est, multũ inuidiæ addit corporis deformitas. Sin probus & pius, Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus. GA. Rectè. PE. Non'ne deplorant earum infelicitatem, quarum coniuges post peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt comitialem? GA. Meritò sanè. PE. Quæ igitur dementia est, ultro filiam plus quàm leproso tradere? GA. Plus quàm dementia est. Si satrapas paret tollere catulos, quæso non ad generosam fœminam admittet scabiosum & ignauum canem? PE. Imò magna cura dispiceret, ut undiquaq; generosum adiungeret, ne nascantur hybridæ. GA. Et si dux augere uelit equitatum, nũ ad eximiã equã admitteret morbidum aut degenerem? PE. Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne quà serpat malum ad alios. GA. Nec interim referre putant, quem admittant ad filiam, & unde nascantur liberi, non tantùm in hæreditatẽ omnium facultatum successuri, uerùm etiam Rempublicã moderaturi? PE. Ne rusticus quidem quem-

uis taurum admittit ad iuuencam, nec quemuis equam iungit equæ, nec quemuis porcum scrophæ, quum taurus gignatur aratro, equus rhedæ, porcus culinæ. GAB. Vide quàm peruersa sint hominum iudicia. Si quis plebeius patriciæ puellæ osculum obtrudat, iniuriã putant bello uindicandam. PET. Acerrimo. GA. Et ipsi uolentes, scientes, prudentes, id quo nihil habent charius, dedunt abominãdo portento, & priuatim impij in suam gentem, & publicè in ciuitatem. PET. Si sponsus subclaudicat alioqui sanus, quàm abhorretur à coniugio? Hoc tantum malum non imputatur in sponsalibus. GA. Si quis filiam elocauit Franciscano, quanta abominatio, quanta deploratio malè collocatæ uirginis? At illa ueste detracta uirum habet membris ualidis. Ista totam ætatem transigit cum semiuiuo cadauere. Si qua nubit sacerdoti, ludunt in unctum, at hæc peius uncto nupsit. PET. Vix hoc faciunt hostes puellis bello captis, uix piratæ faciunt scelere abductis: & hoc faciunt parentes unicæ filiæ, nec illis datur à magistratu curator. GAB. Quomodo medicus succurret phrenetico, si ipsum habeat phreneſis? PE. Atqui nirum est à principibus, quorum munus est prospicere Reipub. duntaxat in his, quæ ad corpus pertinent, quum in hoc genere nihil prius ac potius sit bona ualetudine, hic nullum excogitare remedium. Tanta pestis bonam orbis partem occupauit, & illi interim stertunt, quasi nihil ad rem pertineat. GA. De principibus Petroni, religiosè loquendum est. Sed admoue aurem, insusurrabo tria uerba. PET. O miseriam, utinam falsa prædicares. GA. Quot morborum genera nasci putas ex uinis corruptis ac mille modis

infectis? PE. Innumera, si qua medicis fides. GA. Num hic uigilant ædiles? PE. Planè uigilant in exigendis uectigalibus. GA. Quæ sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod asciuit ipsa sibi, quanquàm si principatum gererem, utrunq; semoucrem ab urbano commercio. Cæterùm si qua nupsisset huic obnoxio lui, qui se sanum mentitus esset, si quis mihi summum pontificium deleget, dirimerem hoc coniugium, etiamsi sexcētis tabulis sponsalibus contractū esset. PE. Quo colore? Nam coniugium ritè contractum ab homine nō potest dirimi. GA. Quid? tibi uidetur ritè contractū, quod dolo malo contractum est? Non ualet cōtractus, si puella decepta seruo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit, seruus est miserrimæ dominæ Psoræ, atq; hòc infelicior est seruitus, quòd illa neminem manumittit, ut seruitutis miseriā aliqua libertatis spes consolari possit. PE. Sanè colorem reperisti. GA. Ad hæc, non est coniugium, nisi inter uiuos. Hic mortuo nubitur. PE. Repertus est alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas scabiosis nubere, iuxta uetus illud adagiū, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. GA. Si hoc mihi liceret, quod expediret Reipublicæ, sinerem quidem iungi, sed iunctos exurerem. PE. Tum tu quidem Phalaridem ageres, non principem. GA. An tibi Phalaris uidetur medicus, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totum pereat? Mihi nō uidetur ista crudelitas, sed misericordia. Quod utinam initio nascentis mali fuisset factum. Tum enim paucorum exitio, totius orbis saluti cōsuli poterat. Et huius facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus. PET. At mitius erat illos castrari, ac summoueri.

Id est, simile apud simile.

GA. Fœminis porrò quid faceres? PE. Adderem fibulas. GA. Ita quidem prospectum esset ne ex malis coruis nascantur mala oua: sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis illud esse tutius. Nam pruriunt & execti, nec uno modo transilit malum, sed osculo, sed colloquio, sed cõtactu, sed compotatiuncula serpit ad alios. Et uidemus huic malo fatalem quandã malitiam adiunctam, ut quisquis eo tenetur, uel nullo suo cõmodo, gaudeat quàm plurimis suam affricare scabiẽ. Iam submoti possunt fugere, possunt uel noctu, uel ignotis imponere: à mortuis uerò nihil est periculi. PE. Tutius fateor, sed haud scio, an cõueniat Christianæ mãsuetudini. GA. Dic agè mihi, unde plus periculi, à simplicibus furibus, an ab istis? PE. Fateor pecuniam multò uiliorem bona ualetudine. GA. Et tamen hos Christiani suffigimus in crucem, nec appellatur crudelitas, sed iustitia, & si Rempublicã spectes, pietas est. PE. Verùm ibi plectitur qui damnũ dedit. GA. Hi scilicet lucrum adferunt. Sed demus hoc malum multis nulla sua culpa contractum, quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non conciliarit nequitia. Iureconsulti docent interdum innoxios rectè occidi, si id magnopere interfit Reipublicæ. Quemadmodum Græci post euersam Troiam occiderũt Astyanactem Hectoris filium, ne per illum bellum instauraretur. Nec putant impium, post extinctum tyrannum, & liberos innoxios trucidari. Quid quòd nunquàm non bellamus Christiani, neque tamen nescimus in bellis maximam malorum partem ad eos redire, qui nihil commeruerunt? Idem usu uenit in represalibus, quæ uocant. Qui læsit in tuto est, & spoliatur negotiator,

qui

qui ne factum quidem audiuit, tantum abest ut in culpa fuerit. Quòd si talibus remedijs utimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendum in re omnium atrociſsima? PE. *Vincor ueris.* GA. *Tum illud mihi perpende. Apud Italos ut primùm ſcintillare cœpit peſtilentia, occluduntur ædes: qui laboranti inſeruiunt, ſubmouentur à publico. Hoc quidē appellant inhumanitatem, quum ſumma ſit humanitas. Siquidē hac uigilantia fit, ut paucis funeribus ſopiatur malum. At quanta eſt humanitas tot millium uitæ cōſuli? Sunt qui parum hoſpitale putant, quòd Itali in rumore peſtilentiæ tempore ueſpertino hoſpitem portis ſubmouent, coguntq; ſub dio noctem agere: at pietas eſt, paucorum incommodo, maximo Reipublicæ bono proſpicere. Quidam ſibi ualde fortes uidentur & officioſi, quòd auſint ad quemuis peſtilentia laborantem accedere, etiam ſi nihil illhic habeant negotij. At dum reuerſi domum inficiunt uxores, liberos ac totam familiam, quid ea fortitudine ſtultius, quid officio inofficioſius, ut ſalutes alienum, tibi charißimos in præſens uitæ diſcrimen adducere? Hîc tamē quanto minus eſt periculi à peſtilentia, quam ab hac ſcabie? Rarius afflat propinquos, nec ferè ſenes attingit, & quos attingit, aut citò liberat, aut reſtituit ſanitati, puriores etiā quàm antea fuerant. Hæc quid aliud quàm perpetua mors eſt, uel, ut uerius dicam, ſepultura? Obuoluuntur linteis & unguentis more cadauerum.* PE. *Veriſsima narras. Saltem idem curæ dandum erat huic tam exitiali malo, quod datur leproſis. Aut ſi hoc quoque nimium eſt, nemo barbæ ſyluā patiatur ſibi demeti, aut ſibi quiſq; tonſorem præ-*

ſtet. GA. Quid ſi uterq; claudat os? PE. Affiant naribus malum. GA. Eſt & iſti malo remedium. PE. Quodnam? GA. Vt quod ſolent Alcumici, addant perſonam quæ per uitreas feneſtellas præbeat lumen oculis, ori naribus que reſpirationem, cornu à perſona per axillas in tergũ porrecto. PE. Belle, ſi nihil metuendum eſt à cõtactu digitorum, linteorum, pectinis, & forpicis. GA. Optimum igitur barbam uſque ad genua demittere. PET. Ita uidetur. Deinde fiat edictum ne quis idẽ ſit tonſor & chirurgus. GA. Ad famem relegas tonſores. PET. Minuant ſumptus & aliquãto pluris radant. GA. Eſto. PE. Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune. GA. Iſtam uix recipiat Anglia. PE. Ne'uc duo miſceantur eodem lecto, præter uxorem & maritum. GA. Placet. PE. Adhæc in diuerſorijs ne quis hoſpes indormiat linteis, in quibus alius indormijt. GAB. Quid facies Germanis, qui uix lauant bis in anno? PE. Extimulẽt lotrices. Prætereà tollatur mos quamuis uetuſtus ſalutandi oſculo. GA. Etiam'ne in templis? PE. Tabellæ ſuam quiſque opponat manum. GAB. Quid de colloquio? PE. Vitetur illud Homericum, Αγχιχόων κεφαλήν, & uiciſsim qui auſcultat, comprimat labra. GA. Vix iſtis legibus ſufficerint duodecim tabulæ. PET. Sed quid conſulas interim infelici puellæ? GAB. Quid? niſi ut libenter ſit miſera, quò ſit minus miſera: & ſuauio coniugis opponat manum, tum armata cum illo dormiat. PE. Quò nam hinc properas? GAB. Rectà in muſæum. PE. Quid facturus? GA. Pro Epithalamio, quod poſtulant, ſcripturus Epitaphium.

Id eſt, propè tenens caput. Odyſſ. α.

IMPO

PHI. Salue Liuine. LIV. Saluebo, si uis ita: sed à me tibi caue. Nam est animus imponere tibi nisi caues. PH. Non est admodùm metuendus hostis qui periculum denuntiat. Sed agè, falle si potes. LI. Ecce, iam fefelli, nec sentis adhuc. Iterum caue. PH. Cum præstigiarum, opinor, artifice mihi res est. Nihil enim sentio impostura. LIV. Rursus aduerte mentem tuam ni uelis decipi, sicuti falsus es non semel. PH. Hìc sum, incipe. LI. Iandudũ mihi quod iubes, peractum est. PH. Quid actum, aut quid peractum? Nihil sentio doli. LI. Iam toties admonitus saltem adhibe attentum animum. PH. Nouum præstigiarum genus. Ludor, ut ais, neq; quicquam artis sentio, quum obseruem & oculos, & manus, & linguã tuam. Sed agè rursus incipe. LI. Iterum atq; iterũ incipio atq; adeò toties facio, neq; tu assequeris laqueos. PH. Qua re mihi laqueos tendis? LI. Hæc tibi, inquam, lingua dolos parat, nec auribus sentis, nec oculis uides. Nunc saltem habe attentos oculos & aures. PH. Non possum magis, etiam si de capite ageretur. Sed falle rursum. LI. Iterum ecce fefelli, neq; deprehendis artem. PH. Enecas. Quæso dic quodnã est hoc præstigiarum genus? LIVI. Hactenus sum tibi loquutus carmine, atque adhuc loquor. PH. Nihil minus sensi quam isthuc. LI. Primùm tibi respondi duobus trimetris iambicis. Déinde trochaico tetrametro catalectico. Mox meris creticis sum loquutus. Post hæc Phalecio hendecasyllabo. Déinde meris choriambis. Adhæc meris anapæstis. Rursum tribus Sapphicis. Mox Sotadico: postremo Trochaico

chaico tetrametro. PH. *Deum immortalem, quiduis suspicabar potius, quàm istud. Si uixero, aliquando uicem reponam.* LI. *Huc si quid potes.* PH. *Ecce bis par pari retuli, nec dolum percipis.* LI. *Hui tam citò?* PH. *Minatus sum tibi iambico tetrametro catalectico, mox addidi creticos quinq;.* LI. *Prorsus accidit ut uideo, quod dici solet, Cretẽsis incidit in Cretẽsem.* PH. *Sic est, sed illud precor utriq; nostrum, ne nobis unquàm occurrat impostura nocentior.*

CYCLOPS, *siue* EVANGELIOPHORVS.

POLYPHEMVS, CANNIVS.

CANN. *Quid hîc uenatur Polyphemus?* POL. *Quid uener rogas sine canibus & uenabulo?* CAN. *Fortè nympham aliquam hamadryadem.* PO. *Pulchrè diuinasti. En tibi rete uenatorium.* CA. *Quid ego uideo? Bacchum in exuuio leonis, Polyphemum cum codice?* γαλῆ κροκωτόν. POL. *Non croco tantùm pinxi libellum, sed etiam minio lasurioq;.* CA. *Non loquor de croco, sed Græcè dixi quiddam. Militaris uidetur libellus, nam nodis, laminis & circulis æreis armatus est.* POL. *Introspice.* CA. *Video. Sanè perquàm bellus est, sed nondum ornasti satis.* POLY. *Quid deest?* CA. *Addere debebas tua insignia.* PO. *Quæ?* CAN. *Sileni caput è dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem potaticam?* POL. *Vide ne quam imprudens effutias blasphemiam.* CAN. *Quid igitur? est'ne sacri quippiam?* PO. *Est, quo nihil sacratius. Euangelium.* CAN. ἡράκλεις. *Quid Polyphemo cum, Euangelio?* PO. *Quin ita rogas, quid Christiano cum Christo?* CANN. *Nescio, nisi quòd te talem magis decet halbardacha. Nam si quis mihi ista*

Id est, scili uestimentum.

Id est, Hercules, admirantis interiectio.

specie

ſpecie ignotus occurreret in mari, piratam eſſe crederem: ſi in nemore, ſicariũ. PO. *Atqui hoc ipſum nos docet Euãgelium, ne quem iudicemus iuxta faciem. Quemadmodum enim ſæpenumero ſub tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnunquàm attonſum caput, circuntorta barba, torua ſupercilia, truces oculi, uertex plumam uentilans, ſagum militare, caligæ interſectæ, tegunt Euangelicum animum.* CAN. *Quid ni? nonnunquam & ſub pelle lupina latet ouis, & ſi qua fides apologis, ſub exuuio leonis latet aſinus.* POLY. *Imò ego noui qui ouem geſtat in uertice, uulpem in pectore, cui libens optarim, ut quàm habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamq; probè inauretur, quàm colorem habet inauraturæ congruum.* CAN. *Si ouem geſtat in uertice, qui pileum geſtat ouillum, quàm tu incedis onuſtus, quum ouem ſimul & ſtruthiocamelum geſtes in capite? Tum an non abſurdius facit, qui aucm portat in capite, aſinum in pectore?* PO. *Mordes.* CA. *Sed bellè res habuerit, ſi quàm tu decoraſti uarijs ornamẽtis Euangelium, tam te uiciſſim exornet. Ornaſti coloribus, utinam exornet te bonis moribus.* PO. *Curabitur.* CAN. *Vt ſoles.* PO. *Sed omiſſis conuiciis. Ita'nc damnas eos qui circunferunt codicem Euangelicum?* CA. *Minimè gentium.* PO. *Quid? an tibi uideor minimus gentium, uel aſinino capite te procerior?* CA. *Non arbitror tanto, ſi aſinus arrigat auriculas.* POL. *Certè bubalino.* CA. *Placet collatio, ſed ego minimẽ dixi, non minimẽ.* FO. *Quid intereſt inter ouum & ouum?* CA. *Quid intereſt inter medium digitum & infimum?* PO. *Medius eſt longior.* CA. *Scitè. quid intereſt inter aſininas auricu-*

las

las, & lupinas? PO. Lupinæ sunt breuiores. CA. Rem tenes. PO. At ego longa breuiaq; palmo & ulna metiri soleo, non auribus. CA. Agè, qui Christum gestauit, dictus est Christophorus: tu qui Euangeliū portas, pro Polyphemo dicendus es Euangeliophorus. POL. An sanctum non putas portare Euangelium? CAN. Non, nisi tu fatearis esse sanctißimos asinos. POL. Quî sic? CA. Quia unus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum millibus, nec te crediderim futurum imparē oneri, si probè sis clitellatus. PO. Nihil absurdi sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestauit Christum. CAN. Istam sanctimoniam tibi non inuideo. Et si uis, donabo tibi reliquias illius asini, cui Christus insedit, ut exosculeris. POL. Dabis munus gratißimum. Nam asinus ille contactu corporis Christi cōsecratus est. CA. Sanè Christum cōtigerunt, & qui illi impegerunt alapas. PO. Sed agè dic seriò, non'ne pium est circunferre codicem Euangelicum? CA. Pium, si absit hypocrisis, si uerè id fiat. PO. Abeat hypocrisis ad monachos, quid militi cū hypocrisi? CA. At primum expedi mihi quid sit hypocrisis. PO. Quum aliud præ te fers, quàm lateat in animo. CA. Sed quid præfert circunlatus Euangelij codex? Non'ne uitam Euangelicam? PO. Opinor. CA. Ergo ubi uita non respondet codici, non'ne hypocrisis est? PO. Videtur. Sed quid est uerè codicem Euangelicum circunferre? CAN. Quidam circunferunt manibus quemadmodum Franciscani Franciſci regulam, idem possunt & baiuli Lutetiani, & asini, & cantherij. Sunt qui circunferāt ore, nihil crepantes, nisi Christum & Euangelium, hoc est pharisaicum. Quidam circunferunt animo. Proinde uerè

Christophorus Euangeliophorus.

Hypocrisis.

Circunferre Euangelia.

cir

circunfert, qui & manibus, & ore, & corde portat Euangeliũ. PO. Vbi sunt isti? CA. In templis diaconi, qui portant codicem, pronuntiant populo, & tenent corde. PO. Tametsi nõ omnes sancti sunt, qui animo gestant Euãgelium. CA. Ne mihi sophistam agas. Non gestat animo, nisi qui medullitus amat. Nemo penitus amat, nisi qui moribus exprimit Euangelium. POL. Istas subtilitates non assequor. CA. At dicam crassiore Minerua. Si lagœnã uini Belnensis gestas humeris, quid aliud est quàm onus? PO. Nihil aliud. CA. Si teneas faucibus, ac mox expuas? PO. Haud profuerit, quanquàm id quidem non soleo. CA. Sin ut soles, affatim haurias? PO. Nihil diuinius. CA. Concalescit omne corpus, rubescit facies, hilarescit frons. PO. Prorsus. CA. Tale quiddam est Euangelium in animi uenas demissum, innouat totum hominis habitum. PO. Videor igitur tibi parum Euangelicè uiuere? CA. Istam quæstionẽ nemo te dissoluerit rectius. PO. Si bipenni res agatur. CA. Si quis in os te uocet mendacem aut ganeonem, quid facias? PO. Quid faciam? sentiret pugnos meos. CA. Quid si quis tibi impingat colaphũ? PO. Amputarem illi collum pro colapho. CA. Atqui codex tuus docet, ut pro cõuicio referas benignum sermonem, & feriẽti maxillam dextram porrigas & sinistrã. PO. Legi, sed exciderat. CA. Oras, opinor, frequẽter. PO. Isthuc est Pharisaicũ. CA. Pharisaicũ est prolixè precari, sed fucatè. At tuus codex docet semper orandũ, sed ex animo. PO. Attamẽ oro nonnunquam. CA. Quando? PO. Quum uenit in mentẽ, semel aut bis in hebdomade. CA. Quid tum oras? PO L. Precationem dominicam. CA.

Quo

Quoties? PO. Semel. Nam uetat Euangelium Battologiam eadem iterantem. CAN. Potes attentus absoluere precationem dominicam? POL. Nunquàm id tentatum est. An non satis quòd uoce pronuntio? CA. Nescio, nisi quòd Deus non audit nisi cordis uocem. Crebrò ieiunas? PO. Nunquàm. CA. At tuus codex probat precationem & ieiunium. PO. Probarem & ego, nisi aliud flagitaret uenter. CA. At Paulus negat eos seruire IESV Christo, qui uentri seruiunt. Vescéris carnibus quouis die? POL. Quum datur. CA. Atqui ista gladiatoria laterum firmitas uel fœno arborumq; corticibus poterat ali. POL. Sed Christus dixit non coinquinari hominem his quæ intrant in os. CA. Ita, si modicè, si præter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mauult fame mori, quàm fratrẽ infirmum offendere suo cibo, nos que ad suum hortatur exemplum, ut omnibus per omnia placeamus. PO. Paulus est Paulus, ego sum ego. CA. At Aegonis est capras pascere. PO. Malim esse. CA. Pulchrè tibi precaris, caper citius fies, quàm capra. PO. Esse dixi pro edere. CA. Eleganter. Libenter succurris pauperibus? PO. Non est quod dem. CA. At esset, si sobriè uiuores, si gnauiter laborares. PO. Dulce est otium. CA. Seruas præcepta Dei? PO. Graue est. CA. Agis admissorum pœnitẽtiam? PO. Christus pro nobis dependit. CA. Vnde igitur declaras te amare Euangelium? PO. Dicam. Franciscanus quidam apud nos non desinebat è suggesto deblaterare in Nouum Testamentum Erasmi, conueni hominem priuatim, læuam inieci capillis, dextra pugilem egi, suggillaui illum magnificè, totamq; faciem tuber reddidi. Quid ais? Non

Non est hoc fauere Euangelio? Deinde absolui illum à cõmissis, hoc ipso codice ter in uerticẽ impacto, feciq; tria tubera, In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. CA. Satis quidem Euangelicé. Isthuc nimirum est Euangelium Euangelio defendere. PO. Occurrit alter eiusdem sodalitij, qui nullum neque modum, neq; finem faciebat debacchandi in Erasmum. Accensus Euangelico zelo, minis hominem adegi, ut utroque genu flexo rogaret ueniam, fateretur q; se, quæ dixerat, instigante diabolo dixisse: ni fecisset, iam halbardaca erat in ceruicem uibrata. Vultus erat qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus. CA. Miror hominem non fuisse protinus exanimatum. Sed ut pergamus, Viuis castè? PO. Id fortasse fiet, ubi senuero. Sed uis tibi uerum fatear Canni? CA. Non sum sacerdos, si confiteri libet, alium quære. PO. Deo soleo confiteri, sed tibi fateor me nondum esse perfectum Euangelicũ, sed unum è populo. Habemus quatuor Euangelia. Nos euangelici quatuor res potissimum uenamur, ut uentri bene sit, ne quid desit ijs, quæ sub uentre sunt, tum ut sit unde uiuamus, postremò ut liceat, quod lubet, agere. Hæc si suppetant, inter pocula clamamus, io triumphe, io pæan, uiuit Euangelium, regnat Christus. CA. Ista quidem Epicurea uita est, non Euangelica. PO. Haud inficior. Sed scis Christum omnipotentem esse, potest repentè uertere nos in alios homines. CA. Potest & in sues, quod quidem procliuius arbitror, quàm in bonos uiros. PO. Vtinam non essent peiores in mundo suibus, bubus, asinis, & camelis. Multos uideas leonibus truculentiores, lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus

mordaciores, uiperis nocentiores. CA. *At iam tempus est, ut ex animante bruto in hominem incipias uerti.* PO. *Rectè mones. Nam horum temporum prophetæ dicunt instare supremum mundi diem.* CA. *Tantò magis properandum.* PO. *Expecto Christi manum.* CA. *Vide ut tu manui ceream præbeas materiam. Sed unde colligunt, in propinquo esse mundi finem?* PO. *Quoniã, inquiũt, idem nunc faciunt homines, quod faciebant imminente diluuio, epulantur, potant, comessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, uendunt, fœnerant, & fœnerantur, ædificant: reges belligerantur, sacerdotes student augendis censibus, Theologi nectunt syllogismos, monachi per urbem cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit colloquia: denique nihil malorum abest, fames, sitis, latrocinia, bellum, pestilentia, seditio, rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt adesse finem rerum humanarum?* CA. *Ex hoc malorum aceruo quod tibi est molestissimum?* PO. *Diuina.* CA. *Quòd crumenam tuam obsident arancæ.* PO. *Dispeream nisi rem acu tetigisti. Nunc uenio recẽs à compotatione: aliâs sobrius tecum disputabo, si uoles, de Euangelio.* CA. *Quando te uideo sobrium?* PO. *Quum fuero.* CA. *Quando eris?* PO. *Quum uideris. Interim mi Canni sis felix.* CA. *Tibi uicissim opto, ut sis, quod diceris.* PO. *Ne me uincas officio, precor ne Cannium unquam destituat, unde cognomen sortitus est.*

ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΥΣΑ, siue ABSVRDA.

ANNIVS, ET LEVCIVS.

AN. *Audio te interfuisse nuptijs Pancratij, & Albinæ.* LEV. *Nunquàm antehac infelicius nauigaui, quàm hoc*

tempo

tempore. AN. Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? LE. Nec unquam mihi uilior fuit uita, quàm id temporis. AN. Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci conuenirent, idq; tenues. LE. Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo. AN. Narras Deorum cœtũ. Tot'ne aderant uiri principes, tot matronæ nobiles? LE. Boreas dissecuit uelum, dissectumq; dissipauit. AN. Desponsam noui. Nihil fingi potest uenustius. LE. Mox fluctus reuulsit clauum. ANN. Idem uidetur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, ut aiunt, formæ gratia. LE. Quid animi censes nobis illhic fuisse? AN. Sane rarũ nunc est uirgines nubere. LE. Remigandum nobis erat. AN. Dotem uix credibilem narras. LE. Ecce mox aliud malum. ANN. Quur puellam impuberem commiserunt tam ferociſ LE. Apparuit piratarum nauis. AN. Profectò sic est, in multis nequitia supplet ætatem. LE. Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari, alterum cum prædonibus. AN. Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat fictucam. LE. Quid? cederemus? Imò desperatio uitæ addebat animos. AN. Vereor ne sint steriles nuptiæ, si uera prædicas. LE. Imò iniecimus harpagones. AN. O rem nouam, ante nuptias grauidã? LE. Si spectasses eum conflictum, fatereris me non esse fœminam. AN. Vt audio, coniugium hoc non solùm ratum est, sed etiam consummatum. LE. Insiluimus in nauim piraticam. AN. At demiror te uocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ patrem cõtingo. LEV. Ipsos in mare præcipites dedimus. AN. Vera prædicas, infelicium nulli sunt affines. LE. Quicquid erat

prædæ inter non partiti sumus. ANN. Expostulabo cum puella primo quoq; tempore. LE. Mox exorta est subita tranquillitas, dixisses esse Alcedonia. AN. Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius beneuolentiam. LE. Ita pro una duas naues in portum deduximus. AN. Indignetur qui alit. LE. Quò eam rogas? in templum ueli partem dicaturus diuo Nicolao. AN. Hodie non est liberum mihi. Nam ipse domi conuiuas expecto, aliâs non excusabo.

ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ, siue EMENTITA NOBILITAS.

HARPALVS, NESTORIVS.

HA. Potes me tuo leuare consilio. Senties me hominẽ non immemorem, nec ingratum. NE. Dabo expeditum, ut sis, quod esse uelis. HA. At nobis in manu non est, ut nascamur nobiles. NES. Si non es, enitere bene factis, ut à te initium capiat nobilitas. HA. Perlongum est. NE. Exigua summa tibi uendet Cæsar. HAR. Vulgò ridetur emptitia nobilitas. NEST. Quum nihil sit magis ridiculum, quàm ementita nobilitas, quid est, ut tantopere affectes nomen equitis? HA. Sunt causæ, nec leues, quas tibi non grauabor indicare, si mihi commonstraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem apud uulgus. NE. Nomen absq; re? HA. Atqui quum res abest, proximum est opinio. Sed agè, consule Nestori, ubi causas audieris, fatebere operæpretium. NE. Quando ita uis, dicam. Primùm fac procul te abducas à patria. HA. Memini. NE. Ingere te in conuictum iuuenum uerè nobilium. HA. Intelligo. NE. Hinc primùm orietur suspicio, te talem esse, cum qualibus uictitas. HA. Sic est. NE. Vide ne quid habeas plebeium

beium. HA. Quidnam? NE. De cultu loquor. Ne uestis sit lanea, sed aut serica, aut si deest qui emas, fustania, denique uel canabea potius, quàm pannea. HA. Rectè. NE. Vide ne quid sit integrum, sed dissecta pileum, thoracem, caligas, calceos, ungues si potes, ne ue quicquam humile loquaris. Si quis ex Hispania ueniat hospes, roga quomodo conueniat Cæsari cum Pontifice, quid agat affinis tuus comes d' Nassauen, quid cæteri congerrones tui. HA. Fiet. NE. Sit anulus in digito cum gemma signatoria. HA. Si quidem loculi ferant. NE. At paruo constat anulus æreus inauratus cum gemma factitia. Sed adde clypeum cum insignibus. HAR. Quænam mihi suades deligam? NE. Duo mulctra si uelis, & cantharum ceruisiarium. HA. Ludis, agè dic serio. NE. Nunquam fuisti in bello? HA. Ne uidi quidem. NE. Et interim, opinor, decollasti anseres & capos rusticorum. HA. Persæpe, & quidem fortiter. NES. Pone machæram argenteam, tria anserum capita aurea. HA. In quo sõlo? NE. Quo? nisi sanguinolento, monumentum fortiter effusi cruoris. HA. Quid ni? rubet sanguis anserinus æquè atque humanus. Sed perge obsecro. NE. Hunc igitur clypeum pro foribus omnium diuersoriorum, in quibus fortè uersatus es, affigendum curato. HA. Quid addetur galeæ? NE. Rectè submones. Eam facies ore dissecto. HAR. Quam ob rem? NE. Vt spires, déinde ut cõgruat uestitui. In uertice quid eminebit? HA. Expecto. NE. Caput canis demissis auribus. HAR. Vulgatum est. NES. Adde duo cornua: rarum hoc est. HA. Placet. Sed quæ bestiæ sustinebunt clypeum? NE. Ceruos, canes, dracones, gryphes occuparunt prin-

cipes, tu ponito duas harpyias. HA. Optimè consulis. NE. Restat cognomen. Hic illud in primis cauendum, ne plebeio more te patiaris uocari Harpalum Comensem: sed Harpalum à Como: hoc enim nobilium est, illud sordidorum Theologorum. HAR. Sic memini. NE. Habes'ne quicquam, cuius te possis appellare dominum? HAR. Ne haram quidem. NE. In urbe celebri natus es? HA. In obscuro pago. Non enim fas est ei mentiri unde petis medicinam. NE. Rectè est. Sed ei pago nullus est uicinus mons? HA. Est. NE. Et habet alicunde rupem? HA. Habet præruptam. NES. Ergo sis Harpalus eques ab aurea rupe. HA. Atqui mos est magnatum, ut suum quisq; symbolum habeat uocale, quemadmodum Maximilianus habebat, Tene mensuram: Philippus, Qui uolet: Carolus, Vlterius. Item alius aliud. NE. Tu ascribito, omnis iacta sit alea. HA. Næ tu percommodè dicis. NE. Iam quò firmior sit hominum opinio, fingito literas à magnatibus ad te missas, in quibus identidem appelleris eques clarissimus, magnarumq; rerum fiat mentio, de feudis, de arcibus, de multis florenorum millibus, de præfecturis, de matrimonio opulento. Curabis ut huiusmodi literæ tibi uelut elapsæ, aut per obliuionem relictæ ueniant ad aliorũ manus. HA. Istud quidem erit mihi commodum: Nam & literas noui, & hanc facultatem multò usu paraui, ut cuiusuis manum facilè effingam. NE. Interdum insue uesti, aut relinque in crumena, ut quibus farciendi negotium dederis, illi reperiant. Illi non silebunt, & tu simulac resciueris, compones uultum ad iracundiam ac mœstitiam, quasi doleat casus. HAR. Et isthuc iampridem meditatus sum, ut faciem

tam

tam facilè mutem, quàm personam. NE. Ita fiet, ut nec fucus suboleat, & res cum fide spargatur. HA. Curabitur sedulò. NES. Deinde sodales aliquot asciscendi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes mi loncherum appellent. Nec est, quod hic sumptũ metuas. Sunt plurimi iuuenes, qui uel gratis cupiant hanc agere fabulam. Adde huc, quòd hæc regio scatet iuuenibus eruditulis, qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicam scabie. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non audentes, si spes quæstus affulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te prædicent patriæ procerem, idq; subinde repetatur literis maiusculis. Hac uia uel in Bohemia celebrabunt procerem patriæ. Et citius enim & latius discurrunt libelli, quàm uoces, aut quamlibet loquaces famuli. HA. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. NE. Sunt, at non ales famulos ἀχρήους, & ob id ἀχρήυς Mittantur huc, & illhuc, inueniẽt aliquid. Scis uarias esse talium rerum occasiones. HARP. Desine. Teneo rem. NES. Supersunt artes. HARP. Aueo scire. NE. Ni sis bonus aleator, probus chartarius, scortator improbus, potator strenuus, profusor audax, decoctor & conflator æris alieni, deinde scabie ornatus Gallica, uix quisquam te credet equitem. HA. In istis quidem iam pridem exercitatus sum. Sed unde sumptus? NE. Mane, isthuc ibam. Est tibi patrimonium? HAR. Perpusillum. NE. Postquàm apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facilè reperies fatuos qui tibi credant, quosdam etiam pudebit negare, quidam metuent. Iam ut ludas creditores, mille sunt artes. HARP. Earum quidem rudis non sum. Sed tandem ur-

ἀχρέους, sine manibus: ἀχρεῖοι, inutiles.

gebunt, ubi perspexerint nihil esse nisi uerba. NES. Imò nulla est commodior ad regnum uia, quàm debere quàm plurimis. HA. Qui sic? NE. Primum creditor obseruat te non aliter quam obligatus magno beneficio, uereturq; ne quam præbeat ansam amittendæ pecuniæ. Seruos nemo magis habet obnoxios, quàm debitor suos creditores, quibus si quid aliquando reddas, gratius est, quàm si dono dones. HA. Animaduerti. NE. Illud tamen caueto, ne cum tenuibus habeas commercium. Nam hi ob paruulam summulã ingẽtes excitant tragœdias. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna, cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus, norunt, quid possint equites. Postremò quum inundauerit æris alieni magnitudo, fictis causis aliò demigra, atque inde rursus alió. Nec est, quod huius rei te pudeat. Nulli magis obærati sunt, quàm magni principes. Si quis rusticus urgeat, finge offensum improbitate animum. Interdum tamen aliquid reddito, uerum nec totum, nec omnibus. Illud ubique curandum, ne cui suboleat tibi prorsus exhaustos loculos. Semper ostenta. HAR. Quid ostentet, qui non habet? NE. Si quid amicus apud te deposuit, ostenta pro tuo, sed artem dissimula: cura, ut casus uideatur. In hunc usum interdum sumito pecuniam commodato, quam mox reddas. Ex loculo nummis æreis distẽto, profer aureos duos ibi sepositos. Cætera ex teipso conijcito. HA. Intelligo. At tandem obruar oportet ære alieno. NE. Scis quantum apud nos liceat equitibus. HA. Nihil non, & quidem impune. NE. Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator, quem obuium spoliẽt. Reperient

rient aliquid in diuersorijs, aut in ædibus, aut in nauibus incustoditum. Teneſ? Meminerint non fruſtra datos homini digitos. HARP. Siquidem tutò. NES. Cura ut habeas pulchrè uestitos cum insignibus. Cõmitte literas fictitias ad summates. Si quid clam sustulerint, nullus audebit illos insimulare, etiam si quid suspicentur, timebunt equitem dominum: sin ui prædam extorserint, bellum uocabitur. His progymnasmatibus ad bellum præluditur. HARP. Ô felix consilium. NEST. Iam illud equestre dogma semper erit tuendum, ius, fasq; esse equiti, plebeium uiatorem exonerare pecunia. Quid enim indignius, quàm ignobilem negotiatorem abundare nummis, quum interim eques non habeat, quod impendat scortis & aleæ? Fac semper te adiungas magnatibus, uel ingeras potius, ne quid pudeat, perfricanda frons est, sed præsertim hospitibus, eoq; præstat in celebri quopiam loco uitam agere, puta in thermis, frequentibus diuersorijs. HARPA. Isthuc ipsum erat in animo. NESTOR. Hîc sæpenumero fortuna prædam obijcit. HARPAL. Quî rogo? NESTOR. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus reliquit clauim in sera promptuarij. Cætera teneſ. HARPAL. At. NESTOR. Quid metuis? de sic culto, de tam magnificè loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et si quis fortè tam improbus extiterit, quis erit tam audax, ut te appellet? Interim suspicio deriuabitur in aliquem hospitum, qui pridie discesserint. Turbabuntur famulicia cum Pandocheo. Tu tranquillus tuam personam agito. Hoc si acciderit homini modesto, cordatoq;, silebit, ne simul cum damno

lucrificiat pudorem, qui rem suam indiligenter seruauerit. HARP. Non absurdè dicis. Nam nosti, opinor, comitem à uulture albo. NEST. Quid ni? HARP. Apud hunc diuersatus est, ut accepi, Hispanus quidam, specie, cultuq; sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos, nec unquam comes ausus est queri. Tanta erat hominis maiestas. NEST. Habes exemplum, E' famulis tuis interdum aliquem emandes, in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasterijs quibuslibet, redibit onustus præda bello parta. HARPAL. Hoc quidem est tutissimum. NEST. Est & alia ratio conflandæ pecuniæ. HARPAL. Narra, obsecro. NEST. In bene nummatos finge causas irarum, præsertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud omnes ferè summa laborant inuidia. Alius irriserit, aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorificè de te sit loquutus, alius scripserit aliquid, quod in calumniam detorqueri ualeat. His per feciales tuos ἀσωνδον πόλεμον denuntia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, πανωλεθρίας meras: territi uenient ad componendum litem. Ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, ut æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre, quàm ducentos aureos. HARP. Alijs minitabor leges. NEST. Istud propius quidem excedit ad sycophanticam, sed tamen iuuat & hoc in partem. Sed heus Harpale, pene exciderat, quod dictum in primis oportuit, puella quæpiam bene dotata in matrimonij nassam illaqueanda est. Habes apud te philtrum, iuuenis es, candidus es, lepidus nugator es, rides blandum. Sparge te magnis promissis ascitum in aulam

Id est, Inconfœderabile bellũ. πανωλ. strages.

Cesaris.

Cæsaris. Amant puellæ Satrapis nubere. HA. Noui quibus hoc bene cesserit. Cæterùm quid si fucus tandem erumpat, & insiliant undique creditores? Irridebor personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quàm si templum sacrilegio spolies. NEST. Hic oportet meminisse perfrictæ frontis. Illud in primis, quòd nullis unquam temporibus magis licuit audacia pro sapientia uti, quàm hodie. Comminiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquàm deerunt candidi, qui faucant tuæ fabulæ, nonnulli ciuiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremò si nihil aliud, profugiendum est aliquò in bellum, in tumultum. Quemadmodum κλύζει θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ, ita bellum operit omnium scelerum sentinam. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tyrocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum asylum, si cuncta fefellerint. Verùm omnis mouendus erit tibi lapis, ne huc ueniatur. Vide ne te securitas opprimat, oppidula minuta fuge, in quibus ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus ciuitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit Massiliæ similis. Dissimulanter expiscare, quid quisque de te loquatur. Vbi senseris huiusmodi uoces increbrescere, Quid agit? quur hic tot annos moratur? quur non reuisit patriam? quur negligit arces suas? unde ducit imagines? unde tantæ profusioni facultates? Hoc genus inquam uoces, ubi cœperint magis ac magis gliscere, tum maturè tibi de migrando cogitandum est, sed sit fuga leonina, non leporina. Adsimula te uocari in aulam Cæsaris ad res magnas, breuiter adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem

Id est, prolatis mare omnia hominum mala.

hiscere,

hiſcere, quibus eſt quod nolint amittere. Sed in primis tibi cenſeo cauendum genus iſtud hominum poëticum, iritabile, nigrumq;. Illinunt chartis, ſi quid illos habet malè, ſubitoq; per orbem ſpargitur quicquid ill cuerint. HA. Diſpeream, ni mihi uehementer placet tuum conſilium. Efficiam, ut intelligas te nactum docile ingenium, & iuuenem minimè ingratũ. Equum quem primum te dignum nactus in paſcuis fuero, tibi dono mittam. NE. Nunc ſupereſt, ut quod pollicitus es, uicißim præſtes. Quid eſt, quur tantopere affectes falſam opinionem nobilitatis? HA. Nullam aliam ob cauſam, niſi quòd his omnia licent impune. An hoc tibi leue uidetur momentum? NE. Vt peßimè cedat, mors una debetur naturæ, etiamſi uixiſſes in Carthuſia. Et leuius moriuntur in rota, quàm qui moriuntur calculo, podagra, aut paralyſi. Nam militare eſt, credere nihil hominis ſupereſſe poſt mortem, præter cadauer. HA. Sic opinor.

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ, ſiue TALORVM LVSVS.

CAROLVS, QVIRINVS.

QVI. Diſce, inquit Cato, ſed à doctis. Cupio itaque mi Vtenhoui, te magiſtro, diſcere quam ob rem priſci illi religionis antiſtites edixerint, ut clerici talaribus tunicis uterentur: hoc eſt, uſq; ad talos demißis. CA. Duabus, opinor, de cauſis. Primum uerecundiæ gratia, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus uſque ad imos pedes corpus tegit, neque ſubligaribus aut femoralibus uulgò utebantur. Eadem de cauſa, turpe eſt fœminis breuioribus uti

uti ueſtimentis, quò magis conſultum ſit ſexus pudori. Deinde ut non ſolum moribus, uerùm etiam habitu differrent à populo, in quo ut quiſque eſt prophaniſſimus, ita breuiſſimis tunicis uti gaudet. QVI. *Non diſſimile ueri eſt quod narras.* Cæterùm *ex Ariſtotele, Plinioq; didici, nulli hominum eſſe talos, ſed tantùm quadrupedibus, non tamen omnibus, ſed biſulcis pleriſq;, nec rurſus his niſi in tibijs poſterioribus. Vnde igitur ueſtis dici talaris poteſt, quam geſtat homo, niſi fuerunt homines olim quadrupedes, iuxta fabulam Ariſtophanis?* CA. *Imò ſi credimus Oedipo, & quadrupedes, & tripedes, & bipedes inueniuntur homines, nec rarò nobis è bello redeunt unipedes, interdum apodes: ſed quod ad tali uocabulum attinet, rectius mireris, ſi legas Horatium, qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim, opinor, ſcribit in Arte poëtica:*

Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.

QVI. *Poëtis licet, ut libet, loqui: apud quos Tmolus habet aures, & naues loquuntur, & ſaltant quercus.* CA. *Quin & Ariſtoteles tuus hoc te docere poterat, eſſe talos dimidiatos, quos ille uocat ἡμιασφαγάλους, quales tradit eſſe lyncum generi. Addit leonibus ineſſe quiddam uice tali, ſed anfractuoſum, quod ille uocat λαξυγνώδη, Plinius uertit tortuoſum. Denique ubicunque committuntur oſſa oſſibus ad flexus commoditatem, caua prominentibus inter ſe reſpondent, utrinque lubrica cartilagine communitis, ac uelut incruſtatis partibus, ne mutuo attritu ſeſe lædant, ut idem docet Ariſtoteles. In his ferè eſt aliquid quod à tali ſimilitudine pariter & uſu non diſcrepat, uelut in ima tibia iuxta calcaneum,*

caneum, ubi totius pedis flexus est, prominet quiddam talo simile, quod Græci σφυρὸν appellant. Rursus in flexura genu, quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidam uertebrum. Simile quiddam uidemus in coxendicibus, in humeris: postremò in commissuris digitorum pedis, ac manus. Quod ne tibi mirum uideatur, Græci tradunt ἀστραγάλῳ uocabulum apud probatos autores tributum etiã ossibus, quibus spina connectitur, præsertim in ceruice. Citant enim hoc carmen:

Id est, ceruix mihi fracta est ex nodis.

Ἐκλέλυσαι οὖν χὴν ἀστραγάλων ἰάγη.

Quoniam autem Aristoteles tradit priores tibias animanti datas ad celeritatem, & ob id carere talis, posteriores ad stabilitatem, quòd in eam partem uergat pondus corporis, quemadmodum ad robur ijs, quæ calcibus feriunt. Flaccus dum significare uult fabulam non ejectam, sed ad finem usque peractam, dicit, illam stetisse fixo talo: nec aliter tribuit fabulæ talum, quàm nos libro tribuimus calcem, & uolumini umbilicum. QVIRIN. Næ tu probè grammaticum agis. CARO. At quò magis id credas, Græci literatores ἀστράγαλον dici uolunt ἀ στρέφω, & ἀ, particula priuatiua, quòd minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquàm alij malunt ἀστράγαλον interiecta litera ρ, dictum pro ἀσάγαλον, quòd lubrica uolubilitate stare nesciat. QVI. Ad istum modum licet plura diuinare. Simplicius erat dicere, nescio. CARO. Non usqueadeò uidebitur absurda diuinatio, si cogites, quantam habeat caliginem uocum primitiua origo, tum in re nullam esse contrarietatem, quod apparebit, si propius inspicias. Volubilis est talus, sed ita uolubilis, ut eam

partem

partem cui innectitur, reddat ad standum firmiorem, deinde os ossi connectit, ne facilè luxari queat. Q VI. Tu uel sophistam agere possis, quantum uideo, si libeat. C A. Sed nihil est Talesi, quod nos torqueat etymologia uocis. Nam quod hodie Græci uocant ἀστραγαλους, prisci quorum est Callimachus, dixerunt, ἄστριους, cuius hoc refertur hemistichium, Δίκα δ' ἄστρια ἄννυτο λύτρον. unde quemadmodum ἀστραγαλίζειν, ita & ἀστριζειν dicebant talis ludere. Q VIR. Quale est igitur illud, quod proprie talum uocant? C A. Est id quo nunc ludunt puellæ, olim puerorum erat lusus, quemadmodum nuces. De quo est illud Græcorum, Αμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς, quum iram leui de causa susceptam indicant. Rursus Horat. in Odis: Nec regna uini sortiere talis. Item in Sermonibus: Te talos Aule, nuces q; &c. Postremò dictum illud Lacedæmonij, ni fallor, Pueros esse fallendos talis, uiros iureiurando. Hunc talum negant in ullo animante inueniri, quod sit μόνυχος, hoc est, ungula solida, excepto asino Indico unicorno: aut quod sit πολυχηλὸς, hoc est pede in multos digitos, ungulas ue fisso, quod genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo, & auis, aliaq; permulta. Quæ uerò δίχηλα sunt, hoc est, ungula bisulca, pleraq; talum habent, idq; ut rectè dicebas, in posterioribus cruribus. Vni homini duplici de causa tali non sunt, primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. Q VIRI. Ista frequenter audiui. Cæterum peruelim mihi situm, ac formam tali describi. Nam istud lusus genus etiam puellis hodie fastiditum est, sed aleam, chartas, aliosq; masculos lusus affectãt. C A R O L. Non mirum, quum affectent & Theologiam.

Id est, propter talos iratus.

Verùm

Verùm etiamsi mathematicus sim aut pictor, aut etiam plastes, non possim tibi melius tali formam exhibere, quàm ipso talo, nisi mauis, ut tibi describam per literas, ut illi solent. Q. V. Habesne talum? C. A. En tibi ouillum ex dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera, quum in cubo, & alea, seu tessera sint sex, in ambitu quatuor, in summo, & imo duo. Q. V. Sic est. C. A. In talo, quoniam summa pars & ima curuatur, non sunt nisi quatuor latera, quorum unum uides uelut in dorsum intumescere. Q. V. Video. C. A. Quod est è regione, cauum habere. Illud Aristoteles uocat προνὲς, id est pronũ, hoc ὕπτιον, id est, supinum. Velut in congressu uxoris & mariti, quum dant operam liberis, mulier supina est, uir pronus: & manus si uola spectet terram, prona est: si inuertas, supina. Quanquam oratores, & poëtæ nonnunquam his uerbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet. Q. VI. Isthuc quidem eleganter oculis subiecisti. Inter reliqua duo latera quid est discrimi nis? C. A. Alterum modicè cauatum est, ut oßi cui innectitur, congruat: alterum propè modum nihil habet concaui, minusque armatum est cartilaginea tunica, sed tantùm neruo, & pelle tegitur. Q. VI. Video. C. A. Pronum latus nihil habet neruorum, sed supinæ partis concauo adhæret neruus, quemadmodum dextri lateris summo: læui, imo. Q. V. Pulchrè narras, sed unde dignoscam dextrum à sinistro? C. A. Rectè admones. Nam perperam docui, nisi dextri cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulq; , quod uolebas, situm indicabo. Talus est in ipsa suffragine crucis infra coxam. Q. V. Complures arbitrantur iuxta pedem esse. C. A. Errant. Is qui propriè

dicitur

dicitur talus, est in suffraginibus, quas Græci κάμπας uocant, sed crurum, ut dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu, tibia est. Q v. Sic opinor. C A. Post genu κάμπη. Q v. Assentior. C A. Nam qui flexus est homini in brachijs, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus, simiam excipio semihominem. Itaque quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachijs. Q v. Animaduerto. C A. Itaque flexus flexui respondet. Q v. Illud dicis crurum posteriorum & priorum. C A. Tenes. In ea igitur suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat talus erectus, quum stat quadrupes, cuius summa & ima pars leniter incuruatur, quanquàm non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, quas Aristoteles appellat κεραίας, Theodorus uertit antennas, iuxta quas se submittit pronum latus: ima tale nihil habet. Q v. Planè uideo. C A. Illud ergo latus quod spectat tibias priores, Aristoteles uocat supinum: quod illi aduersum est, pronum. Rursum sunt duo latera, quorum alterum intus spectat tibiam posteriorem, puta læuam aut dextram, alterum spectat foras. Quod intorsum spectat, Aristoteles appellant κῶλεν: quod foras, ἰσχίον. Q v. Prorsus oculis rem uideo. Iam superest ut nobis indices, quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui lusus nostra memoria dicitur in usu fuisse, nihil conuenit cum ijs, quæ comperimus apud priscos autores de hoc ludendi genere. C A. Ac sanè fieri potest, ut quemadmodum hodie chartis ac tesseris ad uarias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud ueteres talis lusitandi ratio. Q v. Probabile est, quod dicis. C A. Theodorus

Gaza, siue, ut alij malunt appellare, Thessalonicensis, uertens Aristotelis librum de Historia animalium secundum, ait tali latus quod foras transuersum spectat, Canem uocari: quod introrsum ad alterum crus, Venerem. Cæterùm hoc quidem de suo addidit. Nam Aristoteles hæc tantùm ponit: Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον ἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐσραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δ' ἰσχία καλεύμενα ἔξω, καὶ τὰς κεφάλας ἄνω. Cæterùm quando constat ab alijs, Veneris iactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus est qui summam faciem habet cum alio congruentem, demiror quid sequutus Theodorus, unũ latus appellet Venerem. Erasmus noster, quem communem habemus amicum, huiusmodi obseruationum non admodùm curiosus, in Prouerbijs aliquot ex autoritate ueterum indicat quædam de ludo talorum: uelut in prouerbio, Non Chius, sed Cous: refert Coum & Senionem eundem esse quem Græci ἑξίτηρι dicunt. Idem tradit in prouerbio, Chius ad Coum, addens Chium eundem esse cum Cane: Coi iactum fuisse felicem, Canis infelicem, teste Persio:

Quid dexter senio ferret,
Scire erat in uotis, damnosa canicula quantum
Raderet. Itidem Propertius:
Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouidius libro de Trist. 11. damnosos Canes appellat. Addit ex Martiale, Senionem uideri per se felicem: cæterùm infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Iam Veneris iactum esse ut rarum, ita felicissimum indicat Martialis in apophoretis;

Id est, pronum quidem foras, intro supinum: & cola dicta esse latera quæ intus uertũtur: quę uero foras, ischia. Deniq; superiores partes à cornibus ceræas appellasti,

Quum

Quum steterit uultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tot autem talis ludebatur, quot quisq; habet latera. Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propius ad ludendi rationem facit, quod scribit Suetonius in Octauio Augusto, recitans ex illius quadam ad Tiberium epistola hæc: Inter cœnam lusimus γρονιχῶς & heri & hodie. Talis enim iactatis ut quisq; canem aut senionẽ miserat, in singulos talos singulos denarios in medium cõferebat, quos tollebat uniuersos qui Venerem iecerat. Q V. Docuisti felicissimum esse iactum, quum omnes tali quatuor ostenderint diuersum latus, quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissimus est, qui dicitur Midas: at nondũ declarasti hunc iactum dici Venerẽ. C A. Illud expediet tibi Lucianus, ita loquẽs in Cupidinibus: Καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκηπῦ, μάλιστα δὲ ἅπαντα τὰ θεὸν οὐτὼ δύβολήσδε, μηδενὸς ἀσραγάλε πε σύντ Θ· ἴσῳ χήματι προσκύνει τῆς ἐπιθυμίας τέυξεσθ νομίζων. Loquitur enim illhic de Venere. Q V. Si falsus est Theodorus, duo tantũ latera suis uocabulis designãtur. C A. Fortassis alicuius autoritatem ille secutus est, quæ nos fugit: quod apud autores compertum est, adferimus in medium. Nam sunt qui meminerũt de numero Stesichorio in talis, quem putant ogdoadem esse: item de Euripideo, qui continebat quadraginta. Q V. Restat ut lusus leges præscribas. C A. Non arbitror pueros iisdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octauius. Nec probabile est, hoc ludẽdi genus quod cõmemorat, fuisse publicũ. Id si fuisset, satis erat dixisse, Inter cœnã lusimus talis. Sed mihi subindicare uidetur nouã ludendi cõditionẽ inter illos repertã, uelut

Id est, seniliter.

aptum senibus, minimeq; torquentem animos solicita cogitatione, quemadmodum faciunt hodie complures lusus, ut leuius sit intendere studijs. Q v. Profer, obsecro te, reliquos talos ut experiamur. C A. Sed deest nobis turricula uoluendis talis, deinde tabula. Q v. Sufficerit hæc mensa ad qualecunque specimen exhibendum. Pro turricula sufficerit cyathus aut pilcum. C A. Imò complexus cauarum manuum. Iactus sæpius ostendit supinam partem, quàm pronam: & pronam sæpius, quàm senionem, aut canem. Q v. Videtur. C A. Si inter quatuor talos extiterit unus canis, expones nummum: si duo, duos: si tres, tres: si quatuor, quatuor. Item quoties icceris senionem, toties recipies unum è nummis. Q v. Quid si senionem cum cane? C A. Si uis, uterq; nummum addet: neuter tollet: cui primum obtigerit Venus, is auferet aceruum. Q v. Quid si talus ostendat partem supinam aut pronam? C A. Is iactus erit irritus, & aut tu iactum repetes, aut iaciendi ius ad me deuoluetur. Q v. Placet deuolutio. C A. Nunc appone sortem. Q v. Experiamur absque periculo. C A. Vis tu tantam artem discere gratis? Q v. Verum impar certamẽ est inter artificem & rudem. C A. Atqui spes lucri, & damni metus reddit te attẽtiorem. Q v. Quanti certabimus? C A. Si uis citò ditescere, centum ducatis. Q v. Vtinam sint, quos deponam. Tutius est paulatim ditescere. En tibi solidum assem. C A. Agè, addemus pusillum pusillo, quemadmodum monet Hesiodus, sic quoque fiet ingens aceruus. Conuolue ac mitte. Felix auspiciũ, canem habes, appone nummum, & posthac agnosce damnosum latus. Da talos. Q v. Felicius auspicium

ſpicium, treis habes canes, appone. CA. *Inſidiatur tibi fortuna. Mitte, ſed circunuolutos ô bone. Labor irritus, pronum habes & ſupinum. Succedo, trade talos.* QV. *O factum bene, rurſum tres uideo canes.* CA. Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. *Illectat inquam te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus ſum. At mea ſententia ſecus luſit Octauius.* QV. *Quo modo?* CA. *Qui canem iecerat, apponebat denarium, ut diximus: qui ſenionem, nihil quidem auferebat, ſed alter ponebat.* QV. *Quid ſi plures ſeniones exiſſent?* CA. *Totidē nummos alter addebat. Bene cumulatum accruum ſemel tollebat Venus. Et illud addas licebit. Cui nec ſenio obtigerit, nec canis, nihil aliud quàm mittendi uicem perdet.* QV. *Nō recuſo.* CA. *Mihi uidetur & hoc elegantius, ſi tertio quiſq; iactu defungatur qui talos tenet, et mox alteri tradat uices.* QV. *Placet, ſed quota Venus finiet ludum?* CA. *Tertia, ſi uidetur. Deinceps liberū erit de integro paciſci. Siquidē tum rarò, tum paucis fauet Venus. Nūc aggrediamur bonis auibus.* QV. *Fiat, ſed præſtat occludere fores, ne noſtræ culinæ regina uideat nos puerorū more ineptientes.* CA. *Imo ſeniliter potius. Adeo'ne loquacem habes famulam?* QV. *Tam futilem, ut ſi deſint homines quibus narret quicquid domi geritur, longo ſermone gallinis narret ac felibus.* CA. *Heus puer, claude oſtium & obde peſſulum, ne quis ſubitus interueniat ſpectator, quò liceat ad ſatietatem uſque ludere.*

Id eſt, ne ante uictoriā encomium.

SENATVLVS, siue ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ.

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, IVLIA, CATARINA.

CO. *Quod felix faustumq; sit huic ordini, totiq; Reipub. fœmineæ, & frequentes hodie conuenistis & alacres, unde spem optimam concipio futurum, ut Deus propitius cuique ea suggerat in animum, quæ ad communem omniam & dignitatem, & utilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris decesserit, quòd quum uiri quotidianis conuentibus suum agant negotium, nos cõlo telæque assidentes causam nostram deserimus. Itaque res huc deuenit, ut nec inter nos sit ulla Reipublicæ disciplina, & uiri nos penè pro delectamẽtis habeant, uixq; hominis uocabulo dignentur. Quòd si quâ cœpimus, pergamus, diuinate uos ipsæ, quò tandem res sit euasura: uereor enim uerba sinistri ominis eloqui. Vt dignitatem nostram negligamus, certè incolumitas de-*

Prouerb. 11. *bet esse curæ. At sapiẽtissimus ille rex scriptum reliquit, Ibi demum esse salutem, ubi multa consilia. Habent episcopi suas synodos, habent monachorum greges sua conciliabula, habent milites suas stationes, habent fures suæ conuenticula: denique habet & formicarum genus suos congressus. Solæ omnium animantiũ mulieres nunquam coimus.* MA. *Sæpius quàm decet.* CO. *Nondum interloquendi tempus est. Sinite me perorare, dabitur singulis dicendi locus. Neque nouum est quod facimus, uetus exemplum reuocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus Cæsar laudatissimus.* PE.

Quî laudatißimus, quem unco tractum in cloacam proiectum esse constat? CO. Rursus interpellor. Si quem hac ratione probamus aut improbamus, malum dicemus Christum, quòd in crucem suffixus sit: pium Domitium, quòd domi sit mortuus: Atqui nihil obijcitur Heliogabalo atrocius, quàm quòd sacrum ignem, qui à Vestalibus seruabatur, in terram abiecerit, quodq; domi in larario Mosen habuerit & Christum, quem illi contumeliæ causa Chrestum uocabant. Is igitur Heliogabalus instituit, ut quemadmodum Imperator cum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret: ita haberet & mater illius Augusta senatum suum, in quo de fœmineæ gentis negotijs tractaretur, quem uiri uel iocandi, uel discernendi gratia, Senatulum uocabant. Hoc exemplum tot iam seculis intermissum, res ipsa iandudum monet nos instaurare. Nec ullam moueat, quòd Paulus apostolus uetat mulierem loqui in cœtu, quam ille uocat ecclesiam: de cœtu uirorum loquitur, hic cœtus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erat fœminis, in quem usum natura dedit nobis & linguas non minus expeditas, quàm sunt uirorum, & uocem non minus sonoramẽ quanquàm illi sonant raucius, ac propius referunt asinos, quàm nos. Verùm illud oportet nobis omnibus esse curæ, ut ea grauitate tractemus hoc negotium, ne rursus uiri Senatulum appellent: aut fortasse probrosius aliquod nomen excogitetur, ut solent in nos libenter esse dicaces. Quanquàm si liceat illorum comitia ueris æstimare, plus quàm muliebria uideri possint. Videmus monarchas tot iam annis nihil aliud quàm belligerari: inter Theo-

logos, sacerdotes, episcopos, & populum nihil conuenire: quot homines, tot sentẽtiæ, & in his ipsis plus quàm muliebris est inconstantia. Nec ciuitati cum ciuitate, nec uicino cum uicino concordia est. Si nobis essent traditæ rerum habenæ, aliquantò, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis proceribus tribuere stultitiã: at fas est, opinor, recitare quod scripsit Solomon Prouerbiorum capite decimotertio: Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Sed ne uos longiore morer proœmio, uti singula gerantur ordine, decenter & sine tumultu, primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse concilio, quæ submouendæ sint. Nam immodica turba, tumultus est uerius, quàm concilium: & paucorum consessus habet quiddam tyrannicum. Huc ego censeo nullam recipiendam uirginem, eò quòd incident permulta, quæ non decet illas audire. IV. *At quo signo dignoscas uirgines? An pro uirginibus habebuntur, quæcunque coronam gestant?* CO. *Non. At nuptas tantum recipiendas censeo.* IVL. *Et inter nuptas uirgines sunt, quæ maritos habent eunuchos.* CO. *Sed tribuatur hoc honoris coniugio, ut nuptæ pro mulieribus habeantur.* IV. *Alioqui si non excludimus nisi uirgines, erit immensa turba, nec multùm decresset numero.* CO. *Excludentur & plus quàm ter nuptæ.* IV. *Quamobrem?* CO. *Quoniam illis uelut emeritis debetur missio. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum nequa nominatim de uiro suo loquatur petulantius, in genere fas sit, sed ea moderatione, ne quid nimis.* CA.

Qui

Quî minus hîc liberè de uiris liceat dicere, quum ipsi de nobis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando studet esse conuiua festiuior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim, neque raro multa solet affingere. C O. *Si uelimus fateri uerum, nostra dignitas pendet à uiris: eos si traducimus, quid aliud quàm nos ipsas dehonestamus? Quanquàm autem habemus non paucas iustæ querimoniæ causas, tamen expensa rerum omnium summa, nostra potior est, quàm illorum conditio. Illi dum quærunt rem, per omnes terras ac maria uolitant, non sine capitis discrimine: illi si bellum incidat, excitantur buccina, ferrei stant in acie, dum nos domi sedemus tutæ. Si quid committunt aduersus leges, grauius in illos animaduertitur, nostro sexui parcitur. Deniq; magna ex parte in nobis situm est, ut commodos habeamus maritos. Restat ut de consessus ordine statuatur, ne nobis eueniat, quod frequenter usu uenit regum, principum ac pontificum oratoribus, qui in concilijs totos tres menses litigant antè, quàm possint considere. Itaq; censeo primum esse debere nobilium ordinem, & in his præcedent quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ quæ tres: deinde quæ duas: postremæ quæ unam: postremò, quæ dimidiatam. Et in singulis ordinibus locus ex antiquitate designabitur. Nothæ in suo quoque ordine extremum tenebunt locum. Alter consessus erit plebeiarum. In hoc primas tenebunt quæ copiosiorem sobolem enixæ sunt. Inter pares, litem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt.* C A. *Quò mittis uiduas?* C O. *Commodè mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si*

modò liberos habent, habuerint'ue. Steriles extremum obtinebunt locum. IV. Quem locum designas sacerdotum ac monachorum uxoribus? CO. De his proximo confessu deliberabimus. IV. Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum? CO. Non patiemur hunc senatum admistu talium inquinari. IV. Quid de concubinis? CO. Istarum non simplex est genus, de quibus per otium tractabitur. Adijciendum est, quomodo fieri debeat senatusconsultum, punctis'ne, an calculis, an suffragijs uocalibus, an porrectis digitis, an discessione. CA. In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis: si pedibus catur in sententiam, quoniam uestes longas gerimus, nimium mouebimus pulueris: optimum igitur, uti uoce pronuntiet unaquæq; quod sentit. COR. At difficile est numerare uoces. Deinde cauendum ne fiat pro concilio conuicium. CA. Nihil fiet absq; notarijs, ne quid possit excidere. CO. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus modis excludes conuicium? CA. Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, è senatu mouebitur. Tum si qua quid effutierit eorum, quæ hic aguntur, silentio plectetur triduano. Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consulendum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est in cultu, cuius rei tantus est neglectus, ut hodie uix agnoscas discrimen inter nobilem & plebeiam, inter nuptam & uirginem aut uiduam, inter matronam & meretricem. Adeò sublatus est pudor, ut quiduis usurpẽt quælibet. Videre est plus quam plebeias ac loci planè sordidi, uestiri holosericis, undulatis, florulentis, uirgatis, byssinis

byßinis, aureis, argẽteis, pellibus zebellinis, madauricis, quum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos. Nam uniones nunc uulgò fastidiuntur, ne quid querar de succinis & corallijs & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus, in honorem sexus cingulis uti sericis, ac fimbrias uestium serico limbo decorare: nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & ordo, qui dignitatis est custos, confunditur. Si pilentis & lecticis eboratis ac byssotectis uehuntur plebeiæ, quid reliquũ est nobilibus ac potentibus? Et si uix equiti nupta caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis uxor? Atque hæc res hòc est intolerabilior, quòd mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem è porrectis à uertice cornibus pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ principes discernebantur à plebeijs. Illæ ne quid conueniret, sumpserunt pileas, foris ostẽtantia pelles albas nigris maculis uariegatas. Statim uulgus arripuit. Rursus mutato cultu sumpserunt flammea nigra byssa. Id fœminarum uulgus non solùm ausum est imitari, uerùm etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, à fronte atque à temporibus reuulsis pilis in uerticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ sunt. Tandem demiserunt crines in frontem, protinus & hoc imitatæ sunt plebeiæ. Solæ nobiles olim habebant laterones & anteambulones, & ex his unum delicatum qui surrecturæ manum porrigeret, qui læuam incedentis brachio dextro fulciret. Nec hoc honoris concedebatur nisi bene nato. Nunc ut passim id faciũt matronæ, ita quoslibet ad

hoc

hoc officij recipiunt, quemadmodum ad gestandam à tergo caudam. Item olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemuis ad osculum recipiebant, imò ne dextram quidē porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. ne in coniugijs quidem habetur ulla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebeijs, plebeiæ patricijs, ita nascuntur nobis hybridæ. Nec ulla tam obscuro loco nata est, quæ metuit adhibere fucos omnes nobilium, quum plebeijs sufficere deberet, aut flos recentis ceruisiæ, aut succus recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud paruo parabile: purpurissam, cerussam, stibium, reliquos q; colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Iam in conuiuijs, in publico incessu, quàm nullus ordo? Sæpe fit ut negatiatoris uxor dedignetur utroq; parēte nobili cedere. Res igitur ipsa iandudum hortatur, ut hisce de rebus aliquid certi statuamus, atq; hæc inter nos facilè poterunt transigi, quoniam non nisi ad fœmineum pertinent genus. Est autem & quod cum uiris agamus, qui nos summouent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis habent, ipsi res omnes pro suo gerūt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos, ad bellicæ rei curam. Quis hoc feret, quòd in clypeo semper uxoris insignia læuum habent latus, etiam si tribus partibus superet uiri nobilitatem? Deinde par est, ut in elocandis liberis etiam mater habeat ius suffragij. Et fortassis hoc quoque euincemus, ut uicissim geramus officia publica, duntaxat quæ intra mœnia, & sine armis geri possunt. Hæc est summa rerum de quibus mihi

uidetur

uidetur operæpretium cõsultare. Super his apud se quæque deliberet, ut de singulis fiant senatusconsulta, & si cui uestrum aliud quippiam in mentem uenerit, cras in medium conferat. Conueniemus enim diebus singulis, donec synodũ absoluerimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis excipiant quicquid dicatur. Prætereà quæstoriæ duæ, quæ loquendi potestatẽ uel faciant, uel adimãt. Sit hic consessus diuinationis loco.

DILVCVLVM.

NEPHALIVS, PHILYPNVS.

NE. Hodie te conuentum uolebam Philypne, sed negaharis esse domi. PH. Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maximè. NE PH. Quid isthuc ænigmatis est? PH. Nosti illud uetus prouerbium, Non omnibus dormio. Nec te fugit ille Nasicæ iocus, cui quum Ennium familiarem inuisere uolenti, ancilla iussu heri negasset esse domi, sensit Nasica & discessit. Cæterùm ubi uicissim Ennius Nasicæ domum ingressus rogaret puerum num esset intus, Nasica de conclaui clamauit, Non, inquiens, sum domi. Quumq; Ennius agnita uoce dixisset, Impudens, non te loquentem agnosco? Imò tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, quum ego crediderim ancillæ tuæ. NE. Eras fortassis occupatior. P H. Imò suauiter otiosus. N E. Rursum ænigmate torques. PHIL. Dicam igitur explanatè, nec aliud dicam ficum quàm ficum. NE. Dic. PH. Altum dormiebam. NE. Quid ais? Atqui iam præterierat octaua, quum Sol hoc mense surgat ante quartam. PHIL. Per me quidem Soli liberum est uel media nocte surgere, modò

modò mihi liceat ad satietatem usque dormire. NE. Verùm isthuc utrum casu accidit, an consuetudo est? PHI. Consuetudo prorsus. NE. Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est. PHIL. Imò nullus est somnus suauior, quàm post exortum solem. NEP. Qua tandem hora soles lectum relinquere? PHIL. Inter quartam & nonam. NE. Satis amplum spatium, uix tot horis comuntur reginæ. Sed unde uenisti in istam consuetudinem? PH. Quia solemus conuiuia, lusus & iocos in multam proferre noctem, id dispendij matutino somno pensamus. NE. Vix unquam uidi hominem te perditius prodigum. PHIL. Mihi parsimonia uidetur magis, quàm profusio. Interim nec candelas absumo, nec uestes detero. NEP. Præpostera sanè parsimonia, seruare uitrum ut perdas gemmas. Aliter sapuit ille philosophus, qui rogatus quid esset pretiosissimum, respondit tempus. Porrò quum constet diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissima pretiosissimum est, gaudes perdere. PHIL. An hoc perit, quod datur corpusculo? NE. Imò detrahitur corpusculo, quod tum suauissimè afficitur, maximéque uegetatur, quum tempestiuo moderatoq; somno reficitur, & matutina uigilia corroboratur. PHIL. Sed dulce est dormire. NEPHAL. Quid esse potest dulce nihil sentienti? PHIL. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ. NEPHAL. Atqui isto nomine feliciores sunt qui dormiunt in sepulchris. Nam dormienti nonnunquàm insomnia molesta sunt. PHIL. Aiunt eo somno maximè saginari corpus. NEPHAL. Ista glirium sagina est, non hominum. Rectè saginantur

anima

animalia quæ parantur epulis, homini quorsum attinet accersere obesitatem, nisi ut grauiore sarcina onustus incedat? Dic mihi, si famulum haberes, utrum obesum malles, an uegetum, & ad omnia munia habilem? PH. Atqui non sum famulus. NE. Mihi sat est, quòd ministrum officijs aptum malles, quàm bene saginatum. PH. Planè mallem. NE. At Plato dixit animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse, quàm domicilium aut instrumentum. Tu certè fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum. PHI. Esto, si uis. NE. Quum tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles & alacrem, quur animo paras ministrum ignauum & obesum? PH. Vincor ueris. NE. Iam aliud dispendium accipe, ut animus longè præstat corpori, ita fateris opes animi longè præcellere bona corporis. PH. Probabile dicis. NE. Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. PH. Fateor. NE. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior, quàm diluculum, quum Sol nouus exoriens uigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitq; nebulas è uentriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. PH. Non repugno. NE. Nunc mihi supputa quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis quas somno intempestiuo perdis. PH. Profectò multum. NE. Expertus sum, in studijs plus effici una hora matutina, quàm tribus pomeridianis, idq; nullo corporis detrimento. PH. Audiui. NE. Deinde illud reputa, si singulorum dierum iacturam in summã conferas, quantus sit futurus cumulus. PH. Ingens profectò. NE. Qui gẽmas & aurũ temere profundit, prodigus

digus habetur, & tutorem accipit: hæc bona tantò prætiosiora qui perdit, non'ne multò turpius prodigus est? PH. *Sic apparet, si rem recta ratione perpendamus.* NE. *Iam illud expẽde quod scripsit Plato, nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapientia, quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret.* PH. *Atqui illa cerni non potest.* NE. *Fateor corporeis oculis. Verùm cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa uoluptas adsit oportet, quoties animus cum tali amica congreditur.* PH. *Verisimile narras.* NE. *I nunc & somnum mortis imaginem cum hac uoluptate cõmuta, si uidetur.* PH. *Verùm interim pereunt nocturni lusus.* NE. *Bene pereunt quæ peiora melioribus, inhonesta præclaris, uilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud uertit in aurum. Noctem natura somno tribuit. Sol exoriens cum omne animantium genus, tum præcipuè hominem ad ui-*
2. Thessal. 5. *tæ munia reuocat. Qui dormiunt, inquit Paulus, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Proinde quid turpius, quàm quum omnia animantia cum Sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem, sed aduentantem cantu salutent, quum Elephantus Solem orientem adoret, hominem diu post Solis exortũ stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, non'ne uidetur exprobrare dormienti, Stulte quid optimam uitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis inuigiletis. Nemo lucernam accendit, ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hãc lucernam omnium pulcherrimam,*

nihil

nihil aliud quàm ſtertis? PH. Bellè declamas. NE. Non bellè, ſed uerè. Agè non dubito, quin frequenter audiueris illud Heſiodium, Sera in fundo parſimonia. PH. Frequentiſſimè. Nam in dolij medio, uinum eſt optimum. NE. At qui in uita prima pars, nimirum adoleſcentia, eſt optima. PH. Profectò ſic eſt. NE. At diluculum hoc eſt dici, quod adoleſcentia uitæ. An non igitur ſtultè faciunt, qui adoleſcentiam nugis, matutinas horas ſomno perdunt? PH. Sic apparet. NE. An eſt ulla poſſeſſio, quæ cum hominis uita ſit cōferenda? PH. Ne uniuerſa quidem Perſarum Gaza. NE. An non uehementer odiſſes hominem qui tibi uitam poſſet ac uellet malis artibus ad annos aliquot decurtare? PH. Illi mallem ipſe uitam eripere. NE. Verùm peiores ac nocentiores arbitror, qui ſibi uolentes reddunt uitam breuiorem. PH. Fateor, ſi qui tales reperiantur. NE. Reperiantur? Imò id faciunt omnes tui ſimiles. PH. Bona uerba. NE. Optima. Sic tuo cum animo reputa, non'ne uidetur rectiſſimè dixiſſe Plinius, Vitam eſſe uigiliam, & hòc pluribus horis hominem uiuere, quò maiorem temporis partem impēderit ſtudijs? Somnus enim mors quædam eſt. Vnde & ab inferis uenire fingitur, & ab Homero mortis germanus dictus eſt. Itaq; quos ſomnus occupat, nec inter uiuos, nec inter mortuos cenſentur, ſed tamen potius inter mortuos. PH. Ita uidetur omnino. NE. Nunc mihi rationem ſubducito, quantam uitæ portionem ſibi reſecant, qui ſingulis diebus tres aut quatuor horas perdūt ſomno. PH. Video ſummam immenſam. NE. Non'ne pro Deo haberes Alcumiſtam, qui poſſet decem annos uitæ ſummæ adijcere, & prouectiorem ætatem ad adoleſcentiæ uigorem

Plinius in præfatione ad Veſpaſianum.

reuocare? PH. Quid ni habeam? NE. Sed hoc tam diuinum beneficium ipse tibi præstare potes. PH. Quî sic? NE. Quia manè diei est adolescentia, usque ad meridiem feruet iuuentus, mox uirilis ætas, cui succedit pro senecta uespera, uesperam excipit occasus, uelut diei mors. Magnum autem uectigal parsimonia est, sed nusquam maius quàm hîc. An non igitur ingens lucrum sibi adiunxit, qui magnam uitæ partem, eamq; optimam perdere desijt? PH. Vera prædicas. NE. Proinde uidetur admodum impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quòd hominis uitam tam angustis spatijs finierit, quum ipsi ex eo quod datum est, sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuique uita, si parcè dispensetur. Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A' prandio uix semihomines sumus, quum corpus cibis onustum aggrauat mentem, nec tutum est spiritus ab officina stomachi concoctionis officium peragentes ad superiora euocare. A' cœna multo minus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer uiget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena, dum auræ diuinæ, ut ait ille, particula spirat, ac sapit originem suam, & rapitur ad honesta. PH. Eleganter tu quidem concionaris. NE. Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, Οὐ χρὴ παννύχιον εὐδειν βουληφόρον ἄνδρα. Quanto turpius est tantam dici partem somno perdere? PH. Verum, sed βουληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus. NE. Siquid aliud tibi charius est quàm ipse tibi, ne quid te moueat Homeri sententia. Faber ærarius ob uile lucellum surgit ante lucem

Id est, Non decet per totam noctem dormire principē utrum, seu imperatorem.

cem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile euocantem audiamus? Medici non ferè dant pharmacum nisi diluculo. Illi norunt horas aureas, ut subueniant corpori, nos eas non nouimus, ut locupletemus ac sanemus animum? Quòd si hæc leue pondus habent apud te, audi quid apud Salomonem loquatur illa cœlestis sapientia: Qui manè, inquit, uigilauerint ad me, inuenient me. Iam in mysticis psalmis, quanta matutini temporis commendatio? Manè propheta extollit Domini misericordiam, manè exauditur uox eius, manè illius deprecatio præuenit dominum. Et apud Lucam euangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens à Domino, manè ad illum confluit. Quid suspiras Philypne? PHI. Vix lacrymas teneo, quum subit quantam uitæ iacturam fecerim. NE. Supervacaneum est ob ea diseruciari, quæ non reuocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius, quàm ut præteritorum inani deploratione futuri quoque temporis iacturam facias. PHI. Bene mones, sed me iam sui iuris fecit diutina consuetudo. NE. Phy. Clauus clauo pellitur, consuetudo consuetudine uincitur. PHI. At durum est ea relinquere, quibus diu assueueris. NEP. Initio quidem, sed eam molestiam diuersa consuetudo primùm lenit, mox uertit in summam uoluptatem, ut te breuis molestiæ non oporteat pœnitere. PHI. Vereor ut succedat. NE. P. Si septuagenarius esses, non retraherem te à solitis, nunc uix decimumseptimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est, quòd ista ætas non possit uincere, si modò adsit prom-

Prouerb. 8.

Psalm. 58. 5. & 87.

Lucæ 6.

ptus animus? PH. Equidem aggrediar, conaborq́; , ut ex Philypno fiam Philologus. ME. Id si feceris mi Philypne, sat scio, post paucos dies & tibi seriò glatulaberis, & mihi gratias ages, qui monuerim.

Philypnus, somni amic⁹: Philologus, sermonis amator.

NHΦAΛION ΣYMΠOΣION.

Sobriũ conuiuium.

ALBERTVS, BARTHOLINVS, CAROLVS, DIONYSIVS, AEMILIVS, FRANCISCVS, GYRARDVS, HIERONYMVS, IACOBVS, LAVRENTIVS.

AL. Vidisti'ne unquam hoc horto quicquam amœnius? BA. Vix opinor in insulis fortunatis esse quicquam iucundius. CA. Planè mihi uideor uidere paradisum, cui custodem cultoremq́; Deus præfecerat Adam. DI. Hîc uel Nestor, uel Priamus posset repubescere. FR. Imò uel mortuus reuiuiscere. GY. Adderem lubens si quid possem tuæ hyberbolæ. HI. Profectò miris modis arridet omnia. IAC. Oportet hunc hortum aliqua compotatiuncula dedicare. LAV. Rectè monet noster Iacobus. AL. Talibus mysterijs iam olim initiatus est hic locus. Verùm scito nihil hîc esse unde uobis merendam exhibeam, nisi placet ἄοινον compotatio, lactucas apponam absque sale, aceto & oleo, uini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidĕ adest, aut poculum, & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos, quàm uentrem. BA. Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras, lusu dicabimus hortum, si minus licet conuiuio. AL. Quoniam tam belli homunculi conuenimus, habeo quiddam quod uel lusum, uel conuiuiũ posis dicere, mea sententia multò dignius ad hunc hortum

Id est, absque uino.

tum initiandum. CA. Quodnam? AL. Suum quisq; symbolum conferat, non deerit lautũ, nec minus suaue conuiuium. AE. Quid adferemus, qui uacui huc uenerimus? AL. Vacui qui tantum opum circunferatis in pectore? FR. Expectamus quid uelis. AL. Proferat in mediũ quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantißimum. GY. Rectè mones, nihil uel huiusmodi conuiuijs, uel te conuiuatore uel hoc loco dignius. Te huius consilij ducem sequemur omnes. AL. Nihil recuso, si uobis ita uidetur. Hodie uehementer delectauit animum meum in homine non Christiano tam Christiana sententia. Phocion enim quo uix alius apud Athenienses fuit uir sanctior, publicæq; utilitatis studiosior, quum per inuidiã damnatus, esset bibiturus cicutam, rogatus ab amicis, quid uellet etiamnum mandari filijs suis, Ne huius, inquit, iniuriæ uelint unquam meminisse. BA. Tam insignis patiẽtiæ exemplũ uix hodie reperias inter Dominicanos & Franciscanos. Itaq; simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni similimus erat, moribus incorruptißimis, adeò ut uulgus illi Iusti tribueret cognomen. Ob huius cognominis inuidiam, uir optimè de republica meritus, ostracismo populi iussus est uertere solum. Posteaquàm intellexerat populũ non aliare offensum, quàm Iusti cognomento, quum alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratißimæ ciuitati, Nihil aliud, inquit, nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquàm in mentem ueniat Aristides. CA. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quãuis leuem iniuriam excandescentes, ad uindictam per fas, ne-

Patientia Phocionis.

Aristidis

fasq; molientes. Tota Socratis uita nihil aliud mihi ui-
Socratis. detur, quam temperantiæ ac tolerantiæ exemplum. Sed
ne plane sim asymbolos, unum referam, quod mihi præ
cæteris arrisit. Eunti publica uia, improbus quispiam co-
laphum impegit. Quum id tacitus ferret Socrates, amici
quidam hortati sunt ad ultionem. At ille, Quid percussori
faciam, inquit? Voca, inquiunt, in ius. Ridiculum, inquit:
si me asinus calcibus percussisset, num uobis autoribus,
asinum in ius traham? significans improbum sciurram
nihilo potiorem asino: & infimi animi esse, non posse
ferre contumeliam ab homine uecordi, quam ferret ab
animali bruto. DI. Pauciora sunt in Romanis Annalibus
exempla moderationis, nec ea perinde insignia. Neque
enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis
parcat deuictis, & debellet superbos. Non arbitror tamen
Catonis. indignum memoratu, quòd Cato senior, quum Lentulus
quidam in os illi sputum & oris purulentiam iniecisset,
nihil aliud responderit, quàm, Posthac habeo quod illis
respondeam, qui negant tibi esse os. Os autem Latinis
habere negantur, quos nihil pudet. Itaq; iocus est ex am-
biguo. AE. Alijs arrident alia, mihi inter Diogenis dicta
præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quàm
quod roganti cuidam quo pacto maximè posset ulcisci
Inimicus quomodo ulciscendus. inimicum, Si teipsum, inquit, quàm maximè probum &
honestum uirum præstiteris. Demiror quis Deus illis tales
cogitationes miserit in mentem. Videtur autem & Ari-
Aristotelis quid profuerit Philosophia. stotelis dictum ualde consentaneum Paulino dogmati, qui
rogatus à quodam, Quid fructus sua illi philosophia at-
tulisset, Vt mea, inquit, sponte, ea faciam, quæ plerique
legum

legum metu coacti faciunt. Docet enim Paulus, eos, quos afflauit Christiana charitas, non esse legi obnoxios, eò quòd plus præstant suapte sponte, quam lex metu pœnæ posit extorquere. ER. Christus Iudæis obmurmurantibus quòd cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mẽsæ familiaritatem, respondit, non esse opus medico ijs, qui rectè ualerent, sed qui minus prospera essent ualetudine. Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit Phocion, qui quum reprehenderetur, quòd homini illaudato, improboq; patrocinatus esset in iudicio, non minus festiuiter quam clementer, Quid ni, inquit, quando nemo probus indiget tali patrocinio? GY. Et isthuc Christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni patris & probis, & improbis quantum licet benefacere, qui solem suum oriri iubet, non solum pijs, sed etiam impijs. Verùm admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum: Cum Demochares Demosthenis nepos, Atheniensium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum regem, & impetratis quæ uolebat à rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea uellet, Vt teipsum suspendas, inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat, & rex erat, & bene meritus in quem iaciebatur conuicium, nec tamen incanduit, tantùm ad collegas conuersus, Vos, inquit, hæc renuntiate populo Atheniensi, quò re cognita iudicet, utrum nostrum existimet præstantiorem, me qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit. Vbi nunc sunt orbis monarchæ, qui se dijs pares putant, & ob uerbum inter pocula dictum atrocia bella concitant? HI. Magnos im-

Matthæi 9. Marci 2. & Lucæ 4.

Matthæi 5.

Philippus rex.

petus habet gloriæ sitis, multosq; transuersos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, qua uia posset sibi compendio honestissimam comparare famam. Si talem, inquit, præstiteris te ipsum, qualis haberi uis. IA. Profectò non uideo quid dici possit uel breuius, uel absolutius. Fama non est affectanda, sed ea uirtutem ultro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini uiros, mihi puella Lacæna placuit, quæ quum in auctione uenderetur, licitator quidã adijt illam, Quid, inquiens, num proba futura es, si te mercatus fuero? Etiam, inquit illa, si tu non fueris mercatus: indicans sese non in cuiusquam gratiam probitatem seruare, sed suopte ingenio uirtutem ipsius gratia sectari, quòd uirtus ipsa sui pretium est. LA. Masculam sanè uocem edidit puella. Cæterùm insigne mihi uidetur exemplum aduersus fortunam quamlibet blandientem constantiæ, quod quum Philippo Macedonum regi treis eximiæ felicitates eodem die nuntiarentur, quòd in Olympijs uicisset, quòd dux exercitus Parmenion prælio superasset Dardanos, quòd uxor Olympias ipsi filium esset enixa, sublatis in cœlum manibus precatus est, ut Deus tantam prosperitatem pateretur leui quopiam infortunio expiari. AL. Hodie nulla est tanta prosperitas, cuius inuidiam metuat quisquam, sed perinde iactant, si quid successerit, quasi uel mortua, uel surda esset Nemesis. Hæc merenda si uobis placet, hic hortulus eam uobis quoties uolueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minus iucundo quàm frugifero dicastis. BA. Profectò nec Apitius potuisset discum suauiorem apponere. Quare nos expectabis frequenter,

Nemesis, siue Fortuna, siue Dea stultitiæ uindex.

modò

modò boni consulas, quod nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, sed quæ non præmeditatis uenerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus. AL. Hoc eritis gratiores.

ARS NOTORIA.

DESIDERIVS, ERASMIVS.

DE. Quomodo succedunt tua studia Erasmi? ER. Musis, ut apparet, parum fauentibus: sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare. DE. Nihil non impetrabis, modò sit in rem tuam. Dic tantùm quid rei sit. ER. Non dubito, quin nihil sit artium recõditarum quod te fugiat. DE. Vtinam uera prædices. ER. Audio artem esse quandam notoriam, quæ hoc præstet, ut homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales. DESI. Quid audio? Vidisti codicem? ER. Vidi, sed uidi tantùm, quòd non esset doctoris copia. DES. Quid continebat liber? ER. Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, uariosq; circulos, & in his descriptas uoces partim Græcas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliaq; Barbaricarum linguarum. DESI. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? ER. Intra quatuordecim. DES. Magnifica sanè pollicitatio: sed nosti'ne quenquam per istam artem notoriam euasisse doctum? ER. Nequaquam. DESI. Neque quisquam alius uidit unquam aut uisurus est, nisi postea quàm uiderimus aliquem per alcumisticam euasisse diuitem. ERA. Equidem optarim artem esse ueram. DES. Fortasse quòd pigeat literas tantis sudoribus emere. ER. Scilicet. DE. Atqui sic uisum est superis. Opes istas uulgares, aurum, gemmas, argentum

gentum, palatia, regnum nonnunquam, largiuntur ignauis & immerentibus: sed quæ ueræ sunt opes, ac propriè nostræ sunt, uoluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis uideri molestum laborem, quo res tanta paratur, quum cernamus plurimos homines per horrenda discrimina, per non æstimandos sudores eluctari ad res & temporarias, & plane uiles, si ad eruditionem conferantur, nec tamen semper assequuntur, quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admistum mellis, si paululum in ea proceesseris. Iam in te bona ex parte situm est, ut magnam tædiorum partem amputes. ERAS. Quo nam pacto? DESI. Primùm, ut animum inducas amare studia. Deinde, ut ea mireris. ERAS. Quibus rationibus hoc fiet? DES. Contemplare quam multos ditarint, quam multos ad summã dignitatem autoritatemq; prouexerint literæ. Simulq; tecum considera quantum interfit inter hominem & pecudem. ERAS. Probè mones. DESI. Deinde cicures ingenium tuum oportet, ut posit secum consistere, atque his delectari, quæ utilitatem adferunt potius, quam uoluptatem. Nam quæ per se sunt honesta, etiam si initio nonnihil habent molestiæ, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, ut & minus fatiges præceptorem, & ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis literis in frontispicio codicis tui pingendum, Ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. ERAS. Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est. DE. Ita q; pertusum mihi narras dolium. ERAS. Haud multum aberras à scopo. Sed quid remedij? DESID. Obturanda est rima, ne perfluat. ER. Quibus rebus? DES. Non musco, neque gypso, sed diligen

Id est, Si fueris cupidus discendi, eris discens, siue discès multa.

diligentia. Qui uoces ediſcit non intellecta ſententia, mox obliuiſcitur: nam uerba, ut inquit Homerus, πτερόεντα ſunt, Id eſt, alata facileq; auolant, niſi ſententiarum pondere librentur. Prima igitur cura ſit, ut rem penitus intelligas, dein ſubinde tecum uerſes ac repetas: & in hoc cicurandus eſt, ut dictum eſt, animus, ut quoties opus eſt, cogitationi poſſit inſiſtere. Nam ſi cui mens eſt adeò ſyluestris, ut in hoc cicurari non poſſit, haudquaquam eſt idonea literis. ER. Iſthuc quàm ſit difficile, plus ſatis intelligo. DE. Quiſquis enim habet animum adeò uolubilem, ut nulli cogitationi poſſit immorari, nec diu poteſt audire loquentem, nec infigere memoriæ quod didicit. Plumbo poteſt aliquid imprimi, quod maneat in loco: aquæ aut argento uiuo, quoniam aſſiduè fluitat, nihil poteſt imprimi. Quòd ſi poſſis in hoc ingenium tuum manſuefacere, quum aſſiduè uerſeris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore diſces quàm plurima. ER. Profectò ſic eſt. DE. Nam præter ſermones conuiuiorum, præter quotidiana colloquia, ſtatim à prandio audis octo lepidiſſima dicta, ex probatiſſimis autoribus ſelecta, totidem à cœna. Iam mihi ſupputa quantam hæc ſummam conficiant in ſingulos menſes & annos. ER. Magnificam, ſi poſſim meminiſſe. DE. Adhæc quum nihil audias niſi bene Latinè loquentes, quid obſtat, quo minus intra paucos menſes ediſcas Latinè, quum illiterati pueri Gallicam aut Hiſpanicam linguam diſcant exiguo temporis ſpatio? ER. Sequar tuum conſilium, experiarq; num poſſit hoc ingenium Muſarum iugo manſueſcere. DE. Ego aliam artem notoriã non

noui,

noui, quàm curam, amorem, & aſſiduitatem.

CONCIO, *ſiue* MEDARDVS.
HILARIVS, ET LEVINVS.

HI. *Deum immortalem, cuiuſmodi portenta gignit alitq; terra? Vſqueadeò nihil pudere uiros Seraphicos? Exiſtimant, opinor, ſeſe apud fungos, non apud homines loqui.* LE. *Quid ſecum murmurat* Hilarius? *Componit, opinor, uerſiculos.* HI. *Quàm libens illi blateroni os impurum obturaſſem oleto.* LEV. *Compellabo hominem. Quid agis* Hilari, *parum hilaris?* HIL. *Optimè temet offers* Leuine, *in quem hanc pectoris ægritudinem euomam.* LEV. *In peluim euomas malim, quàm in me. Sed quid eſt mali? & unde nobis prodis?* HIL. *E' concione ſacra.* LEV. *Quid homini poëtæ cum ſacris concionibus?* HIL. *A' ſacris non abhorreo, ſed in hanc incidi ita ſacram, ut Vergilius auri famem appellauit ſacram. Ac tales rabulæ ſunt in cauſa, ut rarius audiam eccleſiaſtas.* LEV. *Vbi habita eſt concio?* HIL. *In ſummo templo.* LEV. *A' prandio? Id temporis ferè dormitant homines.* HIL. *Vtinam illi locutuleio dormiſſent omnes, uix digno qui concionetur apud anſeres.* LE. *Obſtreperum eſt animal anſer: Ferunt tamen patriarcham Franciſcum aliquando concionatum apud ſorores auiculas, à quibus magno ſilentio ſit auditus. Sed agè, etiam'ne ſabbato ſit concio?* HIL. *Fit in honorem diuæ Virginis matris. Nam die dominico Chriſtus prædicatur. Decet autem ut priores teneat mater.* LE. *Quod erat thema?* HI. *Enarrabat canticum Virginis.* LE. *Argumentum uulgatiſſimum.* HIL. *Nimirùm aptiſſimum eccleſiaſtæ. Nam ſuſpi-*

cor

cor illum hoc unum thema didicisse: quemadmodum aiunt inueniri sacerdotes, qui nullam liturgiam callent, nisi pro defunctis unicam. LE. Dicatur igitur ille concionator de Magnificat, aut si mauis, Magnificatitius. Sed cuiusmodi tandem auis erat, aut quibus ornata plumis? HI. Vulturi non dissimilis. LE. Qua tandem ex corte? HIL. Franciscana. LE. Quid audio? ex tam sancto sodalitio? Fortassis ex illorum degenere genere, qui dicuntur Gaudentes, colore fusco, calceis integris, cingulo candente: nec horrent, contremisco referens, nudis digitis contrectare pecuniam. HI. Imò è grege selectissimo istorum qui gaudent Obseruantes nominari, colore cinericio, cingulis canabeis, calceis fenestratis, quiq; citius occiderent hominem, quàm nuda cute pecuniam attingerent. LE. Nil mirum est, in rosarijs nasci cynorodum. Sed quis talem histrionem induxit in hoc proscenium? HI. Isthuc magis etiam dicerem, si uidisses personam Tragicam. Corpore erat uasto, buccis rubentibus, uentre prominente, lateribus gladiatorijs, dixisses athletam esse: & quantum ego diuinare queo, biberat in prandio plus, quàm unum uini sextarium. LE. Vnde tanta uini copia non tractanti pecuniam? HI. Ex aula regis Ferdinandi singulo quoque die dabantur illi sextarij quatuor. LE. O' malè collocatam benignitatẽ. Fortassis erat doctus. HI. Præter effrontem improbitatem & linguam effrænem nihil habebat. LE. Quæ res igitur sic impositit Ferdinando, ut bouem adduceret ad ceroma? HIL. Vt numero dicam, pietas & regia bonitas. Commendatus erat, ille demittebat caput in dextrum humerum. LEV. Sic Christus pendet in cruce. Sed erat concio frequens?

Liturgia, ministeriũ, siue munus publicum.

frequens? HI. *Quî potuit esse infrequens Augustæ, in templo celeberrimo, & in tot monachorum conuentu, quos Carolus Cæsar ex uniuersa Germania, ex Italia, ex Hispanijs, ex Anglia cò contraxerat? Quin & eruditi complures aderant in ipsa concione, præsertim ex aula regum.* LE. *Demiror si porcus ille quicquam adferre potuit dignum tali auditorio.* HI. *At multa se digna protulit.* LE. *Quæ tandem obsecro? Sed prius te quæso ut mihi nomen hominis edas.* HI. *Non expedit.* LE. *Quamobrem Hilari?* HI. *Non libet talibus gratum facere.* LE. *Au, gratificatur qui traducit?* HI. *Illis pro summo beneficio est, quocunque modo innotescere.* LE. *Saltem mihi nomen edito taciturno.* HI. *Merdardum uocant.* LE. *Merdardum illum probè noui. Nimirùm is ipse est, qui nuper in conuiuio Erasmum nostrum appellauit diabolum.* HI. *Rem tenes. Sed quod in conuiuio dixit, tametsi non omnino dixit impune, qui ciuiliores erant imputabant temulentiæ, & uino censebant inscribendum.* LEV. *Sed quid excusationis attulit obiurgatus?* HI. *Negauit se dixisse ex animo.* LE. *Quî potuit ex animo, cui nihil erat mentis aut animi?* HILA. *Sed mihi ac doctis omnibus uisum est intolerabile, quòd publicitus, quòd eo in loco, quòd apud tales auditores, denique quod in tam celebri monarcharum conuentu Merdardus suas merdosas purulentias effuderit.* LE. *Aueo scire quid dixerit.* HIL. *Multa stolidissimè debacchatus est in Erasmum nostrum, quorum hæc erat summa: His, inquit, temporibus extitit quidam nouus doctor Erasmus, lapsa est lingua, asinus uolebam dicere: simulq; populo interpretatus est, quid Germanicè*

sonaret

ſonaret aſinus. LE. Rem mirè facetam narras. HI. Itáne facetam? Imò fatuam potius. LE. An non tibi facetum uidetur, talem aſinum quenquam omnino uocare aſinum, nedum Eraſmum? Vnum illud ſcio, ſi Eraſmus ipſe præſens fuiſſet, non potuiſſet à riſu temperare. HI. Profectò non minus refert aſinum animi ſtupore, quàm colore ueſtis. LE. Neque arbitror in tota Arcadia eſſe ullum aſinum uſqueadeò aſinum, quin hic dignior ſit, qui fœno paſcatur, quàm ille. HI. Prorſus inuerſus eſt Apuleius: ille ſub aſinina ſpecie tegebat hominem, hic ſub hominis ſpecie tegit aſinum. LE. At tales aſinos hodie mulſo & placentis ſaginamus, ut mirum non ſit ſi mordeant quemlibet, & calcibus feriant. HI. Is, inquit, doctor aſinus audet corrigere Magnificat, quum id canticum ſit à ſpiritu ſancto proditum per os ſacratiſſimæ Virginis. LE. Agnoſco παροιμίαν ἀλληφικήν. HI. Atq; his uerbis exaggerabat, quaſi ſumma eſſet admiſſa blaſphemia. LE. Mihi nunc cor metu palpitat. Quid erat criminis? HI. Aiebat Eraſmum pro eo quod eccleſia canit, Quia reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, uertiſſe, quia reſpexit uilitatẽ ancillæ ſuæ, eáq; uox odioſius ſonat Germanicè quàm Latinè. LE. Quis autem non fateatur eſſe blaſphemiam execrabilem, ſi quis ſacratiſſimam Chriſti matrem etiam angelica dignitate celſiorem, appellet uilem ancillam? HILA. Agè, quid ſi quis appellet apoſtolos ſeruos inutiles? LE. Pararem blaſphemo faſciculos. HILA. Quid ſi quis eximium illum Paulum appellet indignum apoſtoli nomine? LEVI. Clamarem, ad ignem. HIL. Atqui ſic apoſtolos ſuos loqui docuit ille doctor unus irrefutabilis

Id eſt, Prouerbium non delphicum, ſiue uulgatum.

Chriſtus

Lucæ 17. Christus: Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus. Et huius præcepti non immemor Paulus de se prædicat: Minimus sum omnium apostolorum, atq; adeò indignus apostoli titulo. LE. Verùm ubi de se talia prædicant homines pij, modestia uirtus est, qua nulla Deo gratior: si quis alius idem prædicet de illis, præsertim in diuorum consortium relatis, grauis sit blasphemia. HI. Pulchrè nodum secuisti. Proinde si Erasmus adorandam illam Virginem dixisset uilem ancillam domini, nemo non fateretur, esse dictum impiè. Cæterùm quoniã ipsa ad istum modum de se loquitur, & in illius cedit gloriam, & nobis salutare modestiæ exemplum exhibetur, ut quoniam quicquid sumus, munificentia Dei sumus, quò quisque maior est, hoc se gerat submissius. LE. Hactenus quidem inter nos conuenit. Verùm isti quum corrigere dicunt, sentiunt corrumpere, siue falsare. Illud itaque uidendum, an uilitatis uerbum Græcæ uoci, quam Lucas posuit, respondeat. HI. Istam ipsam ob causam à concione mox ad codicem cucurrimus. LE. Expecto uenatum.

1. Corint. 15.

Lucæ 1. HI. Verba quæ Lucas afflatu spiritus sanctissimis digitis suis exarauit, sic habent: Ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Ea sic reddit noster Erasmus: Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Tantùm addidit præpositionem, quam Lucas non omisit, nec eam respuit Romani sermonis elegantia, nec ad sensum est otiosa. Sic enim loquitur Terentius in Phormione: Respice ad me. In Annotationibus tamen admonet, Lucam potius dixisse: aspice ad me, quàm respice ad me. LE. Interest igitur aliquid inter respicere & aspicere? HI Non ita mul-

tum

tùm, sed tamen nonnihil respicit, qui flexo collo aspicit quæ à tergo sunt: Aspicit, qui simpliciter intuetur: uelut apud Terentium Phædria aspicit Thaidem domo prodeuntem. Totus, inquiẽs, Parmeno tremo horreoq; postquàm aspexi hanc. At huius frater Chærea sic loquitur, Cùm huc respicio ad uirginem. Nam ad senem sese flexerat, eo absoluto reflexit corpus ad uirginem. Interdum tamen usurpant respicere pro eo quod est rationem seu curam habere, siue rei cuiuspiam imminentis, siue præsentis. Ita Satyricus, Respicere extremæ iußit spatia ultimæ uitæ. Mors enim uelut à tergo imminẽs sequitur, ad quã reflectimus oculos, quoties eam animo reputamus. Et Terentius, Respice senectutem tuam. Proinde qui alibi intentus non habet curam liberorũ, dicitur illos non respicere. Rursus qui discußis alijs curis, cogitationem huc uertit, eleganter respicere dicitur. At Deus unico intuitu cõtuetur uniuersa, præsentia, præterita, & futura, & tamen in scriptura nobiscũ humano more loquitur. Auersari dicitur eos, quos reprobat: respicere, quos aliquãdiu ueluti neglectos dignatur suo fauore. Verùm hoc magis expreßisset Lucas, si dixisset, ἀπέβλεψεν, nunc legimus ἐπέβλεψεν. Sed utrum legas, minimum refert ad sensum.

LE. At uidetur otiosa præpositio repetita. HI. Certè sic & Latini loquuntur, accessit ad mè, appulit animum ad scribendum. Hìc mihi præpositio non uidetur otiosa. Nam respicere potest, qui in tergum flectit oculos casu quopiam, in nullam rem certam intendens intuitum: at quum audis, respexit ad me, exprimitur peculiaris fauor uolentis huic aut illi succurrere. Item aspicimus interdum

casu obuia, quorum nobis nulla cura est, imò quæ uidere nolimus. At quisquis ad aliquem aspicit, peculiariter attentus est ad id quod intuetur. Ad hæc, multa simul aspicimus, sed non ad multa. Spiritus itaq; sanctus uolens nobis exprimere singularem erga sanctissimam uirgunculam fauorem, sic per illius os loquutus est: Quia respexit ad humilitatẽ ancillæ suæ. Auertit oculos ab elatis, suoq; iudicio magnis, & obtutum suum flexit ad eam, quæ in oculis suis erat infima. Nec enim dubium est, quin multi fuerint docti, potentes, diuites, nobiles, qui sperabant Messiam ex ipsorum stirpe proditurum, sed illos aspernatus Deus, clementissimi fauoris oculos flexit ad uirginem, fama obscuram, opibus tenuem, fabro nuptam, ne sobole quidem ulla diuitem. L E. Nondum audio quicquam de uilitate. H I. Ea uox sycophantæ fuit, non Erasmi. L E. At in annotatione forsitan meminit uilitatis. H I. Nequaquã. In uocem ταπείνωσιν tantùm hoc modestissimè notat. Vt intelligas, inquit, paruitatem, non animi uirtutem, sitq; sensus, Etsi sim infima ancilla, tamen non est auersatus me Dominus. L E. Hæc si uera sunt ac pietatis plena, quid est quod obrudant onagri? H I. Latinæ uocis ignorantia parit hos tumultus. Humilitas apud ueteres emendatius loquentes non declarat uirtutem animi, quæ pugnat cum arrogantia, diciturq; modestia, sed conditionis abiectiorem sortem: quo sensu ignobiles, tenues, idiotas & contemptos humiles dicimus, quasi humi repentes. Quemadmodum igitur magnatibus loquentes dicimus, Rogo ut tua celsitudo nobis hac in re faueat: ita qui de se loquentes sua uolunt eleuare, dicere solent,

lent, Quæso ut humilitatem nostram tua humanitate sublcues. Nam pronominum primogeniorum emphasis interdum habet nescio quid arrogans. Quod genus est illud, Ego dico, ego perficiam. Bifariam itaque puella modestißima simul & suam sortem extenuauit, & numinis in se munificentiam extulit, non contenta seipsam ancillam dicere, sed addidit humilem ancillam, & infimæ sortis. Quemadmodum iuxta prouerbium, seruus præ seruo est, ita & inter ancillas alia est alia præstantior, nimirùm pro dignitate functionis. Honestior enim comptrix, quàm lotrix. LE. At miror Merdardum non agnouisse sermonis formam, quum ipse frequenter audierim Franciscanos ita loquentes, Mea paruitas agit tibi gratias pro lauta refectione. HI. Quidam non multùm aberrarēt, si dicerent mea prauitas. Cæterùm quoniam Græca uox ταπεινοφροσύνη quiddam amplius exprimere uidetur, quàm Latina, modestia, Christiani maluerunt humilitatem dicere quàm modestiam: hoc est, maluerunt significantius loqui, quàm elegantius. Modestus enim is dicitur, qui modice de se sentit, nihil sibi præter meritum arrogans. At ταπεινοφροσύνης laus non cōpetit nisi in eum, qui minus sibi arrogat, quàm habet. LE. At periculum est ne dum modestiam amplectimur, incidamus in uanitatem. HI. Quî sic? LE. Nam si uerum dixit Paulus, non sum dignus uocari Apostolus, & si uerè se dixit Maria ancillam humilem, hoc est, infimæ sortis, periclitantur de mendacio, qui utrunq; tam magnificis efferunt laudibus. HI. Nihil hic, ô bone, periculi: quum nos laudibus uehimus pios aut pias, prædicamus in illis Dei beneficentiam: quum ipsi semet

abijciunt, respiciunt uires ac merita sua, si desit fauor numinis. Nec statim mendacium est, si quis sibi non uindicat quæ habet: si loquitur ex animo, fortassis error dici potest, mendacium dici non potest. At hunc errorem in nobis amat Deus. L E. *At* Paulus *qui se negat esse dignum Apostoli titulo, alibi magnificè de se prædicat, cõmemorans sua facinora: Plus, inquit, omnibus laboraui, & qui uidebantur esse aliquid, nihil mihi cõtulerunt: quum sanctißima Virgo tale nihil dixisse legatur.* HI. *Sed ista facinora* Paulus *appellat suas infirmitates, quibus illustrata est* Dei *potentia, eamq; commemorationẽ uocat insipientiam, ad quam sit adactus pseudapostolorum improbitate, ob quos fuit illi necesse sibi uindicare autoritatem apostolicam: non quòd ipse delectaretur humana gloria, sed quòd expediret* Euangelio, *cuius dispensatio fuerat illi credita. In Virgine matre non fuit eadem ratio: non enim illi commissum erat munus prædicandi* Euangelij. *Tum & sexum, & uirginem deniq; IESV matrem decebat summus pudor, summáq; modestia. Nunc uenio ad huius erroris fontem. Qui Latinè nesciunt, putant humilitatem nihil aliud declarare, quàm insignem modestiam, quum interdum referatur ad locum, aut conditionem, non ad animi uirtutem: interdum sic referatur ad animum, ut uitium sonet.* LE. *Etiam'ne in sacris literis?* HI. *Maximé. Ẽn tibi locum apud* Paulum *ad Colos. cap. 2. Nemo uos seducat uolens in humilitate & religione Angelorũ. Nec hîc est ἐν ταπεινώσει, quæ uox est in cantico Virginis, sed ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Locus habet nõnihil obscuritatis fateor, sed mihi uidetur germanus sensus, quem accuratius docti*

1. Corinth. 15. Galat. 2.

docti adferunt, Ne sitis tam humili, tamq; abiecto animo, ut quum semel dedicaueritis uos ipsos Christo salutis unico autori, patiamini uobis persuaderi, ab Angelis sperandam esse salutem, quos quidã sibi fingunt apparuisse. Sitis excelso animo, ut etiam si uerè Angelus quispiam è cœlo ueniens prædicet uobis aliud Euangelium, quàm quod Christus tradidit, sit uobis execrabilis, uelut Angelus impius & Christi aduersarius. Multò minus conuenit uos esse tam demissis animis, ut istorum fictis apparitionibus patiamini uos abduci à Christo. Ab uno Christo sperare salutem, religio est: ab Angelis aut diuis idem expectare, superstitio est. Paulus igitur uult, humilis abiectiq; animi esse, ab illo sublimi Christo ad commentitias Angelorum apparitiones desciscere: demissi ingenij est, quorum libet suasu circumagi. Vides hîc ταπεινοφροσύνῳ in uitium usurpatum esse. LE. Quid ni uideam? HI. Rursus in eodem cap. Secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate. Hîc iterum ταπεινοφροσύνη uitium sonat. LE. Palàm est. HI. Atqui 1. Petri 5. usurpatur pro uirtute quæ contraria est superbiæ, τῷ ταπεινοφροσύνῳ ἐγκομβώσασθε, pro quo nos legimus, humilitatẽ insinuate. Rursum ad Philip. 2. τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν: id est, per animi modestiam unusquisq; alium se præstantiorem existimet. LE. Docuisti ταπεινοφροσύνῳ usurpari in utranq; partẽ, quũ apud Latinos modestia non usurpetur nisi in laudẽ. Verùm potes'ne docere ταπείνωσιν accipi pro modestia. HI. Nihil absurdi, si quis ad istum modum usurpet. Nam & animo tribue-

re submissionem aut demissionem pro modestia nihil uetat. Cæterùm an in diuinis literis ita positum reperiatur, nescio. LE. *Vide num apud diuum Iacobum ita sit usurpatum, Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua.* HI. *Isto quidem loco est, τῇ ταπεινώσει, non ταπεινοφροσύνῃ. Quòd si cõtendas hic humilitatem accipi pro modestia, consequens est, ut exaltationem accipiamus pro superbia, ac protinus gemina existet absurditas. Nam ut modestus non est, qui de sua modestia gloriatur ac iactitat sese: ita bis arrogans est, qui de sua superbia gloriatur.* LE. *Quid igitur sibi uult Apostolus?* HI. *Commendat æqualitatem inter Christianos. Pauper dicitur humilis ob fortunam abiectiorem: diues dicitur sublimis, utiq; iuxta mundũ, ob fortunæ splendorem. Hic diues se demittit ad sortẽ pauperum, & pauper erigitur ad æqualitatem diuitum. Vterq; habet quod glorietur: alter gaudet suis opibus subleuari pauperum inopiam: alter glorificat Christum, qui eam mentem inspirarit diuitibus.* LE. *Sed interim diues ille modestiæ laudem habet.* HI. *Fortasse, sed non ideo protinus ταπείνωσις significat modestiam. Sunt enim qui uenantes laudem ab hominibus multa pauperibus erogant. Quin potius uterq; modestus est, si modò adsit syncera pietas, diues dum non grauatur ob Christum æquari pauperi, pauper dum ob honorem sibi habitum non insolescit, sed Christo gratias agens in illo gloriatur. Illud extra controuersiam est, ταπείνωσιν in diuinis libris frequentissimè usurpari pro demissione siue deiectione, quæ fit per afflictionem, aut conditionis infirmitatem. Ita Paulus Philip. 3. Reformabit*

mabit corpus humilitatis noſtræ, ταπεινώσεως. Itẽ pſal. 9. Vide humilitatem de inimicis meis, ταπείνωσιν. Rurſum 118. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, ἐν τῇ ταπεινώσει μου nimirum in afflictione. Huius generis loca ſunt complura, quæ longũ ſit hîc referre. Quemadmodum igitur μετριοφρονῶς ταπεινὸς dici poſſet ὁ ταπεινόφρων, qui modeſto ſit animo minimeq; elato: ita nihil prodigij fuerit, ſi quis ταπείνωσιν dicat ταπεινοφροσύνην: nos de ſcripturæ uſu loquimur. Cæterùm qui contendunt in cantico Mariæ ταπείνωσιν ſonare modeſtiam animi, quin eadẽ opera ſic interpretantur quod legimus Geneſeos 29. Vidit Dominus humilitatem meam, ταπείνωσιν. Lia non iactat ſuam modeſtiam, ſed quòd ob deformitatem minus eſſet cordi marito, humilitatem appellat. Eundem ad modum Deuteronomij 20. Et reſpexit humilitatem & laborem atque angustiam. An non hîc ταπείνωσιν appellat afflictionem? LE. Vnde igitur iſtis in mentem incidit, ut humilitatem in cantico interpretentur animi modeſtiam? HI. Nihil aliud uideo cauſæ, niſi quòd multi Theologi neglexerint & linguarum peritiam, & Latini ſermonis ſtudium unà cum priſcis eccleſiæ doctoribus, qui ſine hiſce præſidijs ad plenum intelligi non queunt: præterea quòd difficillimum ſit reuellere, ſi quid penitus inſederit animo. Porrò uideas quoſdam tantum ſcholaſticis placitis tribuere, ut malint ad ea detorquere ſcripturam, quàm ad ſcripturæ regulam opiniones humanas corrigere. LEV. At iſthuc abſurdius eſt, quàm quod narrant de regula Leſbia. HIL. Beda monachus non admodùm grauis autor, quoties ab alienis recedit ueſtigijs, ex occaſione dictæ hu-

militatis meminit de superbia. At Theophylactus scriptor Græcus, qui sua ferè ex probatißimis Græciæ scriptoribus hauſit, negat hîc ταπείνωσιν accipi posse pro uirtute. LE. Ad istud probandum quid opus est autoritate, quum ipse sensus communis respuat eam interpretationem. HI. Rectè dixisti. Nam quum modestia sit quodammodo colophon, ac tutatrix omnium uirtutũ, immodestia est, si quis eam de se prædicet. Fatemur quidem in sanctißima Virgine uirtutem hanc fuisse summam & incomparabilem, Christum semper excipio, sed hoc ipso ob modestiam laudabilior est, quòd eam ipsa non laudat, sed agnoscens suæ conditionis humilitatem, mysterij magnitudinem adscribit misericordiæ diuinæ. Maria, inquiunt, per modestiam meruit fieri mater Dei. Donemus hoc aliqua ex parte uerum esse, uerùm quæ tandẽ modestiæ species est, puellam hoc de se prædicare? LE. Quin & ipse cantici tenor declarat illam de sua indignitate loqui, eoq; sic orditur: Magnificat anima mea dominũ. At qui dicit, meruit fieri mater Dei per modestiã, se magnificat, non dominum. Mox subijcitur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce, significat rem subitam & inexpectatam. Non expectat autem summum honorem, qui se nullo honore dignum iudicat. Nec felicitas dicitur, si contingat quod meritis debebatur. Flaccus enim negat se hoc nomine felicem appellandum, quòd à Mecœnate in amicorum numerum adoptatus esset. HI. Quamobrem? LE. Quia iudicio fuit ascitus, non gratuito fauore. Mecœnas hoc illi tribuit, quod eius uirtutibus debere iudicarat. Eôdem pertinet, quod sequitur:

Quia

Quia fecit mihi magna qui potens est,& sanctum nomen eius. Nõ dixit, fecit mihi magna, quia me dignam iudicauit, sed quia potens est,& facit quæcũq; uult,& ex indignis facit suo fauore dignos, & ideo sanctũ nomen eius: sanctum dixit glorioſum. Quantum autem noſtris meritis arrogamus, tantum detrahimus diuini nominis gloriæ. Nam iuxta Paulum, illius potentia per noſtram imbecillitatẽ perficitur. Mox in eo uerſu, Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles, non eſt ταπεινόφρονας, ſed ταπεινὸς, hoc eſt, contemptos iuxta mundũ, ut opponatur potẽtibus. Hunc uerſiculũ iuxta propheticæ eloquutionis morem declarat ſequens: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Quos modò dixerat humiles, hic appellat eſurientes, hoc eſt, tenues: quos modò potentes, hic diuites uocat. Proximo uerſu fit mentio miſericordiæ ſeſe per omnes orbis nationes profundẽtis. In extremo uerſu prædicat fidem Dei in promiſſis, Sicut loquutus eſt, &c. Toto cantico prædicatur gloria, hoc eſt, potentia, bonitas, & ueritas Dei: nulla eſt meritorũ mentio. LE. Sed ut potentiam ac diuitias comitatur ſuperbia, ita paupertas docet modeſtiã. HI. Non equidem inficior iſthuc interdum accidere, ſed uideas plerunque pauperes arrogantiſſimos: ſi negas, obijciam Merdardos multos. Verum demus eſſe quod non eſt perpetuum, nõ iam agitur qualis fuerit ſacratiſſima IESV mater, ſed qualia de ſe prædicarit in hoc cantico. LE. Demiror iſtorũ peruicaciam, qui toties moniti, frequenter etiam irriſi, non reſipiſcant. HI. Quoties moniti ſunt, declamationem eſſe ficti thematis tractationem, ad exercendam dictionis fã-

cultatem adhiberi solitam: & tamen istis declamatio nihil aliud est, quàm sacra cõcio. Quoties inclamatum est illis, cœlibẽ esse, quisquis uxorẽ non habeat, etiam si sexcentas alat concubinas: & tamen cœlibatus istis nihil aliud est quàm continentia & castitas. Idem usu uenit de humilitate, alijsq; similibus quàm plurimis. LE. Vnde stupor tam pertinax? H I. De Merdardis respondeo. Non dederunt à puero operam literis, nec est illis præceptorum aut librorum copia, & si quid istiusmodi facultatis obtigit, malunt abdomini impendere. Sacrosanctam illam uestem existimant abundè sufficere & ad pietatis, & ad eruditionis opinionem. Postremò putant nonnullam esse religionis partẽ, si cum suo Francisco ne Latinè quidẽ loqui sciant. LE. Profectò plurimos noui, qui ista ex parte bellè referant instituti sui principem, qui caperonem dixit pro galero, opinor & uestimẽtibus pro uestibus. At Franciscus cõstanter recusauit presbyteri honorem, quod idem, opinor, fecit Benedictus & Dominicus. Nũc isti cum suis uestimentibus non abhorrent à galero Cardinalitio. H I. Quid ais? Imò ne à corona quidem triplici. At humiles illi pauperis Francisci filij porrigunt calceos suos summis orbis monarchis osculandos. LE. Iam si fuisset facta uilitatis mentio, quid erat piaculi? HI. Nihil si uilem intelligas, qui paruo æstimatur apud homines, aut qui sibi uidetur contemptibilis. Sed quid opus excusare quod dictum non est? LE. Non puduit Merdardũ ad istum mentiri modum? idq; in phano tam celebri, in frequentissima monarcharum synodo, coram tot eruditis uiris, quorum plerique Erasmicas lucubrationes euoluerant? H I. Puduit

duit, ais? Imò sibi uisus est scurra rem palmariam ac triũpho dignam facere. Hoc est quartum Merdardorum uotum, longè tribus illis religiosius, Nihil omnino pudere. LE. Istius profectò pleriq; sunt obseruantißimi. HI. Nec erat simplex mendacium. Primùm Mariæ canticum, ut est à Luca scriptum, manet intactum. Quĩ uerò corrigere dicitur, qui nihil mutat? Déinde uox humilitatis immutata non est, nec ulla usquam uilitatis mentio. Postremò non corrigit canticum, qui bona fide reddit, quod scripsit Lucas, sed explicat. LE. Video triplex mendaciũ effronte scurra dignum. HI. Mane. Nondum audisti, quod est omnium impudentißimum. LE. Etiam'ne amplius? HI. Vociferabatur doctorem illum asinum fuisse principẽ, autorem & antesignanum uniuersi tumultus, quo nunc concutitur orbis Christianus. LE. Quid ais? HI. Huic imputãdum quòd tot sectis dissciditur ecclesia, quòd sacerdotes spoliantur decimis, quòd contemnuntur episcopi, quòd sacrosanctæ pontificis maiestati paßim oppeditur, quòd agricolæ uetus gigãtum exemplum instaurarunt. LE. Ista publicitus? HI. Magnis clamoribus. LE. Atqui longè secus existimant, qui Erasmi libros attentius introspiciũt. Horum plurimi fãtentur se ex illius lucubrationibus hausisse ueræ pietatis semina. Totum hoc incendium per monachos ortum, per eosdem hucusque incanduit, quod non aliter nunc quoque conantur extinguere, quàm si oleum, quod aiunt, addant camino. HI. Vides ὡς κάκιστον θηρίον ἐστὶν ὁ γαστήρ. LE. Rem acu tetigisti. Illi ninirùm expedit in populo Christiano superstitionis esse quàm plurimum, pietatis quàm minimum. Sed quid concio, ferebat'ne

Id est, quàm pessima bestia est uenter.

Cumanum

Cumanum asinum, tam insolenter rudentem è suggesto? HI. *Quidam mirabantur quid accidisset homini. Qui stomachi erant impatientioris surgebant, atque è templo abibant, submurmurãtes, Venimus huc audituri laudes diuæ Virginis, & hic temulentus nobis euomit meras sycophantias. In his erant etiam non paucæ mulieres.* LE. *Atqui solet hoc genus mirè deditum esse isti sodalitio.* HI. *Vera prædicas, sed cœperunt & fœminæ sapere. Eruditi quotquot aderãt, pleriq; ringi, nonnulli etiã subsibilare.* LE. *Non curat asinus sibila, oportuit talem rabulam putribus ouis aut ruderibus è suggesto deturbare.* HI. *Non decrant qui hoc illo dignum existimarent: sed cohibebat illos loci reuerentia.* LE. *Sed loci religio nõ debet his opitulari, qui locum scelere prophanarũt: ueluti qui in templi septis occidunt hominem, non æquum est ut illhic habeant asylum: itidem qui in sacris concionibus & loci religione, & populi patientia stolidè abutitur, huic non oportet esse præsidio, quod ipse sua temeritate prophanauit. Laudatus est à priscis ille, qui eum non habuit pro Consule, cui ipse non esset Senator: nec par est, ut populus eum habeat pro ecclesiasta, cui ipse non est concio.* HI. *Metuunt fulmen episcoporum, Si quis instigante diabolo, &c. nosti legem.* LE. *Sed prius in tales rabulas Episcopi debebant uibrare fulmen.* HI. *Metuunt & illi.* LE. *Quos?* HI. *Illos ipsos rabulas.* LE. *Quamobrem?* HI. *Ob hoc ipsum, quòd rabulæ sunt.* LE. *Apostoli non metuebant regum & præsidum minas, & isti metuunt unum mendicum?* HI. *Sed ob isthuc ipsum magis formidandi, quòd mendici sunt: quod eripiatur non habent, quo*

Siquis suadente. Canon est in Decretis, quo excommunicãtur qui in monachos & sacerdotes manus iecerint.

lædant

lædant habent. Abi tu sodes ad uespparum aut crabronum nidum aliquem, & unam quamlibet ex illis digito contige, ea res si tibi bene succesſerit, redito ad me, & episcopos ignauos appellato, qui refugiant unum mendicum iritare. Romanum pontificem non ne potentißimi Christianæ ditionis monarchæ reuerentur, fortaßis & metuunt? LE. Nec mirum, est enim Christi uicarius. HI. At Alexander sextus, uir nec stultus nec indoctus, fertur ita loqui solitus, se malle è summis monarchis aliquot offendere, quàm unum quemlibet fraterculum ex ordine mendicantium. LE. Omitte pontifices. Quum istius sceleris rumor ad aures principum, qui tum Augustæ erant, dimanasset, non est sumptum de homine supplicium? HI. Indignè tulerunt omnes, sed præcipuè rex Ferdinandus, & huius soror Maria, fœminarum huius seculi decus, Bernardus Cardinalis Tridentinus, Balthasar episcopus Constantiensis: obiurgatus est grauiter ecclesiastes, sed à nullo acrius quàm à Ioanne Fabro Episcopo Viennensi. LE. Quid obiurgatio? asinus non sentit nisi fustem. HI. Præsertim si in uentrem ingeras. Sed quid illi stolido fecissent principes, longè grauioribus curis occupati? LE. Certè submouissent à cõcionandi munere, & suam illi benignitatem subtraxissent. HI. At artifex ille pus suum in ipsam concilij dissolutionem distulerat, quum iam alioqui foret abeundum. LE. Isto quidem pacto dicuntur abire cacodæmones ingenti fœtore relicto. HI. Itaq; dimissus est à rege Ferdinando, sed bene pastus. Nam obiurgatio ne tantillum quidẽ detraxit hominis obesitati. LE. Franciscus dicitur concionatus sororibus auibus, iste dignus uidetur

tur qui concionetur fratribus asinis ac suibus. Sed quò se contulit? HI. Quò, nisi ad suos gregales? à quibus exceptus est ouatione ob rem strenuè feliciterq; gestam, & inter pocula pro, Io triumphe, cantatum est, Te Deum laudamus. LE. Dignissimus est iste Merdardus, qui funem in collo gestet potius, quàm in lumbis. Sed quid imprecemur ististolido gregi, qui tales fouet pecudes? HI. Vix inuenias quod illis imprecceris malum grauius, quàm ipsi accersunt sibi. Si quidem his rationibus maximè traducunt sese, & in bonorum omnium conijciunt odium, efficacius quàm quisquam possit hostis. Sed non est Christianæ mentis cuiquam imprecari malè, illud potius optandum, ut clementissimus rerum formator & reformator, qui ex Nabugodonosor homine fecit bouem, & rursus ex boue fecit hominẽ, quiq; asinæ Balaami dedit hominis linguam, omnes Merdardi similes uertat in melius, detq; illis & mentem, & linguam uiris Euangelicis dignam.

Danielis 4.

Numeri 22.

PHILODOXVS.

PHILODOXVS, SYMBVLVS.

Philodoxus, ambitiosus, gloriæ cupidus.

συμβολος, conciliarius.

PH. Felix auspiciũ interpretor occursum tuum Symbule. SY. Vtinam sit aliquid Philodoxe, in quo tibi queam esse felix. PH. Quid auspicatius, quàm si quis Deus occurrat homini? SY. Equidem nihil isthoc existimarem auspicatius, etiamsi sexcentæ uolitent noctuæ. Sed quem mihi narras Deum? PH. Te inquam Symbule. SY. Me'ne? PH. Te planè. SY. Ego Deos cacantes nunquam feci pili. PH. Si non fallit prouerbium, Deum esse quisquis iuuat mortalem, tu mihi Deus esse potes. SY. De fide prouerbij uiderint alij, ego certè perquàm lubens amico profuero, si queam

Homo homini Deus, uide Chiliades.

si queam. PH. *Non est quod metuas Symbule, haud peto mutuum, sacra res est consilium, eo tantùm me iuua.* SY. *Atqui isthuc ipsum est petere mutuum, quandoquidem hoc officij genus inter amicos ultro citroq; commeare debet, quemadmodũ & cætera omnia. Sed quid est rei in quo meum desideras consilium?* PH. *Piget obscuritatis, cuperem esse celebris, commonstra uiam.* SY. *En tibi compendiariam: Imitare Eroſtratum, qui incendit templum Dianæ, aut huic simillimum Zoilum, qui lacerauit Homerũ, aut aliud aliquod facinus memorabile designa, & ἀοιδιμῶ eris cum Cercopibus ac Neronibus.* PH. *Famam ex scelere parent alij, ego nomen ambio rumoris honesti.* SY. *Talem igitur te præsta, qualis optas prædicari.* PH. *At multis egregia uirtute præditis non contigit nominis celebritas.* SY. *Istud an uerum sit nescio, attamen si id eueniat, quod ais, ipsa uirtus abundè magnum sui præmium est.* PH. *Vera prædicas, planeq; philosophicé. Veruntamen, ut sunt res humanæ, mihi uidetur gloria præcipuum quoddam ornamentum esse uirtutis, quæ non aliter gaudet agnosci, quàm sol amat lucere, uel ob hoc ipsum, ut & prosit quàm plurimis, & quàm plurimos ad sui pelliciat æmulationem. Postremò non uideo quam possessionem speciosiorem parentes liberis suis relinquere possint, quàm honesti nominis immortalem memoriam.* SY. *Vt uideo, gloriam expetis uirtute partam.* PH. *Scilicet.* SY. *Proinde tibi propone literis omnium celebratos, Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminundam, Scipionem Aphricanũ, Catones, Seniorem & Vticensem, M. Brutum, & horũ similes, qui belli domiq; de*

Id est, celebratus perpetuò.

Repub. quàm optimè mereri studuerunt. Hic est enim fe-
racißimus gloriæ campus. PHI. Verùm inter istos cele-
brcs, Aristides ostraciſmo iussus est sõlum uertere, Pho-
cion & Socrates biberunt cicutam, Epaminundas capi-
tis est postulatus, quemadmodum & Scipio: Cato senior
quadragies reus causam dixit, Vticensis sibi mortem cõ-
sciuit, itidem Brutus. Ego gloriam optarem nulla inuidia
contaminatã. SY. At isthuc ne Herculi quidem filio con-
ceßit Iupiter. Nam post tot monstra uirtute domita, cum
excetra fuit extremũ certamen, idq; multò omnium per-
tinacißimum. PH. Ego Herculi suos glorioſos labores
nunquàm inuidebo. Eos demum felices duco, quibus ob-
tigit honestum nomen nulla inuidia contaminatum. SY.
Vis, ut uideo, suauiter uiuere, eò metuis inuidiam, nec id
κάκιστον, pessi-
mum enim est animal. iniuria, κάκιστον γὰρ ἐστι θηρίον. PHI. Sic est. SY. Ergo
λάθε βιώσας. PH. At isthuc est mortuum esse, non uiuere.
λάθε βι. latenter uiue. SYM. Intelligo quid affectes. In sole clarißimo uersari
gaudes absque umbra. PH. Isthuc quidem fieri non po-
test. SY. At nihilo magis fieri potest, ut gloriam conse-
quaris nulla contaminatam inuidia. Rectè facta ultro se-
quitur gloria, gloriam comitatur inuidia. PHI. Atqui
posse gloriam absque inuidia contingere docet nos senex
ille comicus, Ita ut facillimè sine inuidia laudem inuenias,
& amicos pares. SY. Si ista laude cõtentus es, quam tu-
lit Pamphilus adolescens obsequijs, & morum commodi-
tate, poteris eodem è loco petere rationes assequendi
quod expetis, unde decerpsisti sententiã. In omni re me-
mento, ne quid nimis. Sed tamen mediocriter omnia: esto
facilis in perferendis aliorum moribus, ad leuiora uitia
conni

conniuens, ne sis præfractus, tuæq; sententiæ nimium tenax, sed aliorũ studijs temet accõmoda: nulli lædas os, sed comem te præbeas omnibus. PH. Adolescentiæ fauent pleriq;, nec magni negotij sit tum istam parare laudem: ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per uniuersum orbem resonet, quodq; cum ætate semper fiat illustrius, atq; à funere tandem clarius elucescat. SY. Equidem laudo generosam istam indolẽ tuam Philodoxe. Cæterùm si cupis gloriam uirtute partam, præcipua uirtus est negligere gloriam: & summa laus est, non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientẽ. Videndum est igitur, ne quò impensius ista ambis, hoc frustrere magis. PH. Non sum Stoicus ἀπαθὴς, tangor humanis affectibus. SY. Si te profiteris hominem, nec ea recusas quæ sunt humanæ sortis, quur ea uenaris, quæ nec Deo contingunt? Nosti enim Theocriticũ illud non minus uerè quàm scitè dictũ, Iouem nec pluuium, nec serenum placere omnibus. PH. Non est fortassis ignis absq; fumo, sunt tamen ἀκαπνα. Si non potest obtineri, quin aliqua liuoris nubecula obscuretur hominis gloria, arbitror tamen esse rationes, quibus fiat, ut quàm minimum inuidiæ sit admistum. SY. Eas igitur tibi uis commostrari? PH. Percupio. SY. Modicè uirtutem exere, & minus grauaberis inuidia. PH. At gloria nisi sit insignis, non est gloria. SY. Ecce tibi certissimam uiam. Designa præclarum aliquod facinus, & morere, & citra inuidiam celebraberis cum Codris, Menœceis, Iphigenijs, Curtijs ac Decijs.

Id est, affectibus carens.

Id est, citra fumum.

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit.

PH. Equidem, ut ingenuè quod res est fatear, cupio libe-

ris ac nepotibus meis honesti nominis hæreditatem relinquere: uerùm huius rei fructum uiuus apud uiuos aliquandiu decerpere cupiam. SY. Agè, non te suspendam amplius. Certissima ad illustre nomen est uia bene mereri, cum priuatim de singulis, tum publicitus de uniuersis. Id partim fit officijs, partim benignitate. Benignitas sic temperanda est, ne cogaris ab alijs rapere, quod alijs suppedites. Nam ex huiusmodi largitionibus plus odij nascitur apud probos, quàm fauoris apud improbos. Porrò ab improbis laudari, infamia uerius est, quàm gloria. Adhæc, benignitatis fons largiendo exhauritur, porrò beneficentia, quæ constat officijs, fundum non habet, imò quò largius hinc hauritur, hòc scatet uberius. At hîc multæ res sunt quæ & inuidiam mitigant, & famæ celebritatem illustrant, quas nemo sibi præstare ualet, sed contingunt gratuito fauore numinis.

Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus.

At formam corporis sibi nemo largitur. Adfert secum dignitatis plurimũ generis claritudo. At hæc quoq; fortunæ munus est. Idem sentiendũ de diuitijs, quæ rectè factis partæ ab auis atq; atauis ad nos deuenerunt. Ne hoc quidem quisquam sibi præstat. Huius generis sunt & ingenij dexteritas, ac dicendi gratia, lepos & comitas non ascita, sed ingenita. Postremò decorum quoddam arcanũ atq; etiam felicitas, cuius effectum in multis uidemus quotidie, causam reddere nemo potest. At non frequenter conspicimus eadem geri dici ue, à diuersis, & magnam inire gratiam qui peius gesßit, dixit ue, quũ is qui melius rem egerit, pro gratia referat odium. Hoc prisci quidam ad genios

rios referebant. Dicebant enim in ea re quenq; fortunatũ esse, ad quam natus esset: contrà parum succedere, quod quis inuita Minerua iratoq; genio tentaret. PHI. Hîc igitur nullus est consilio locus? SYM. Vix ullus. Attamen qui sagaces sunt, deprehendunt in pueris aut adolescentibus notas quasdam, quibus coniecturam facere liceat, ad quæ studia, quod'ue uitæ genus, quas'ue actiones sint idonei. Idem indicat in nobis arcanus quidam animi sensus, quo à quibusdam abhorremus nulla euidente causa, ad quædam item miro impetu rapimur. Hinc est quòd alius feliciter tractat rem militarem, alius dexter est in negotijs politicis, alium dicas ad studia natum. Quanquam & in his mira uarietas, nimirum tanta, quanta est functionum diuersitas. Alium natura genuit imperio, alium uoluit esse fortem militem: cui plurimum indulsit, ei concessit, ut iuxta Homerum, pariter & bonus sit lancearius, et egregius dux. Itidem in rebus ciuilibus, alius uaelet in consilio, alius in agendis causis excellit, alius obeundis legationibus & gaudet, & feliciter rem gerit. De studiorum uarietate quid attinet dicere? Sunt qui sic rapiantur ad institutũ monasticũ, nec ad quoduis, sed uel ad hoc uel illud, ut uitã sibi putent acerbam, nisi, quod optant, assequantur. Sunt è diuerso qui mirum in modũ abhorrent, ut mori ducant potius, quàm fieri monachũ, nec id odio faciũt aut certa ratione, sed arcano quodã naturæ sensu. PHI. Ista quidem in compluribus ita ut narras, & comperi nonnunquam, & frequẽter admiratus sum. SY. In his igitur bonis, quæ nobis gratuitò largitur naturæ benignitas, multò minus oritur inuidiæ, si fastus absit & ostẽtatio. Amabilior

bilior enim est forma, aut nobilitas, aut opulentia, aut facundia in his qui se his bonis præcellere quasi nesciunt. Comitas autem & modestia nihil imminuunt hæc commoda, sed ut gratiam addunt, ita depellunt inuidiam. Hæc autem comitas & morum suauitas oportet in omnibus uitæ actionibus sit perpetua, nisi prorsus repugnat Minerua. Nam frustra, ut opinor, tentaret Xenocrates, quod succesßit Socrati ac Diogeni: frustra moliretur Cato Censorius, quod Lælium fecit gratiosum. Attamen Demea ille Terentianus subitò mutatus, satis declarauit quantum ad conciliandum beneuolentiam habeat momenti, studijs & affectibus omnium obsequundare. Verum quoties à recto receditur, iam & à uera gloria ad temporarium hominum fauorem degeneratur. Cæterum ea demum gloria perpetua est, quæ honesti radicibus nititur à iudicio rationis profecta. Nam affectus temporarios habent impetus, qui simulatq; relanguerint, odisse cœpimus quod antè uehementer arrisit, ac proinde plausus uertitur in sibilum, laus in uituperium. Cæterum ut ingenium prorsus inuerti non potest, ita potest aliqua ex parte corrigi. PH. Expecto quid dicas. SY. Quinatura blandior est, is cauere potest, ne dum apud omnes gratiosus esse studet, deflectat ab honesto, neue dum sese quibuslibet accommodat Polypum imitatus, sibi parum constet. PH. Tales noui permultos lubricæ fidei & erubescendæ uanitatis. SY. Rursus qui seueriore sunt ingenio, dare operam oportet, ut sic affectent comitatem, ne quod agunt, uideatur simulatum, aut subinde ad naturam suam recurrant, pro laude geminum dedecus sibi cõparaturi

turi, & quòd interdum rigidius agant, & quòd sint inconstantes. Tantam enim uim habet constantia, ut qui uitiosam nacti sunt naturam, tamen ob hoc ipsum leuius ferantur, quòd nusquam sunt sui dissimiles. Fucus autem simulatq; suboluit, etiam in benefactis gignit odium: porrò quod simulatum est, perpetuò latêre non potest, aliquando erumpat oportet: quod ubi factum fuerit, semel euanescit omnis ille magnificus gloriæ fumus, atq; etiam in fabulam uertitur. PH. Illud igitur, ut uideo, mones, à natura minimum, ab honesto minimè recedendũ esse. SY. Tenes. Ad hæc scis, quicquid subitò inclarescit, obnoxium esse inuidiæ. Inde uox odiosa νεοπλούτου apud Græcos, apud Romanos nouorum hominum cognomen, apud utrosq; terræ filiorum, & è cœlo delapsorũ. Cæterum fama, quæ paulatim nascitur, & augescit, quemadmodum minimum habet inuidiæ, ita maximè durabilis est, ut indicat hoc, ille poëtarum acutißimus Horatius, Crescit occulto uelut arbor æuo, Fama Marcelli. Proinde si ueram, si perpetuam, si liuori quàm minimum expositam gloriã expetis, auscultа Socrati, qui dixit, quibusdam usu uenire, ut dum nimium properant initio, serius perueniant ad finem. PH. Sed hominum uita breuis est. SY. Ergo ad benefacta properandum non ad gloriam, quæ sua sponte consequitur. Non enim id consulis, opinor, quibus rationibus longæuus fieri possis. Nam isthuc Parcarum munus est, quæ fila ducunt & amputant, quum ipsis est uisum. PH. Vtinam isthuc quoq; possis. SY. Nunquàm, ô Philodoxe, diui tam fuerunt benigni, ut uni darent omnia. Quod annis detrahunt, nominis splendore pensant.

Id est, repentè locupletati.

Quibusdam, sed paucissimis, tam indulgenter fauent, ut uiui, sibiq; quodã modo superstites, posteritate sua fruantur. Sed rari sunt, Quos equus amauit Iupiter. Hoc fortassis aliqui dijs geniti potuere, uerùm ista felicitas non cadit in hanc consultationẽ. PH. *Sæpe mecũ admirari soleo, seu fortunæ seu naturæ inuidentiam, quæ nihil omnino cõmodi largitur mortalibus, quod non aliquo temperet incommodo.* SY. *Quid igitur superest amice, nisi ut homines nati, sortem humanam æquo feramus animo? Iam & illud haud mediocriter conducit ad leniendam inuidiam, si penitus cures habere perspecta nationum, ordinum & singulorum hominum ingenia, nimirum ad eorum exemplum, qui bestijs cicurandis alendisq; dant operam. Siquidem horum præcipuum est studium, animaduertere quibus rebus quodq; animal uel efferetur, uel deleniatur. Non iam loquor tantùm de discrimine quod est inter auem & quadrupedem, inter serpentẽ & piscem, aut quod est inter aquilam & uulturem, inter elephantum & equum, inter delphinum & phocam, inter uiperam & aspidem, sed de innumera uarietate, quæ est in singulis animantium generibus.* PH. *Expecto quò sis euasurus.* SY. *Omnes canes sub una specie continentur, sed hæc species quàm in innumeras formas distrahitur, ut dicas illos genere distingui, non specie. Iam prorsus in eadem specie quàm uarij sunt canum mores & ingenia?* PH. *Immensa uarietas.* SY. *Quod de canibus dictum est, de singulis animantium generibus dictum puta, sed in nullo magis elucet discrimen quàm in equis.* PH. *Vera prædicas, sed quorsum hæc?* SY. *Quicquid in animantium generibus uel*

in for

in formis, uel in singulis animantibus uarietatis est, hoc omne puta esse in homine. Illhic reperies lupos uarios, canes inenarrabili uarietate, elephantos, camelos, asinos, leones, oues, uiperas, simios, dracones, aquilas, uultures, hirundines, hirudines, & quid non? PH. *Quid tum?* SY. *Nullum autem est animal tam efferum, quin arte tractatum aliquam de se præbeat utilitatem, aut certè non lædat.* PH. *Nondum perspicio quid agas.* SY. *Est nonnihil discriminis inter Hispanum, Italum, Germanum, Gallum & Anglum.* PH. *Est planè.* SY. *Adhæc, est singulis in unoquoque genere peculiare quoddam ingenium.* PH. *Fateor.* SY. *Hanc uarietatem si sagaciter habueris animaduersam, & singulorum moribus te accommodes, perfacilè consequeris, ut aut omnes habeas amicos, aut certè nullos inimicos.* PH. *Si Polypum me fieri iubes, ubi rectum & honestum?* SY. *Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto uitiat honestum: quod genus, apud Italos osculo salutant uiri uiros. In Germania si facias idem, absurdum uideatur, sed pro osculo dextram porrigunt. Rursus in Anglia uiri salutant mulieres etiam in templo obuias: idem si fiat in Italia, flagitium habeatur. Item in Anglia porrigere poculum tuum interueniēti in conuiuio ciuilitatis est, in Gallia contumeliæ est. In his & alijs huiusmodi, citra recti iacturam licet omnibus obsequundare.* PH. *At perdifficile sit omnium gentium mores, ac singulorum hominum ingenia nosse.* SY. *Verum ô Philodoxe, si gloriam insignem quæris, camq; uirtute partam, necesse est ut uirtutem quoq; præstes non uulgarē. Si autem*

uirtutem circa difficilia uersari, quemadmodum ante Peripateticum illum docuit Hesiodus: proinde si mel cupis, apes feras oportet. PH. Scio, & memini, si mitigandæ inuidiæ rationem quærimus. SY. Proin da operam, ut in bello dux esse malis quàm miles, & in eo bello quod gerendum cum inuisis hostibus, potius quàm cum ciuibus, aut socijs. In Republica ea potissimũ munia capesse, quæ popularia sunt & gratiosa. Velut, defendere popularius est, quàm accusare: honorare, quàm punire. Quòd si qua incidunt, sicut incidere necesse est, natura molesta, tamen ea quoq; si uitari non possunt, commoditate sunt lenienda. PH. Quo pacto? SY. Sedes iudex aut arbiter, altera pars nonnihil offendenda est, sed ea rem æquitate geras, ut si fieri posit, etiam uictus gratias agat. PH. Quî sic? SY. Puta: Intenditur actio furti aut sacrilegij, muta, si potes, actionis formulam, & fac ut sit actio rei uindicandæ. Hic protinus ita reum subleuas, ut nihil tamen decedat actori. Porro actionem omnem sic moderare, ut citra actoris dispendium reo uidearis æquus. Postremò damnati pœnam nonnihil mitiga. Absit interim aut ultus toruitas, aut uerborum acerbitas, aut morositas, quæ res faciunt, ut quidam peiorem ferant gratiam pro dato beneficio, quàm alij pro negato. Interdum monendus est amicus, sed si nulla spes emendationis, silere præstat. Si res grauior est, & spes est profectus, magni refert qualis sit admonitio. Nam sæpenumero fit, ut qui sinistrè aut intempestiuè admonet, & morbum exasperet, & ex amico reddat inimicum. Hæc dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum principe. Nam horum affectibus non-

nunquam

nunquam incidit, ut sit resistendum. Quod si fit comiter ac dextrè, paulò pòst qui obstitere, plus ferunt gratiæ, quàm qui obsecundarunt. Quod enim cupiditati placet, temporarium est: quod recta ratione geritur, perpetuò probatur. Longè uerò maxima pars inuidiæ nascitur ex intemperantia linguæ. Quantum odij nonnunquam unica uox temere excidens concitat nonnullis. Quàm multis dictum aut iocus intempestiuus fuit exitio. Laudabis igitur, sed dignos, idq; parcè: sed uituperabis parcius, si tamen omnino quispiam uituperandus est, proinde uitanda loquacitas. Difficilimum enim sit, simul & multa opportunè dicere. PH. Assentior istis omnibus. Sed mihi uidetur præcipua ad parandam nominis celebritatem uia, scribere libros. SY. Vera prædicas, nisi quòd obstat scribentium turba. At si ista placet ratio, cura ut exactè scribas potius, quàm multa. Cum primis autem argumentum delige neque protritum, neque cum multis commune, ad hæc, minimè inuidiosum: in id quicquid insigne complurium annorum lectione contractum est, conferas: tractatione uerò tale reddes, ut uoluptatem habeat cum utilitate coniunctam. PH. Prudenter tu quidem Symbule, meóque animo feceris satis, si unum illud adieceris, quibus rebus effici possit, ut maturius etiam contingat gloria. Multos enim uideo, qui uix sub obitũ inclarescunt, nonnullos à rogo, quod aiunt, demum innotescere. SY. Hìc quod consulam nihil habeo melius, quàm quod tibicen suasit tibicini. Fac ut his teipsum probes, qui gloria iam uicerunt inuidiam, in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te prædicatio facilè populare stu-

dium tibi conciliabit. PH. *At si quando exoriatur inuidia, quid ostendis remedij?* SY. *Fac quod solent hi qui picem coquunt: si flamma effulserit, infundunt aquam, ac tum magis efferatur ac stridet incendium, ni id facias constanter ac sæpius.* PH. *Quid istud ænigmatis est?* SY. *Inuidiam oborientem beneficijs obrue potius, quàm uindicta. Nihil egit Hercules resectis Hydræ Lerneæ capitibus, igni Græco deuicit exitiabile monstrum.* PH. *Sed quem uocas ignem Græcum?* SY. *Qui ardet etiam in medijs aquis. Eum adhibet, qui lacessitus iniuria malorum, non cessat tamen de omnibus bene mereri.* PH. *Quid ego audio? beneficentia igitur nunc aqua est, nunc ignis?* SY. *Quid uetat? quando Christus in allegorijs nunc sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dixi sedulò. Siquid melius eris nactus, sequitor, meumq; repudiato consilium.*

OPVLENTIA SORDIDA.

IACOBVS, GILBERTVS.

θύαρ, pellis sicca, siue tenue illud serpentis exuuiũ. de quo puerb. Leberide nudior. Chilia. 1. centur. 1. prouerb. 16.

IA. *Vnde nobis tam exuccus, quasi cum cicadis interea rore sis pastus? mihi nihil aliud, quàm syphar hominis esse uideris.* GI. *Apud inferos umbræ malua & porro sacrificantur: at ego decem uixi menses, ubi ne id quidẽ contigit.* IA. *Vbi nam, te quæso, num abreptus in nauem galeatam?* GI. *Nequaquam, sed Synodij.* IA. *In urbe tam opulenta, bulimia periclitatus es?* GILB. *Maximè.* IAC. *Quid in causa? An deerat pecunia?* GI. *Nec pecunia, nec amici.* IA. *Quid igitur erat mali?* GI. *Mihi res erat cum hospite Antronio.* IA. *Cum illo opulento?* GI. *Sed sordidissimo.* IA. *Monstri simile narras.* GI. *Minimè, sed sic fiunt diuites, qui è summa emergunt inopia.* IAC. *Quid*

ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari? GILB. Erat quod alligaret, & sic tunc erat animus. IA. Sed dic obsecro, quo tandem uiuit ille apparatu? GILB. Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse iucunda commemoratio. IA. Mihi certè futura est. GIL. Illud ὑπερνόθεν acceßit incõmodi, quũ illhic agerem, totos tres menses spirabat Boreas, nisi quòd illhic nescio quo pacto nunquam perseuerat ultra diem octauum. IA. Quomodo igitur spirabat totos tres menses? GI. Sub eum diem uelut ex constituto mutabat stationem, sed post horas octo migrabat in locum priorem. IAC. Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento. GI. Satis erat ignis, si suppetisset lignorum copia. Verum ne quid hic faceret impendij noster Antronius, ex rusculis insularibus euellebat arborum radices ab alijs neglectas, idq; ferè noctu. Ex his nõdum bene siccis struebatur ignis non absq; fumo, sed sine flamma, non qui calefaceret, sed qui præstaret, ne uerè dici posset ibi nullum esse ignem. Vnicus autem ignis durabat totum diem, adeò temperatum erat incendium. IAC. Illhic hybernare durum erat. GI. Imò multò durius æstiuare. IA. Quî sic? GI. Quoniam ea domus tantum habebat pulicum ac cimicum, ut nec interdiu quietum esse, nec noctu somnum capere liceret. IA. Diuitias miseras. GIL. Præsertim in hoc pecoris genere. IA. Oportet illhic ignauas esse fœminas. GI. Latitant, nec inter uiros uersantur. Ita fit ut illhic & fœminæ nihil aliud sint quàm fœminæ, & uiris desint ea ministeria, quæ solent ab eo sexu suppeditari. IA. Sed Antronium interim non pigebat tractationis? GI. Illi in huiusmodi sordibus educato præter

Id est, cœlitus.

lucrum

lucrum nihil erat dulce. Vbiuis potius habitabat, quàm
Apelles. domi, nulla in re non negotiabatur. Scis autem eam urbem esse præ cæteris Mercurialem. Pictor ille nobilis deplorandum existimauit, si dies abijsset sine linea: Antronius longè magis deplorabat, si dies præterijsset absque lucro. Quod si quando euenisset, domi quærebat Mercurium. IA. Quid faciebat? GI. Habebat in ædibus cisternã ex eius ciuitatis more, illhic hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in uasa uinaria. Hìc erat certum lucrum. IA. Fortasse uinum erat æquo uehementius. GI. Imò plus erat, quam uappa. Nunquàm enim emebat uinum nisi corruptum, quò minoris emeret: ex eo ne quid periret, subinde fæces annorum decem miscebat, uoluens ac reuoluens omnia, quò mustum uideretur: neque enim ille passus fuisset ullam fæcis micam perire. IA. At si qua fides medicis, tale uinum gignit uesicæ calculos. GI. Non errant medici: nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin unus atq; alter calculo periret, nec horrebat ille funestam domum. IA. Non? GI. Etiam à mortuis colligebat uectigal. Nec aspernabatur quamuis exiguum lucellum. IA. Dicis furtum. GI. Lucrum uocant negotiatores. IA. Quid interea bibebat Antronius? GI. Idem ferme nectar. IA. Non sensit malum? GI. Durus erat, qui uel fœnum esse posset, & talibus, ut dixi, delicijs fuerat à teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. IA. Quid ita? GI. Si supputes uxorem, filios, filiam, generum, operas, & famulas, alebat domi ferè corpora triginta tria. Iam quo uinum erat dilutius, hòc & parcius bibebatur, & serius exhauriebatur. Hìc mihi subducito

cito, in singulos dies addita aquæ situla, quàm non pœnitendam summam conficiat in annum. IA. O sordes. GI. Atqui non minus compendij redibat ex pane. IA. Quo pacto? GI. Emebat triticum uitiatum, quod alius noluisset emere. Hic præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterum uitio medicabatur arte. IA. Qua tandem? GI. Est argillæ genus frumento non dissimile, quo uidemus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis ea argilla turbidis bibunt libentius. Eius terræ tertiam partem admiscebat. IA. Est isthuc medicari? GI. Certè tritici uitium minus sentiebatur. An hoc quoq; lucrum putas aspernandum? Adde iam aliud stratagema: domi panè subigebat, nec id crebrius, etiam æstate, quàm bis in mense. IA. Isthuc est lapides apponere, non panes. GI. Aut si quid lapide durius. Sed huic quoq; malo erat paratum remedium. IA. Quodnam? GI. Fragmenta panis immersa cyathis uino macerabant. IA. Similes habebant labra lactucas. Sed ferebant talem tractationem operæ? GI. Primum narrabo primatum eius familiæ apparatum, quò facilius diuines, quomodo tractentur operæ. IA. Audire cupio. GI. De ientando nulla erat illhic mentio, prandium ferè differebatur in horam à meridie primam. IA. Quam ob rem? GI. Expectabatur Antronius paterfamiliâs. Cœnabatur interdum ad horam decimam. IA. At tu solebas esse inediæ impatientior. GI. Eoq; subinde clamabam ad Antronij generum Orthrogonum: agebamus enim in eodem conclaui: Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodos? Commodè respondit, breui adfuturum Antronium. Quum nihil uide-

rem

rem apparati, & latraret stomachus, Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum fame? Excusabat horam, aut aliud simile. Quum non ferrem stomachi latratum, rursus interpellabam occupatum, Quid futurum est, inquam, erit'ne moriendum fame? Vbi iam Orthrogonus consumpsisset omnem tergiuersationem, abijt ad famulos, iussitq; adornari mensam. Tandem quum nec rediret Antronius, nec quicquam appararetur, Orthrogonus uictus conuicijs meis descendebat ad uxorem & socrum ac liberos, clamitans ut appararent cœnam. IAC. Nunc saltem expecto cœnam. GIL. Ne propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodum dissimilis Vulcano, insternit mensam linteo. Ea prima cœnæ spes. Tandem post longam uociferationem afferuntur phialæ uitreæ, cum aqua sanè limpida. IA. Altera cœnæ spes. GI. Ne propera inquam. Rursum post atroces clamores adfertur phiala illius nectaris fæculenti plena. IA. O factum bene. GI. Sed sine pane. Nihil adhuc periculi, nemo famelicus bibat lubens tale uinum. Clamatum est iterum usq; ad rauim. Tum demum apponitur panis ille, quem uix ursus dentibus frangeret. IAC. Certè iam uitæ consultum est. GI. Sub multam noctem tandem uenit Antronius, hoc ferè proœmio inauspicacissimo, ut diceret, sibi dolere stomachum. IA. Quid hic mali auspicij? GI. Quia tunc nihil erat quod ederetur. Quid enim expectes hospite malè affecto? IAC. Dolebat re uera? GI. Adeò ut solus deuoraturus fuerit tres capos, si quis dedisset gratis. IA. Expecto conuiuium. GI. Primùm ipsi apponebatur patina cum farina fabacea, quod obsonij genus illhic uul-

gò

gō uenditur tenuibus. Aiebat se hoc uti remedio aduersus omne morbi genus. IAC. Quot eratis conuiuæ? GI. Interdum octo aut nouem, inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filius familiâs natu maior. IA. Quid illis apponebatur? GI. An non satis est frugi hominibus, quod Melchisedec obtulit Abrahæ quinq; regum uictori? IA. Nihil igitur obsonij? GI. Erat nonnihil. IA. Quodnam? GI. Memini nos fuisse in mensa conuiuas numero nouem, quum in patina non numerarem nisi septem foliola lactucæ aceto innatantia, sed absq; oleo. IA. Solus igitur ille deuorabat suas fabas? GI. Vix semiobolo emerat, nec tamen uetabat, si quis proximè assidens uellet gustare, sed inciuile uidebatur, languido suum eripere cibum. IA. Secabantur folia, quemadmodum de cumino meminit prouerbium? GI. Non, sed lactucis à primoribus absumptis, reliqui panem immergebant aceto. IA. Quid autem post septem folia? GI. Quid? nisi caseus conuiuiorum clausula. IA. Hiccine erat apparatus perpetuus? GI. Propemodum, nisi quòd interdum, si eo die Mercurium fuisset expertus propitiū, erat paulò profusior. IA. Quid tum? GI. Iubebat emi tres uuas recentes uno æreo nummulo. Ea res exhilarabat totā familiam. IA. Quid ni? GI. Id eo duntaxat tēpore, quo summa est uuarū ibi uilitas. IA. Proin extra autumnū nihil profundebat. GI. Profundebat. Sunt illhic nauiculatores, qui concharū minutū genus hauriunt, potissimū è latrinis: hi clamore certo significāt quid habeāt uenale. Ab his interdū iubebat emi dimidio nūmuli, quē illi bagathinū appellant. Tum uerò dixisses, in ea familia esse nuptias. Nā igni

Genes. 14.

erat

erat opus, licet celerrimè percoquantur. Atque hæc quidem post caseum loco bellariorum. IA. Bella mehercle bellaria. Sed nihil unquam apponebatur carnium aut piscium? GI. Tandem uictus meis clamoribus cœpit esse splendidior. Quoties autem uideri uolebat Lucullus, hi ferme erant missus. IA. Isthuc uerò lubens audiero. GI. Primo loco dabatur iusculum, quod illi nescio, quam ob causam appellant ministram. IA. Lautum, opinor. GI. His conditum aromatibus. Admouetur igni cacabus aqua plenus, in eam conijciuntur aliquot fragmenta caseibalini, qui iam olim in saxum induruit. Nam ad defringendum aliquid bona securi opus est. Cùm ea fragmenta tepore aquæ solui cœperint, inficiunt eam, ne possit mera dici aqua. Hoc iusculo præparant stomachum. IAC. Suibus dignum. GI. Dein apponitur paululum carnium de uentre ueteris uaccæ, sed elixum ante dies quindecim. IA. Fœtet igitur. GI. Maximè, sed adhibetur remedium. IA. Quodnam? GI. Dicam, sed uereor ne imitaturo. IA. Scilicet. GI. Miscent ouum aquæ calefactæ, eo iure perfundunt carnem, ita magis falluntur oculi, quàm nares. Nam fœtor erumpit per omnia. Si dies requirit esum piscium, interdum apponuntur auratæ tres, nec hæ magnæ, quum conuiuæ sint septem aut octo. IA. Præterea nihil? GI. Nihil nisi caseus ille saxeus. IA. Nouum mihi narras Lucullũ. Sed quî potuit tam exilis apparatus tot sufficere conuiuis, præsertim nullo refectis ientaculo? GI. Imò ne sis insciens, ex eius cõuiuij reliquijs alebantur, socrus, nurus, filius natu minor, famula & aliquot paruuli. IA. Tu quidẽ admirationẽ meã auxisti, non ademisti. GI.

Isthuc

Isthuc tibi uix possum describere, nisi prius ordinem conuiuij depinxero. IA. Pinge igitur. GI. Antronius obtinebat primum locũ, nisi quòd ego illi sedebam dexter, uelut extraordinarius: è regione Antronij Orthrogonus, Orthrogono assidebat Verpius, Verpio Strategus natione Græcus, Antronio sinister assidebat filius natu maior. Si quis accessisset conuiua, ei locus dabatur pro dignitate. Primùm de iure minimum erat uel periculi uel discriminis, nisi quòd in procerum discis natabant fragmenta bubalini casei. Cæterùm ex phialis uini aquæq; ferme quatuor uallum quoddam fiebat, ut nemo posset attingere quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis sustinuisset esse impudentissimus, & transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, ut aliquid superesset familiæ. IA. Quid igitur edebant reliqui? GI. Suo more deliciabantur. IA. Quî? GI. Panem illum argillaceum macerabant uino fæcis uetustissimæ. IA. Tale conuiuium oportuit esse perbreue. GI. Frequenter hora prolixius. IA. Quî potuit? GI. Sublatis, ut dixi, mox, quæ non carebant periculo, ponebatur caseus, unde nullum erat periculum, ne quisquam ullo cultello escario quicquam abraderet. Manebat illa præclara fæx, & suus cuiusque panis. Atque inter hæc bellaria tutò miscebãtur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus. IA. Quid interim operæ? GI. Nihil habebãt nobiscum commune, suis horis sibi prandebãt ac cœnabãt. Sed hi cibo capiendo uix semihorã impendebant toto die. IA. Verum apparatus cuiusmodi? GI. Isthuc tuum est diuinare. IA. At Germanis uix sufficit hora in ientaculũ, tantundem

in merendam, sesquihoræ in prandium, duæ horæ in cœnam, ac nisi affatim expleantur eleganti uino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, & fugiunt in bellum. GI. *Suus cuiq; genti mos est. Itali minimùm impendunt gulæ, pecuniam malunt, quàm uoluptatem, & sobrij sunt natura quoq;, non solùm instituto.* IA. *Nunc profectò non miror te nobis rediisse tam exilem, sed omnino uiuum rediisse demiror, præsertim quum antea capis, perdicibus, turturibus & phasianis assueuisses.* GI. *Planè pereram, nisi repertum fuisset remedium.* IA. *Malè res agitur, ubi tot remedijs est opus.* GI. *Effeceram ut mihi iam languescenti in singula cõuiuia daretur quarta pars pulli elixi.* IA. *Nunc incipies uiuere.* HI. *Non admodùm. Emebatur pullus exiguus, ne multùm impenderetur, cuiusmodi sex non sufficerent uni boni stomachi* Polono *in icentaculũ. Nec empto dabant cibum, ne quid esset impendij, itaq; macie enecti ac semiuiui coquebatur ala aut poples, iecur dabatur* Orthrogoni *filio infanti. Ius autem semel atque iterum ebibebant mulieres subinde noua infusa aqua. Itaque poples ad me ueniebat pumice siccior, & quouis putri ligno insipidior. Ius nihil erat nisi mera aqua.* IA. *Et tamen audio illhic auium genus & copiosissimum esse, & elegans, & uile.* GI. *Est prorsus, sed illis carior est pecunia.* IA. *Satis dedisti pœnarum, etiam si Romanũ* Pontificẽ *occidisses, aut si minxisses ad sepulchrum diui Petri.* GI. *Sed audi reliquum fabulæ. Scis esse in quaq; hebdomada quinq; dies, quibus uescimur carnibus.* IA. *Nimiùm.* GI. *Duos itaq; pullos duntaxat emebant. Die Iouis se fingebant oblitas emere, ne uel totũ pullũ eo dic appone-*

rent

rent,uel aliquid supereſſet. IA. Næ iſte Antronius ſuperat etiam Euclionem Plautinum. Sed piſcarijs diebus quo remedio conſulebas uitæ? GI. Amico cuidam dederam negotiũ, ut mihi meo ære in ſingulos dies emeret oua tria, duo in prandium, unum in cœnam. Sed hic quoq; fœminæ pro recentibus carè emptis ſupponebant ſemiputria, ut mecũ præclarè crederem actum, ſi ex tribus unũ eſſet quod edi poſſet. Tandem & utrem uini purioris mea pecunia emeram, cæterùm mulieres effracta ſera intra paucos dies exorbuerunt, non admodùm irato Antronio. IA. Itáne nullus erat illhic, quẽ tui miſereſceret? GI. Miſereſceret? Imò uidebar illis gluto quiſpiã, & helluo, qui tantum ciborum unus deuorarem. Itaque ſubinde me admonebat Orthrogonus, haberem eius regionis rationem, meæq; conſulerem incolumitati, & aliquot noſtrates commemorabat, quibus illhic edacitas cõciliaſſet aut mortẽ, aut morbum grauiſsimum. Quum is me uideret delicijs quibuſdam, quas illhic ex nucleis pinceis, aut peponũ, melonumq; uenditant pharmacopolæ, fulcire corpuſculum, & aſſiduis laboribus, & inedia, & iam etiam morbo fractum, ſubornat medicum mihi amicum & familiarem, ut perſuadeat uictus moderationem. Egit hoc mecum diligenter. Mox que ſenſi ſubornatum, nec reſpondi tamen. Quum idem accuratius mecum ageret, nec admonendi faceret finem, Dic, inquam, mihi uir egregie, ſeriò iſthæc loqueris, an ioco? Seriò, inquit. Quid igitur ſuades ut faciam? A cœnis in totum abſtine, & uino adde, ut minimùm, aquæ dimidium. Riſi præclarum conſiliũ. Si me cupis extinctũ, huic corpuſculo, & raro & exili, & ſpiri-

tibus subtilißimis, uel semel à cœna abstinere mors esset: id toties ipsa re compertum habeo, ut non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic prandius à cœna temperem? Et tali uino iubes addi aquam? Quasi non præstaret puram aquã bibere quàm fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui iusserit Orthrogonus. Subrisit me dicus, ac mitigauit consilium. Non hæc loquor, inquit, Gilberte doctißime, quòd in totum arceam te à cœnis, licebit gustare ouum, & semel bibere: sic enim ipse uiuo. In cœnam coquitur ouum, inde capio uitelli dimidium, reliquum do filio, mox hausto semicyatho uini, studeo in multam noctem. IA. Num isthæc uera prædicabat medicus? GI. Verißima. Nam ipse fortè per uiã ambulans, redibã à sacro, & comes admonuerat illhic habitare medicum, libuit uidere regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsaui fores, apertæ sunt, ascendi, offendo medicũ cum filio, & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo oua, præterea nihil. IA. Oportuit esse exangues homines. GI. Imò ambo erant pulchrè habito corpore, colore uiuido ac rubido, oculis lætis. IA. Vix credibile est. GI. At ego compertißima narro. Nec ille solus ad istum uiuit modum, sed complures alij, & imaginibus clari, & re lauta. Polyphagia & polyposia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturæ. Si quis paulatim assuescat, tandem eò proficiet, ut idem faciat quod Milo, qui bouem eodem die totum absumpsit. IA. Deum immortalem, si tam paruo uictu liceat tueri ualetudinem, quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis, & Polonis? GI. Plurimùm haud dubiè, & quidem non sine graui

tum

tum ualetudinis, tum ingenij detrimẽto. IA. *Sed quid obstabat, quo minus tibi sufficeret ille uictus?* GI. *Quia diuersis assueram, & serum iam erat mutare consuetudinẽ: quanquàm me non tam offendebat ciborum exiguitas, quàm corruptio. Duo oua poterãt sufficere, si fuissent recẽs nata: uini cyathus erat satis, nisi pro uino daretur sæx uappida: dimidiũ panis aluisset, nisi pro pane daretur argilla.* IA. *Adeó ne sordidum esse Antronium in tantis opibus?* GI. *Arbitror censum illius non fuisse infra octoginta ducatorum millia. Nec ullus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorũ, ut dicam parcißimé.* IA. *Sed iuuenes illi quibus hæc parabantur, num eadem utebantur parsimonia?* GI. *Vtebantur, sed domi duntaxat, foris liguriebant, scortabantur, ludebant aleam: quumq; pater in gratiam honestißimorum conuiuarum grauaretur teruncium impendere, iuuenes interdum una nocte sexaginta ducatos perdebant alea.* IA. *Sic perire solent, quæ sordibus corradũtur. Verùm è tantis periculis incolumis quò nunc te confers?* GI. *Ad uetustißimum Gallorũ contubernium, sarturus quod illhic dispendij factum est.*

EXEQVIAE SERAPHICAE.

THEOTIMVS, ET PHILECOVS.

PH. *Vnde nobis Theotimus noua religionis facie?* TH. *Quî sic?* PH. *Quia seuera frons, oculi in terram defixi, caput in læuum humerum nonnihil inflexum, sphærulæ precatoriæ in manibus.* TH. *Si nosse cupis amice, quæ ad te nihil attinent, è spectaculo uenio.* PH. *An spectasti funambulum, aut præstigiarum artificem, aut aliud huic*

ſimile? TH. *Fortaſſe non ita huic diſsimile.* PH. *Equidem nunquàm antehac uidi quenquã iſtiuſmodi uultu redeuntem è ſpectaculo.* TH. *Sed eiuſmodi fuit ſpectaculi genus, ut ſi tu interfuiſſes, fortaſsis me incederes aliquantò triſtior.* PH. *Quin tu ergo memoras, quid te tam fecerit religioſum?* TH. *Redeo ab exequijs Seraphicis.* PH. *Quid ego audio? Itáne moriuntur & angeli?* TH. *Non, ſed horum ſodales. Cæterũ ne te diutius ſuſpenſum habeam, noſti, opinor, hic apud Peluſios Euſebium hominem clarum & eruditum.* PH. *Illum'ne ex principe priuatum, è priuato exulem, è exule tantùm non mendicum, penè addideram ſycophantam?* TH. *Rectè diuinaſti quem dicam.* PH. *Sed quid illi accidit?* TH. *Hodie ſepultus eſt, à pompa funebri redeo.* PHI. *Admodum triſtem fuiſſe oportet, quæte nobis tam triſtem remiſit.* TH. *Vereor ut ſine lacrymis queam tibi quod uidi deſcribere.* PH. *At ego uereor ut ſine riſu poſsim audire. Sed narra obſecro.* TH. *Scis Euſebium iampridem fuiſſe miſera ualetudine.* PH. *Scio ante annos aliquot euirato corpuſculo.* TH. *In huiuſmodi morbis qui lentè conficiunt hominem, medici certis præſagijs ſolent mortis diem prædicere.* PH. *Maximé.* TH. *Hi monuerunt hominem quicquid medicorum ars præſtare poſſet, id omne ſumma cura præſtitum eſſe. Deum quidem potentiorem omni medicorũ ope, ſed quod humana coniectura deprehendi quiret, non ſupereſſe triduũ uitæ.* PH. *Quid tum poſteá?* TH. *Ibi continuò præclarus Euſebius defecto corpuſculo totũ ſanctiſsimi Franciſci amictum induit, raditur, accipit cucullam cinericiã, ueſtem eiuſdem coloris, funem nodoſum, feneſtratos calceos.*

ceos. PH. Moriturus? TH. Sic est. Quin & profitetur uoce iam moribunda, se Christo militaturum iuxta Franciſci regulam, ſi, quod medici deſperabant, daret Deus. Ad hanc profeßionem adhibiti ſunt teſtes, uiri ſanctimonia celebres. In ea ueſte moritur uir egregius ad tempus à medicis prædictum. Veniunt ex eo ſodalitio complures, qui funebrem pompam celebrent. PH. Vtinam adfuiſſem iſti ſpectaculo. TH. Illacrymaſſes, ſi ſpectaſſes qua charitate Seraphici ſodales cadauer abluerint, amictum illum ſacroſanctum adaptarint, manus in crucis imaginem compoſuerint, pedes nudarint, & nudatos exoſculati ſint, faciem unguento etiam exhilararint, iuxta præceptum Euangelicum. PH. Prodigioſa humilitas, Seraphicos uiros agere pollinctores ac ueſpillones. TH. Poſt hæc pheretro compoſuerunt, & iuxta Pauli doctrinam, Gal.2.6. Alter alterius onera portate, proprijs humeris fratres fratrem baiularunt per uiam publicam ad monaſterium. Ibi ſolennibus nænijs ſepelierunt. Quum uenerabilis illa pompa per uiam incederet, uidi complures inuitis oculis effundere lacrymas, quum talem uirum, quem prius uiderant purpura byſſoq; ueſtitum, nunc conſpicerent in amictu Franciſcano, func canabeo cinctum, tam religioſa ſpecie toto corpore compoſitum. Nam & mortui caput erat deflexum in humerum, & manus, ut dixi, decuſſatim compoſitæ. Cætera item omnia mirificam quandam religionem præ ſe ferebant. Quin ipſa turba Seraphica ceruicibus inflexis, oculis in terram defixis, & nænijs adeò lugubribus, ut arbitrer ipſos manes non canere lugubrius, multis excutiebat lacrymas

& singultus. PH. Sed habebat'ne quinq; Franciſci uulnera? TH. Id non auſim affirmare certò. Apparebant in manibus ac pedibus ueſtigia quædam ſubliuida, ac ueſtis in ſiniſtro latere feneſtellam habebat. Verùm non auſus ſum oculos acrius intendere, quòd affirment in huiuſmodi rebus curioſitatẽ multis fuiſſe exitio. PH. Sed nullos'ne illhic ſenſiſti ridentes? TH. Senſi, uerùm eos ſuſpicor hæreticos eſſe, quorum hodie plenus eſt mundus. PH. Vt ſimpliciter tecum fabuler, mi Theotime, uix ipſe ualuiſſem à riſu temperare, ſi iſti ſpectaculo adfuiſſem. TH. Faxit Deus ne tu ſis iſtius fermenti contagio corruptus. PH. Nihil hinc periculi eſt, optime Theotime, ego à puero religioſe beatum Franciſcum, iuxta mundum nec doctum nec ſapientem, ſed profunda mundanorum affectuum mortificatione Deo charißimum, ſemper animo ſum ueneratus, cumq; hoc omnes, qui illius ingreſſi ueſtigijs ex animo ſtudent mundo mortui Chriſto uiuere. Nam ueſtem nihil moror: ſed lubens ex te didicero, quid ueſtis confe-
Matth. 7. rat mortuo. TH. Margaritas non eſſe porcis obijciendas, nec ſanctum dandum canibus, ſcis ab ipſo Domino præceptum eſſe. Proinde ſi ridendi cauſa percontaris, nihil ex me audies: ſin ſimplici diſcendi ſtudio, libens impartiam, quod ab illis didici. PH. Profiteor diſcipulum & attentum, & docilem, & beneuolum. TH. Principiò ſcis quoſdam uſqueadeo ambitioſos, ut non ſat habeant ſuperbè, & inſolenter uixiſſe, niſi & ambitioſe ſepeliantur mortui. Non ſentiunt exanimes, ſed tamen uiuentes imaginatione quadam futuræ pompæ uoluptatem aliquam ac fructum præcipiunt. Hoc quicquid eſt, affectus

abdic

abdicare, non negabis, opinor, aliquam pietatis partem. PH. Fateor, si fastus exequiarum non ualeat alia ratione deuitari. Sed mihi uidetur modestius, si princeps exanimis inuoluatur linteo uili, ac per plebeios uespillones in uulgari cœmiterio inter plebeia cadauera sepeliatur. Nam qui sic efferuntur, quemadmodum elatus est Eusebius, mutasse fastum uidentur uerius, quàm uitasse. TH. Deo gratum est quicquid bono fit animo. Illius autem est iudicare cor hominis. Verùm quod dixi leue est, sunt alia grauiora. PH. Quæ? TH. Profitentur ante mortem Franciſci regulam. PH. Videlicet ut eam seruent in campis Elysijs. TH. Non, sed hìc, si reualescant. Et fit aliquoties ut medicorum sententijs damnati, simul ut sacrosanctam uestem induerint, ope Dei reuiuiscant. PH. Idem sæpenumero usu uenit in his, qui uestem eam non induunt. TH. Oportet simpliciter ambulare in uia fidei: si nihil esset eximij fructus in hac re, non ambirēt, præsertim apud Italos, genere & literis nobiles plurimi, ut in amictu sacrosancto sepeliantur. Ac ne repudies ignotorum hominum exempla, sic sepultus est ille, cui tu meritò plurimùm tribuis, Rodolphus Agricola, sic nuper Christophorus Longolius. PH. Mea nihil refert quid delirent homines, quum agunt animam: ex te doceri cupio, quid magni boni conferat, hominem metu mortis attonitum, ac certæ uitæ desperatione perturbatum, profiteri aut uestiri. Quid quòd uota sunt irrita, nisi fiant animo sano sobrioq;, matura deliberatione, sublato metu, dolo, aut ui? ut horum nihil sit, professio talis non obligat, nisi post annum probationis, quo gestare iubētur tunicā cū caperone: sic enim loquitur

uir ille Seraphicus. Itaque si reuiuiscant, duplici nomine non tenentur, neq; enim uotum est, quod ab attonito fit metu mortis ac spe uitæ, neque professio obligat ante caperonem gestatum. TH. *Vtcunque habet obligatio, illi certè putant se obligari, & illa totius uoluntatis addictio non potest Deo non esse gratissima. Siquidem hoc est in causa, ut bona opera monachorum, etiam si demus cætera paria, gratiora sunt Deo quàm aliorum, quòd ex optima radice proficiscantur.* PH. *Non excutiam hic quanti momenti sit, hominem totum se Deo addicere, quum iam sui iuris non est: ego arbitror unumquenque Christianum se totum addicere Deo in baptismo, quum renuntiat omnibus pompis & uoluntatibus satanæ, datq; nomen imperatori Christo, posthac illi per omnem uitam militaturus.* Et Paulus agens de his qui Christo commoriuntur, *ut iam sibi non uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, non loquitur propriè de monachis, sed de uniuersis Christianis.* TH. *Opportunè meministi baptismi, sed olim tingebantur, aut aspergebantur agentes animam, quibus tamen dabatur spes æternæ uitæ.* PH. *Quid episcopi promiserint, non ita magni refert: quid Deus præstare dignetur, nobis incertum est. Si certum fuisset tales aspergine aquulæ repentè fieri ciues cœli, quæ maior poterat aperiri fenestra, ut homines mũdo dediti studio per omnem uitam seruirent impijs cupiditatibus, ac tum demũ adhiberent aspersiunculam, quum iam amplius peccandi facultas non esset? Quòd si tali baptismo simulis est ista professio, præclarè consultum est impiè uiuẽtibus, ne pereant, hoc est satanæ uiuant, Christo moriantur.* TH. *Imò si fas*

Roma. 6.

si fas est aliquid ex Seraphicis mysterijs prodere, efficacior est illorum professio, quàm baptismi. PH. *Quid audio?* TH. *In baptismo tantùm proluuntur crimina, restat anima pura, sed nuda: hic qui profitetur, statim ditatur totius ordinis egregijs meritis, nimirùm insitus corpori sanctissimæ sodalitatis.* PH. *Ità ne qui per baptismũ inseritur corpori Christi, nihil accipit nec à capite, nec à corpore?* TH. *Nihil à Seraphica massa, nisi beneficentia aut fauore promereatur.* PH. *Quis angelus hoc istis reuelauit?* TH. *Non angelus, ô bone, sed ipse Christus ore proprio hoc aliáq; permulta beato Frãcisco præsens præsenti patefecit.* PH. *Obsecro te per amicitiã nostram atq; obtestor, ne me graueris istis impartiri sermonibus.* TH. *Sunt reconditissima mysteria, nec fas est ea profanis communicare.* PH. *Quũ profanus amice, qui nulli unquam ordini melius uoluerim quàm Seraphico?* TH. *Sed interdum uellicas eos odiosius.* PH. *Hoc ipsum Theotime amoris argumentum est: quum eum ordinem nulli grauius lædant, quàm qui sub illius umbra turpiter uiuunt; quisquis optimè uult ordini, necesse est ut illius corruptoribus maximè succenseat.* TH. *At uereor ne Franciscum iratum habeam, si quid arcanorum effutiero.* PH. *Quid mali metuis ab innocentissimo uiro?* TH. *Quid? Ne me exoculet, aut ne mihi mentem adimat, quomodo multos tractasse dicitur, qui reclamarunt illius quinq; uulnerũ uestigijs.* PH. *Ità ne diui peiores sunt in cœlo, quàm fuerint in terris? Audio Franciscum adeò fuisse miti ingenio, ut quum pueri per uiam incedenti caseum, lac, rudera & lapides immitterent in rusticanam cucullam*

à tergo pendẽtem, nihil offenderetur, sed hilaris incederet, & gaudens. Et nunc factus est iracundus ac uindex. Alio die quum à socio audisset fur, sacrilegus, homicida, incestus, ebrioſus, & quicquid criminum in sceleroſiſsimum quemuis congeri potest, confractus egit gratias, cõfessus illum nihil esse mentitum. Miranti socio quur ita loqueretur: Hæc, inquit, omnia, & his sceleratiora patraram, nisi me numinis fauor seruasset. Vnde igitur nunc factus est uindex? TH. Sic est, diui in cœlo regnantes læsi nolunt. Quid Cornelio mitius? Quid Antonio mansuetius? Quid Ioanne Baptista patientius dum uiuerent? At nunc quàm horrendos morbos immittunt, nisi legitimè colantur? PH. Citius crediderim illos adimere morbos, quàm immittere. Sed quod mihi dixeris, nec prophano commiseris, & taciturno credideris. TH. Agè tua fretus fide dicam, quod quidem ad hanc rem attinet. Obsecro te Franciſce, ut te tuisque sodalibus propitijs sit mihi fas
2. Corinth. 12. audita loqui. Scis Paulo fuisse sapientiam reconditam, quam nõ palàm, sed occultè loquebatur inter perfectos. Sic habent & illi quædam arcana, quæ non euulgant apud quoslibet, sed beatis uiduis, alijsq; pijs, & selectis bene uolentibus gregi Seraphico priuatim impertiunt.
Id est, ter sãctas reuelationes. PH. Expecto πίστις ἀποκαλύψεις. TH. Principiò Dominus prædixit patriarchæ Seraphico futurũ, ut quò grex Seraphicus magis increbresceret, hoc illi pabulũ abundantius suppeditaret. PH. Hîc protinus adempta est omnis querela his qui dictitant hoc hominũ genere in dies increbrescente grauari populum. TH. Deinde aperuit & hoc, quòd quotannis in die illi festo, omnes animæ

non

non modò fratrum, qui sacrosanctum illum gestant habitum, uerùm etiam ordini bene cupientium, ac de ipsius sodalibus bene merentium ab igni purgatorio liberarẽtur. PH. Tam familiariter Christus cum illo fabulabatur? TH. Quid ni? ut cum amico & sodali, quemadmodum Deus pater fabulabatur cum Mose. Moses à Deo traditã legem ad populum, Christus legem Euãgelicam promulgauit, Franciscus legem suam angelimanibus bis descriptam, tradidit Seraphicis fratribus. PH. Expecto tertiam apocalypsim. TH. Verebatur egregius ille patriarcha, ne bonum semẽ quod seminatum erat, noctu uitiaret ille malus, & ita cum zizania reuelleretur & triticum. Hunc scrupulum exemit illi dominus, promittẽs illi, sibi curæ futurum, ne deficeret semicalceatorum ac cinctorum fune populus usque ad extremum iudicij diem. PH. O domini clementiam. Alioqui fuerat actũ de ecclesia Dei. Sed perge. TH. Quarto loco reseruit illud, quòd nullus impiè uiuens, diu perseuerare posset in eo ordine. PH. An non defecit ab ordine quisquis impiè uiuit? TH. Non, neque enim Christũ statim abnegauit, qui scelerate uiuit, quanquàm aliquo modo negant Deum, qui ore profitẽtes factis negant. Sed quisquis abijcit sacrosanctum habitum, is irreparabiliter defecit ab ordine. PH. Quid igitur dicemus de tot monasterijs conuentualium, qui pecunias habent, qui potant, ludũt aleam, scortantur, & palàm alunt domi concubinas, ne plura commemorem? TH. Franciscus nunquàm gestauit uestem tali colore, nimiùm fusco, nec usus est cingulo è lino candido confecto. Proinde illis ubi pulsarint ostium, dicitur, nescio uos: eò Exodi 33.

quòd

quòd non habent uestem nuptialem. PH. Est'ne amplius?

Vestem nuptialem. Alludit ad parabolā Euāgelij Matth. 22. de inuitatis ad nuptias.

TH. Nihil adhuc audisti. Quinto loco patefecit illi, quòd qui malè uellent ordini Seraphico, quales heu nimium multi sunt, nunquam peruenirent ad dimidium ætatis à Deo præfinitæ, nisi mortem anticipassent, sed omnes pessima morte, quàm ocyßimè perituros. PH. Vidimus isthuc cum in alijs multis aliâs, tū nuper in Matthæo cardinale Sedunensi: de semicalceatis peßimè & loquebatur, & sentiebat, perijt prius quàm, opinor, attingeret quinquagesimum annum. TH. Rectè quidem dicis, sed ille læserat etiam Cherubicum ordinem. Nam huius opera potißimū

Apud Helvetios quatuor Dominicani exusti.

effectū prædicāt, ut Bernæ quatuor illi Dominicani traderentur flammis, quum alioqui pontificis animum pecunia fuerint expugnaturi. PH. Sed aiunt illos prodigiosæ impietatis orsos fabulā. Fictis uisionibus ac miraculis agebant, ut persuaderent, Virginem matrem fuisse contaminatam labe originali, diuum Franciscum non habuisse uera Christi uulnerum uestigia, ea uerius habuisse Catarinam Senensem: sed perfectißima pollicebantur laico conuerso, quem ad hanc fabulam agendam subornauerāt, & ad hanc impostūram abutebantur corpore Domini, postremò etiam fustibus, & uenenis. Deniq; prædicant hanc telam non fuisse unius monasterij, sed totius ordinis

Nolite tāgere, quasi hoc de solis monachis dictum esset.

procerum. TH. Vtcunque ista habent, non temere dictum est à Deo, Nolite tangere Christos meos. PH. Expecto, si quid supersit. TH. Supersit apocalypsis sexta, qua Dominus iurauit illi futurum, ut fautores ordinis Seraphici, quantumuis impiè uiuerent, tamen aliquando Domini misericordiam consequerentur, & sceleratam uitam beato fine

to fine clauderent. PH. Etiam'ne si in adulterio deprehensi occiderentur? TH. Quod Dominus promisit, non potest non esse ratum. PH. Sed quibus tandem rebus illi metiuntur fauorem ac beneuolentiam? THE. Ob dubitas, qui dat, qui uestit, qui culinam instruit, iandudum amat. PHIL. Non amat qui monet, qui docet? THE. Hæc ipsis domi abundant, & huius generis beneficia solent alijs largiri, non ab alijs accipere. PH. Plus ergo dominus promisit Franciſci diſcipulis, quàm ſuis. Sibi quidem patitur imputari, ſi quid ipſius reſpectu beneſiat cuilibet Chriſtiano, ſed non promittit malè uiuentibus uitam æternam. THE. Nec mirum amice. Nam extremus Euangelij uigor ſeruatus eſt huic ordini. Sed audi iam ſeptimam apocalypſim, eamq; poſtremam. PH. Hîc ſum. TH. Iurauit illi Dominus neminẽ malè moriturum, qui in habitu Seraphico moreretur. PHIL. At quid appellas malè mori? TH. Is malè moritur, cuius anima relicto corpore rectà defertur ad Tartara, unde nulla eſt redemptio. PH. Veſtis igitur non liberat ab igni purgatorio. THE. Non, niſi quis moriatur in ipſo feſto beati Franciſci. Verùm an tibi parum uidetur tutum eſſe à Tartaro? PHIL. Maximùm ego quidem arbitror. Sed quid de his ſentiendum, quibus iam mortuis induitur ſacra ueſtis? Non enim in ea moriuntur. THE. Si uiui hoc petierunt, uoluntas habetur pro facto. PHIL. At ego cùm agerem Antuuerpiæ, adfui cum cæteris cognatis, matronæ cuidam agenti animam, aderat Franciſcanus uir admodùm uenerabilis. Is ubi uidet mulierem iam oſcitantem, alterum brachium illius inſeruit ſuæ ueſti, ſic

sic, ut etiam aliquam humeri partem tegeret. Ibi quidam dubitabant, utrum tota mulier esset tuta ab inferorum portis, an pars contecta. TH. *Tota erat tuta, non aliter, quàm in baptismo pars hominis tingitur aqua, totus tamen Christianus redditur.* PH. *Mirum cacodæmones tantopere horrere uestem illam.* TH. *Magis horrent, quàm crucem domini. Quum efferretur Eusebius, uidi, non solus tamen, agmina nigrorum dæmonum, muscarum instar, assultantium ad corpus, nullus tamen audebat attingere.* PH. *At interim facies, manus, pedes erant in periculo, quippe nudi.* TH. *Vt serpentes nec umbram fraxini, licet porrectam longius, ferre possunt, ita dæmones uirus illud sacræ uestis etiam procul sentiunt.* PH. *Proinde non arbitror talia corpora putrescere, alioqui plus animi esset uermibus, quàm cacodæmonibus.* TH. *Verisimile narras.* PH. *Quàm fortunati pediculi qui in tam diuina ueste perpetuò uiuunt. Cæterùm quum uestis deferatur ad sepulchrũ, quid est quod tuetur animam?* TH. *Vestis umbram secum defert, ea tutam reddit, adeò ut negent quenquam illius ordinis uenire in purgatorium ignem.* PH. *Nec ego istam apocalypsim, si uera narras, pluris facio, quàm illam Ioannis. Hæc enim expeditam ac facilem ostendit uiam, qua cuiuis liceat citra sudorem, citra molestiam, citra pœnitentiam mortem æternam effugere, tota uita suauiter peracta in delicijs.* TH. *Assentior.* PH. *Iam igitur mirari desino, si plerique Seraphicis sodalibus plurimum tribuant, uerùm non queo satis admirari, non deesse qui non uereantur illis oppedere.* TH. *Nimirùm istos scias quotquot uideris, traditos in reprobum sensum, suaq;*

malitia

malitia excæcatos. PH. Posthac ero cautior, daboq; operam ut in sacrosancta ueste moriar. Verùm extiterũt hoc seculo quidam qui docent, hominem sola fide iustificari, nullo operum præsidio: maximum igitur priuilegium sit, si uestis beet absq; fide. TH. Non simpliciter absque fide, ne quid erres Philecoë. Satis autem est credere, hæc quæ diximus esse promissa à Christo, patriarchæ Francisco. PH. Vel Turcã igitur seruabit uestis? TH. Vel ipsum Satanam, si se patiatur indui, & fidẽ habeat apocalypsi. PH. Iandudum me tuum fecisti, sed unum atq; alterũ scrupulum mihi cupiã per te eximi. TH. Dic. PH. Audiui Frãciscum suum appellare institutum Euangelicum. TH. Verum. PH. Sed Euangelij regulam profitẽtur omnes Christiani mea quidem sententia: Quòd si istorum institutum est Euangelicum, oportet quotquot Christiani sunt, eosdem esse Franciscanos. Et in his primas tenebit Christus cum Apostolis & sanctißima matre. TH. Conuinceres tu quidem, nisi Franciscus quædã addidisset Euãgelio Christi. PH. Quæ? TH. Vestem cinericeam, funem canabeum, & pedes nudos. PH. Istis igitur notis dignoscimus Euãgelicum à Franciscano? TH. Differunt & contactu pecuniæ. PH. Verum, ut audio, Franciscus recipi uetat, non attingi. Recipit autem uel dominus, uel procurator, uel creditor, uel hæres, uel mandatarius. Et si numeret chirotheca munitus, nihilo minus recepisse dicitur. Vnde igitur hoc nouum interpretamentum ne recipiant, id est, ne contingant? TH. Sic interpretatus est Benedictus pontifex. PHI. At non ut pontifex, uerùm ut Franciscanus. Alioqui non'ne qui sunt obseruantißimi, quum pere-

grinantur, excipiunt linteolo nummos? TH. Faciũt quum urget necessitas. PH. At mori satius est quàm uiolare regulam plusquàm Euangelicam. Déinde non ne passim recipiunt per suos procuratores? TH. Quid ni? Etiamsi dentur aliquot millia, id quod non raro accidit. PH. At regula dicit, neq; per se, neque per alios. TH. At non contingunt. PH. Ridiculum: Si contactus impius est, etiam per alios contingunt. TH. Verùm non est illis cum procuratoribus actio. PH. Nõ est? Experiatur hoc qui uelit. TH. Christus non legitur usquam contigisse pecuniam. PH. Esto, sed probabile est Christum adolescentulum crebrò parentibus suis emisse oleum, acetum, & olera. Sed extra controuersiam Petrus & Paulus contrectarunt. Non est in contactus fuga laus pietatis, sed in contemptu. Vini contactus multò periculosior est, quàm pecuniæ, cur non horrent ibi periculum? TH. Quia Franciscus non prohibuit. PH. Non ne porrigunt manus suas otio molliculas, & pulchrè lotas fœminis salutantibus, & nummo fortè inspiciendi causa oblato, resiliunt, ac se muniunt signo crucis, papæ quàm Euangelicé? Et quidẽ puto Franciscum, licet omnis literaturæ rudem, non adeò desipuisse, ut uetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tamen si id sensit, quanto periculo suos exposuit, quos iussit nudis pedibus incedere? Vix enim uitari potest, quin aliquando imprudentes calcent nummum humi iacentem. TH. Verùm non tangunt manibus. PH. An tactus non est sensus toto corpori communis? TH. Est, atq; etiam si quid tale usu ueniat, non sacrificant nisi confessi. PH. Religiosé. TH. Verùm omissis cauillationibus, dicam id quod res

est.

est. Pecunia multis est critq; maximorum malorum occasio. PH. *Fateor, sed eadem alijs est multorum bonorum materia: diuitiarum amorem lego damnatum, pecuniam damnatam nusquam lego.* TH. *Rectè dicis. Sed quò longius absint ab auaritiæ morbo, sic prohibitus est contactus, quemadmodum in Euangelio uetamur iurare, ne incidamus in periurium.* PH. *Quin igitur uetitus est aspectus?* TH. *Quia facilius est continere manus, quàm oculos.* PH. *Et tamen per illas fenestras ingressa est mors.* TH. *Et ideo qui germanè Franciscani sunt, ultra supercilia deducunt cucullam, rectisq; & in terram defixis oculis incedunt, ne quid uideant præter uiam: quod idem uidemus in equis currus onustos trahentibus, utrinq; corium capistro additum non finit eos quicquam uidere, nisi quod ante pedes est.* PH. *Verùm agè dic mihi, est'ne hoc uerum quod audio, in regula uetitum, ne quod indultum impetrent à Pontifice?* TH. *Est.* PH. *Atqui audio nullum hominum genus pluribus instructum indultis, adeò ut liceat illis homines ipsorum sententia damnatos, uel ueneno necare, uel uiuos defodere, citra ullum irregularitatis periculum.* TH. *Non est uana fabula quam audisti, nam mihi narrauit uir minimè mendax* Polonus, *se obdormisse potum in templo Franciscanorum in his angulis in quibus sedent fœminæ per laminas foraminosas confitentes. Experrectus cantu nocturno, nõ ausus est se prodere. Decantatis ex more nocturnalibus, totus fratrum chorus descendit in ædem inferiorem, ibi erat parata fossa bene lata beneq; profunda. Stabant duo iuuenes reuinctis à tergo manibus. Habita est concio de laude obedientiæ, promissa*

est apud Deum omnium commissorum uenia. Nonnulla etiam spes iniecta, fore ut Deus fratrum animos flecteret ad misericordiam, si sponte descenderent in foueam, seq; supinos reponerent. Factum est, subductisq; scalis, omnes simul iniecere terram. PH. Sed siluit'ne interim ille spectator? TH. Maximè, tum quidē nimirum metuens, ne si se prodidisset, tertius adderetur fossæ. PH. Etiam'ne hoc illis licet? TH. Licet quoties periclitatur decus ordinis. Nam ille simulatq; euasisset, passim in omnibus conuiuijs narrabat quæ uiderat, magna Seraphicæ gentis inuidia. Non'ne præstiterat uiuum sepeliri? PH. Forsse. Verùm his subtilitatibus omissis, qui fit, ut quum patriarcha iusserit incedi nudis pedibus, nunc maximè incedant calceis fenestratis? TH. Duabus de causis præceptum hoc mitigatum est: altera est, ne per imprudentiam tangant pecuniam: altera, ne frigus lædat, aut spina, aut serpentes, aut silices, aut aliud simile, quum illis sit per uniuersum terrarum orbem obambulandum. Cæterum ut id fiat inuiolata regulæ maiestate, fenestra calcei pedem nudum ostendit per synecdochen. PH. Prædicant se profiteri perfectionem Euangelicam, quam aiunt constare consilijs Euangelicis, de quibus inter eruditos magna digladiatio est. Et in unoquoq; uitæ statu, locus est perfectioni Euangelicæ. Sed quid omnium maximè perfectum tibi uidetur inter Euangelij præcepta? TH. Arbitror totum illud quod prodidit Matthæus cap. 5. cuius hæc est clausula: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri fa-

cit

cit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. PH. *Commodè respondisti. Sed pater ille diues est ac munificus in omnes, nec mendicat à quoquam.* TH. *Munifici sunt & illi, sed opum spiritualium, hoc est, precum & bonorum operum, quibus opulenti sunt.* PH. *Vtinam sint inter illos exempla charitatis Euangelicæ, quæ maledicta benedictis, iniuriam beneficio pensat. Quid sibi uult illa tam celebris Alexandri pontificis uox, tutius esse regem quamlibet potentem lædere, quàm quemlibet ex ordine Franciscanorum aut Dominicanorum?* TH. *Ordinis læsam dignitatem ulcisci fas est, & quod uni ex minimis malè fit, fit toti ordini.* PH. *At quur non potius quod uni benefit, fit toti ordini? Et quur non unus Christianus læsus totum Christianissimum ad uindictam prouocat? Quur toties cæsus ac lapidatus Paulus non inclamauit suppetias aduersus apostolicæ dignitatis uiolatores? Iam si iuxta Domini sententiam, Beatius est dare quàm accipere, utiq; perfectior est, qui bene uiuens ac docens de suo dat gentibus, quàm qui tantùm accipit. Alioqui frustra Paulus gloriatur, quod gratis prædicauerat Euangelium.* 1. Corint. 9. *Atque hic uidetur esse præcipuum illius laudatæ addictionis experimentum, si conuicijs impetiti non incandescant, si in malè merentes charitatis affectum obtineant. Quid magni est, si quis aliquid facultatum relinquat, de alieno uicturus aliquantò lautius, quum sibi seruet ulciscendi cupiditatem? Cinctorum fune, semicalceatorũ, ubiq; est magna copia: hæc qui præstet, quæ perfecta dominus uocat, quæ apostoli constanter exhibuerũt,*

inter istos nimium rara est auis. TH. *Non ignoro quas fabulas impij quidam de illis spargant, sed ego sic affectus sum, ut ubicunq; uidero illam sacrosanctissimã uestem, putem adesse angelos Dei, eamq; domum esse felicem, cuius limẽ crebrò teritur illorum pedibus.* PH. *Et ego arbitror pauciores esse steriles fœminas, ubi illi agunt familiariter. Sed mihi propitius sit Franciscus Theotime, qui hactenus tanto in errore sim uersatus. Existimabam istorum uestem nihil aliud esse quàm uestem, nec per se meliorem ueste nautæ aut calcearij, nisi utentis sanctimonia commendaretur, quemadmodum Christi uestis contacta sanauit hæmorrhoissam. Alioqui dubitabam, utrum textor, an uestiarius eam uim dedisset uesti.* TH. *Haud dubiè, qui formam dat, dat uim.* PH. *Posthac ergo uiuã suauius, nec me macerabo metu inferorum, aut confessionis tædio, aut cruciatu pœnitentiæ.*

Matt. 9. & Marci 5.

AMICITIA.

EPHORINVS, IOANNES.

EP. *Sæpenumero mecum admirari soleo, quem Deum in consilium adhibuerit natura, quum in omni rerum genere misceret amicitias & inimicitias quasdam arcanas, nec ullis causis euidentibus probabiles, nisi quòd hoc spectaculo uidetur fuisse delectata, quemadmodum nos ex commissis inter se gallis gallinaceis & coturnicibus uoluptatem capimus.* IO. *Nondum satis percipio quid uelis dicere.* EPH. *Dicam igitur si uis crassiore Minerua. Scis serpentium genus esse inimicum homini.* IO. *Scio uetus inter illos & nos esse dissidium & irreconciliabile, futurumq; donec memincrimus illius inauspicati pomi.* EP.

Pomo Euam seduxit serpẽs, Gene. 3.

Nosti

Nosti lacertam? IO. Quid ni? EP. Italia magnas habet & uirides. Hoc animal natura & homini amicum est, & serpentibus inimicum. IOAN. Vnde hoc deprehenditur? EP. Vbicunq; prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu cõtemplantes hominis faciem: si expuas, elambunt saliuam ore redditam: uidi & puerorum mictum exorbentes. Quin & puerorũ manibus tractantur impune, atq; etiam læduntur, & admotæ ori gaudent saliuam lambere. Cæterum si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quàm in sese sæuiant, nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per uiam cauam, nunc hinc, nunc illhinc strepitu dimoti rubi admonẽt hominem, insuetus crederet serpentem esse: ubi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas, si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere uehementerq; delectari hominis aspectu. IO. Mira narras. EPH. Quodam die uidi prægrandem & mirè uiridem in ostio caui decertantem cum serpente. Primùm mirabamur quid esset rei. nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat in antro esse hostem. Paulò pòst uenit ad nos lacerta uelut ostendens sua uulnera ac remedium flagitans, seq; tantùm non tangi patiebatur: quoties autem restabamus, restabat & illa nos contemplans. Serpens alterum latus penè totum eroserat, & ex uiridi rubrum fecerat. IOA. Mihi, si adfuissem, libuisset ulcisci lacertæ uicem. EPH. At hostis iam se in profundum antrum abdiderat: post aliquot tamen dies pauimus oculos nostros uindicta. IO. Gaudeo profectò. Sed quo pacto? EPH. Fortè inambulabamus

per eundem locum: Serpens è fonte uicino biberat, erat enim æstus prodigiosus, adeò ut nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodùm occurrit ex agris puer natus annos tredecim, eius domus filius, in qua tum metu pestilentiæ Bononiæ profugi rusticabamur, gestans rastrum, quo fœnum demessum conuerrunt agricolæ, simul ut serpentem uidit, exclamat. IO. Metu fortasse. EP. Nequaquam, imò gaudio, uelut insultans deprehẽso hosti. Ferit rastro, serpens se contrahit, ille non facit feriendi finem, donec contrito capite serpens in longum porrigitur. Nam hoc non faciunt nisi morientes. Inde est, quem frequenter audisti, apologus de cancro, qui serpentem hospitem occîdit, ubi porrectum uidet, sic, inquit, uiuum incedere oportuit. IO. O factum bene. Quid tum? EP. Puer arreptum rastro suspendit è frutice supra antrum. Ibi diebus aliquot uidimus frondes sanie tinctas. Eius ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquã fessi obdormiunt in agro, atq; illhic interdum habẽt urceum lactis, in cibi simul & potus usum. Serpentes summopere lacte capiũtur. Itaque non rarò fit, ut in uas illabantur. Ei malo paratum habent remedium. IO. Quod obsecro? EP. Summum testæ os allio circunlinunt. Is odor deterret serpentes. IO. Quid igitur sensit Horatius, quum scriberet allium uenenum cicutis nocentius, quum sit, ut ais, aduersus uenenã remedium? EP. Sed audi quod est durius, interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conijciunt sese, & in stomachum sese cõuoluunt. IO. An nõ protinus exanimatur homo talem nactus hospitem? EP. Non, sed afflictissimè

mè uiuit, nec est ullum mali leuamen, nisi ut lacte alijsq; gratissimis serpenti cibis alant hospitem. 10. *Nihil remedij aduersus tãtum malum?* EP. *Comesum affatim allium.* 10. *Non mirum igitur si messores gaudent allio.* EP. *Et aliâs medetur delassatis labore & æstu. Verùm in hoc discrimine non rarò lacerta quamuis pusilla seruat hominẽ.* 10. *Quî potest?* EP. *Vbi sensit serpentem insidiari, circuncursat per collum & faciem hominis, nec finem facit, donec pruritu scalptuq; unguium excitetur. Porrò qui expergiscitur conspecta in propinquo lacerta mox intelligit hostem alicubi esse in insidijs, ac circunspiciens deprehendit.* 10. *Mira naturæ uis.* EP. *Iam nullum est animal inimicius homini quàm crocodilus, qui sæpenumero totos homines deuorat, & arte malitiam adiuuat, hausta aqua lubricans semitas quibus descendunt ad Nilum aquã hausturi, quò collapsos deuoret. Neque te fugit delphinum, etiamsi in diuerso elemento natum, φιλάνθρωπον esse.* Id est, hominũ amatorem. 10. *Audiui fabulam de adamato puero celebrem, celebriorem autem de Arione.* EP. *Quin & in uenatu mugilum piscatores delphinorũ ministerio uice canum utuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedant. Quin & castigari sese patiuntur, si quid in uenatu deliquerint. In mari uero frequenter nauigantibus apparent, gaudio gestientes, & in summis undis lusitantes. Interdum adnantes ad nauim, nonnunquam & tensa uela transilientes. Adeò delectatur hominum consuetudine. Verùm ut hominum est studiosus delphinus, ita crocodilo capitalis est hostis. Egreditur mare, & in Nilum, in quo regnat crocodilus, audet uenire congressurus cum dentibus,* Delphini cum crocodilo pugnã uide apud Plinium lib. 8. cap. 25.

unguibus & squamis ferro etiam impenetrabilibus armata bellua, ipse nec ad morsum satis instructus, quippe os habens ad pectus uergens. Sed impetu fertur in hostem, ac iam illi proximus repentè submittit sese, erectisq; in tergo pinnis mollia uentris perscindit, aliâs inuulnerabili. 10. *Mirum est quodq; animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea uisum, scireq; & quur impetatur, & quâ lædi, aut sese tueri possit, quum hoc homini sit negatum, qui ne regulum quidem horreret, nisi admonitus, malóue doctus.* EP. *Scis equum animal obsequijs hominum natum. Huic capitale dissidium est cum ursо homini noxia bestia. Agnoscit hostem nunquàm uisum, ac protinus se parat ad pugnam.* 10. *Quibus armis pugnat?* EPH. *Arte potius quàm uiribus. Transilit ursum, & ipso saltu posteriores calces impingit in caput. Atque ursus interim unguibus scalpit equini uentris mollia. Aspis homini uenenum est immedicabile, cum hac belligeratur ichneumon. Idem exitialis hostis crocodilo. Similis affectus est elephantis erga hominem: nam & uiatorem simpliciter errantem clementer reducunt in uiam, & agnoscunt amantq; doctorem suum. Feruntur & exẽpla deuoti amoris erga certos homines. Siquidem unus adamauit in Aegypto mulierculam corollas uendentem, Aristophani grammatico charam. Alius Menandrum Syracusanum adolescentem sic amauit, ut desiderium illius quoties nõ uideret, inedia testatus sit. Sed ne hæc quæ plurima commemorãtur, referre pergamus, cum Bocchus rex in triginta quosdam sæuire decreuisset, eos totidem elephãtis obiecit, stipitibus alligatos. Quumq; immissi essent*

qui

qui inter elephantos procurſantes eos laceſſerent, nũquàm efficere potuerunt, ut ſe regiæ crudelitatis miniſtros præberent. Atq; huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale eſt cum draconibus Indicis, qui feruntur eſſe maximi, ut frequenter in pugna pereat uterq;. Porrò draco inimicus eſt homini, etiam non laceſſitus. Simile diſſidium eſt aquilæ cum draconibus minoribus, quum homini ſit innoxia, imò quum feratur etiam amatorios ignes ſentire erga certas puellas. Eidem aui bellum internecinũ eſt cum cymindeide eſt, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem animal homini quoq; moleſtum, eoq; abhorret à pabulo in quo murem conſpexerit. Nec cauſa liquet, quur oderit. Nam hirudinem meritò horrent, quòd ea in potu hauſta grauiſſimè diſcrucientur. Iam uix ullum animal amicius homini quàm canis, nec inimicius quàm lupus, ut quod aſpectu quoq; uocem adimat: & inter hæc ſumma diſcordia eſt, quemadmodum ouium generi lupus infeſtiſſimus, quod totum pendet à prouidentia hominum, quorum præcipua cura eſt tueri animal innoxium, & alendo homini natum: in lupum ucrò uelut in publicum humani generis hoſtem armantur omnes, præcipuè canum commilitio, quæ res etiam prouerbio fecit locum, Non magis parcemus quàm lupis. Lepus marinus immedicabile eſt homini uenenum, ſi quis imprudens guſtaucrit: at rurſus hominis contactus mors eſt lepŏri. Panthera ſæua eſt in hominem, & tamen adeò terretur ab hyena, ut ne congredi quidẽ ſuſtineat. Hinc narrant, ſi quis quid ſecum geſtet de corio hyenæ, à panthera non appeti, tam ſagax eſt naturæ ſenſus. Addũt & illud, ſi pelles utriuſq; belluæ ſuſpen

Vide Plinium lib. 10. cap. 4. & 5.

Plin. lib. 8. cap. 10.

Luporũ interfectoribus præmium olim cõſtitutum. Vide Chil. 2. cent. 2. prouerb. 27.

ſuſpendas inuicem ex aduerſo, pantericæ pilos deflue-re. Araneus homini domeſticum eſt animal, exitiale uerò ſerpenti, adeò ut fortè conſpicatus ſub arbore ſerpentem apricantem, filo ſe libret, & aculeum mediæ infigat fronti tam acri uulnere, ut ſerpens dolore rotans ſeſe in gyrum tandem emoriatur. Accepi ab iis qui ſpectarunt, ſimule diſsidium eſſe araneo cum buffonibus, ſed buffonem ictum ſibi plantagine admorſa mederi. Audies fabulam Britannicam. Scis illhic conclauium ſõlum conſterni ſcirpis uirentibus. Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus quum eſſet commodum. Is quum à prandio ſupinus dormiret, buffo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atq; inferno labro quatuor pedibus. Detrahere buffonem certa mors erat, non amoueri quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt ut monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox arancus hoſte conſpecto filo ſe librat, & buffoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recepit in telam. Intumuit buffo, ſed non eſt auulſus. Repetitur ab araneo, magis intumuit, ſed uixit. Tertiò ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hoſpiti ſuo. IO. Mira narras. EP. Addam quod non legi, ſed his oculis conſpexi. Simius ſupra modum horret teſtudinem. Huius rei quidã dedit nobis ſpecimen Romæ. Puero ſuo in uerticem impoſuit teſtudinẽ, & pileo contexit: Dein producit ad ſimium. Ilico ſimius gaudens inſilijt: in humeros pueri uenaturus pediculos, ſublato pileo reperit teſtudinem. Mirum erat ſpectaculum quanto cum horrore

horrore resilierit bestia, quàm expauerit, quàm timidè respexerit an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen: alligauimus testudinem catenæ à qua reuinctus erat simius, ut effugere non posset, quin saltem aspiceret: increbile dictu, quantopere fuerit discruciatus: tantũ nõ metu exanimabatur, interdum auersus posterioribus pedibus depellere tentauit hærentem bestiam. Tandem quicquid erat in aluo aut uesica oneris reiecit. Sequuta est ex eo pauore febris, ut nobis fuerit soluendus à catena, & aqua uino temperata refocillandus. IO. Atqui nihil est quod sibi à testudine metuat simius. EP. Fortassis aliquid est quod nos fugit, naturæ cognitum. Nam quur acanthis oderit asinũ, causa in promptu est, quòd ille se affricat spinis, in quibus nidulatur auicula, & flores eius depascitur. Tantus autem terror habet acanthidẽ, ut si quando procul asinum rudentem audiat, oua deijciat, pulli è nido decidant metu. Nec patitur hoctem impunem. IO. Sed qua tandem in re acanthis lædit asinum? EP. Rostro fodit illius hulcera fustibus & oneribus facta, pungit & mollia narium. Potest item aliquid causæ diuinari, quur inter uulpes & miluios mutua sit simultas, quòd auis rapax alterius catulis insidietur. Fortasse uulpes uicissim illius pullis: quæ causa dissidij est inter sorices, & ardeolas. Eadem ferè ratio est, inter æsalon paruam auiculam & uulpem. Nam æsalon oua coruorum frangit. Eadem infestatur à uulpibus, & uicissim illas infestat, catulos earũ uellicans. Quod ubi uiderint corui, uulpibus uelut aduersus communem hostem suppetias ferunt. At uix diuinare licebat, quam ob causam inter se oderint olores & aquilæ, coruus

&

& chlorio, cornix & noctua, aquila & trochilus, nisi hoc malè habet aquilam, quòd ille rex auium uocetur. Quur malè conuenit cum noctua cæteris minoribus auibus, mustellæ cum cornice, turturi cum pyrali, ichneumonibus ueſpis cum phalāgijs arancis, anatibus cum gauijs, harpæ cum triorchye accipitre, thoibus cum leonibus? Præterea quur ſorices formicoſam horreant arborem? Vnde tam irreconciliabile bellum inter ſcarabeū & aquilam? Nam apologus ex ipſa animantium natura conſictus eſt. Vnde quòd iuxta Olynthū in certo terræ ſpatio non uiuant ſcarabei, ſi inferantur? Et inter aquatilia quam ob cauſam mugil & lupus mutuo odio flagrant, ſicut conger & muræna, caudas inter ſe prærodentes? Polypū intantū horret locuſta piſcis, ut ſi eum iuxtà uiderit, metu emoriatur. Sic quædam animantia mirè iunxit arcanus quidā beneuolentiæ affectus, ueluti pauones columbis, turtures cum pſittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui ſibi uicißim auxiliantur aduerſus uulpium genus. Harpam et miluium aduerſus triorchyn accipitris genus, cōmunem hoſtem. Balænis muſculus piſcis exiguus prænatans monſtrat uiam, nec apparet quamobrem illi uelit inſeruire. Nam quòd crocodilus fauces porrigit trochilo auiculæ, amicitia dici non poteſt, quum utrunq; animal ſuo ducatur commodo, crocodilus gaudet ſibi purgari dentes & ſcabendi uoluptatem amplectitur: auicula cibum quærit, ueſcens piſcium reliquijs inter dentes hærentibus. Conſimili ratione coruus inequitat dorſo ſuis. Inter anthum & ægithum tam pertinax eſt odium, ut negent ſanguinem illorum poſſe miſceri. Quemadmodum narrant

De ſcarabeo & agla uide Chil. 3. cent. 7. prouerb. 1.

aliarum

aliarum auium pennas absumi, si aquilinis misceantur. Accipiter est infestus columbino generi, sed has defendit tinnunculus auicula, cuius conspectum & uocem mirũ in modum horret accipiter. Nec hoc latet columbas. Vbicunq; tinnunculus reconditus est, ab ea sede non migrant, fiducia protectoris. Quis causam coniiciat, quur aut bene uelit generi columbino tinnunculus, aut quur tinnunculum horreat accipiter? Atq; ut interdum animalculum minimum præsidio est ingenti belluæ, ita contrà à minutissimis exitium est maximis. Est pisciculus scorpij effigie, magnitudine aranei piscis: is sub pinna affigit sese aculeo thynnis interdum magnitudinem delphini superantibus, tanto dolore, ut nonnunquam in naues insiliant: idem facit mugilibus. Quid est quur leo animal cunctis tremendum, expauescat galli gallinacei cantum? 10. Ne sim in hoc conuiuio prorsus asymbolus, referam quod olim his oculis uidi in ædibus Thomæ Mori, clarissimi apud Anglos uiri. Alebat domi simium prægrandem: tum fortè, quò reualescceret à uulnere solutus obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi, quibus insidiabatur mustella. Id simius procul quietus & otiosus spectabat, donec uideret cuniculis nihil esse periculi. Cæterùm posteà quàm mustella labefactasset caueam à muro reuulsam, iamq; periculum esset, ne cunieuli à tergo nudati prædæ essent hosti, accurrit simius, & consensa trabe quadam, caueam retraxit in locum pristinum, tanta arte, ut homo non posset dexterius. Ex quo perspicuũ hoc animantium genus simijs esse charum. Ipsi cuniculi non intelligebãt suum periculũ, sed hostem suum per cancellos

oscula

oſculabãtur. Simius opitulatus eſt periclitãti ſimplicitati. EP. *Omnibus catulis minoribus delectantur ſimij, gaudentq; fouere ſinu & cõplecti. Sed pius ille ſimius dignus erat aliquo pietatis præmio.* IO. *Habuit.* EP. *Quod?* IO. *Reperit illhic fructum panis à pueris, ut opinor, proiectũ: id arreptum comedit.* EP. *Verum mihi uidetur mirabilius hoc genus ſympathias & antipathias, ſic enim Græci uocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus, etiã in rebus anima aut certè ſenſu carentibus deprehendi. Omitto iam dicere de fraxino, cuius nec umbram quãuis in longum porrectam ferunt ſerpentes, adeò ut ſi locum in gyrum circundes igni, ſerpens citius in flammam eat, quàm ad arborem fugiat. Nam huius generis exẽpla ſunt innumera. Erucæ cum mẽbranis incluſæ, occulto naturæ opificio transfigurantur in papiliones, mortuis ſimilimæ uidentur, ne ad contactum quidem ſeſe mouent, niſi tranſeunte araneo. Hominis prementis digitum non ſentiunt, & ſentiunt leuiſſimi animantis leuiter incedentis pedes. Ibi demum uiuit.* IO. *Sentit hoſtem capitalem nondum natum inſectũ. Iſti non omnino diſſimile eſt, quod narrant de ferro cæſis, ad quos ſi cæteri accedant, nihil accidere noui: ſin is qui necauit, cõtinuò profluere ſanguinẽ, uelut ex recenti uulnere: atq; hoc indicio ferunt frequenter proditum cædis autorem.* EP. *Nec eſt uanum quod audiſti. Sed ne perſequamur fabulas Democriticas, non ne comperimus experimentis tantum eſſe diſſenſionis inter quercum & oleam, ut utraque in alterius ſcrobe poſita emoriatur? Quercui autem tam malè conuenire cum iuglande, ut in propinquo poſita extinguatur, tametſi iuglans*

cunctis

cunctis ferè satis & arboribus noxia est. Rursus quum uitis clauiculis suis omnia complecti soleat, solam brassicam refugit, & perinde quasi sentiat, in diuersam partē sese uertit. Quis admonet uitem, hostem esse in propinquo? Est enim brassicæ succus uino contrarius, eoq; solet edi aduersus ebrietatem. Nec deest brassicæ suus hostis. Siquidem opposita cyclamino & origano exaresc it. Similis effectus est inter cicutam & uinum, cicuta homini uenenum est, cicutæ uinum. Quod est illud arcanum commercium inter lilium & allium? ut in propinquo nascentia mutuò sibi gratificentur. Nam allio plus est uigoris, & lilij flores suauius olent. Quid hìc memorem de coniugijs arborum, quarum fœminæ sterilescunt, nisi in propinquo sit mascula? Oleum soli calci miscetur, quum utraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, quum utrunq; sit pingue. Argento uiuo innatant omnia, excepto auro. Id solùm ad se trahit & complectitur. Quis ille naturæ sensus, ut adamas, quamlibet duris resistens, sanguine hircino molleſcat? Quin & inter ipsa uenena dißidia uideas. Scorpius si fortè repat per aconitum, palleſcit ac torpeſcit. Eidem adeò noxia est herba cui nomen cerastis, ut qui semen modò eius tractarit digitis, impune contrectet scorpium. Sed harū rerum, quæ sunt innumeræ, consideratio ad rei medicæ professores pertinet. Quænam est illa uis uel amicitiæ, uel dißidij inter chalybem et magnetem, ut materia natura grauis ad lapidem currat & inhæreat, uelut oſculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Iam quum aqua se facilè misceat rebus omnibus, maximè sibi, tamen sunt quæ tan-

quam odio mutuo misturam refugiunt, uelut amnis qui in Fucinum lacum inuectus supermeat, in Larium Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mincius, in Seuinum Ollius, in Lemanum Rhodanus, è quibus nonnulli multorum millium transitu, hospitales suas aquas tantum, nec largiores, quàm intulere, cuehunt. Tigris influit in lacum Arethusam, ac per eum uelut hospes fertur sic, ut nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceatur. Ad hæc quum cætera ferè flumina properent in mare procurrere, quædam tamen uelut exosa mare prius, quàm eò perueniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam uidemus & in uentis. Auster homini pestilens est, huic contrarius Boreas salubris. Alter nubes contrahit, alter dissipat. Iam si qua fides astrologis, sunt & syderibus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus. Quædam amica homini, quædam infesta. Rursus sunt quæ homini aduersus nocentium uim opitulantur. Adeò nihil est in ulla naturæ parte, quod non per hæc diβidia, concordiasq; & noxam, & remedium homini suppeditet. IO. Fortasse & ultra cœlos quiddam deprehendere liceat. Etenim si magis credimus, unumquenq; mortalium duo comitantur genij, alter amicus, alter maleuolus. EP. Nobis amice satis est ad cœlum usque peruenisse, etiam si non hoc quoque septum transiliamus. Redeamus ad boues & equos. IO. Næ tu præclarũ facis saltum. EP. Illud nobis magis admirandum est, quòd in eadem prorsus animantium specie deprehendamus amoris & odij uestigia, nulla euidente causa. Sic enim nobis persuadere conantur equisones & bubulci: in ijsdem pascuis, aut eodem in stabulo, bos

bouem,

bouem, equus equum gaudet habere uicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes affectus esse in omni animantium genere, præter sexus fauorem. Sed in nullo genere euidentius, quàm in homine. Siquidem in plurimis manifestum est, quod de suo in Volusium affectu profitetur Catullus: Non amo te Volusi, nec possum dicere quare: Hoc tantùm possum dicere non amo te. Verùm in adultis fortasse diuinet alius aliam causam, in pueris, qui solo naturæ sensu ducuntur, quid est illud, quod sic hunc illi tanto amore conciliat, rursus alium ab hoc tanto dissidio separet? Ipse quum puer essem natus annos plus minus octo incidi in quendam meæ ætatis, aut fortasis anno maiorem prodigiosæ uanitatis, adeò ut ad omnem occasionẽ ex tempore monstrosa quædam confingeret. Occurrebat mulier, Vides, inquit, hanc? Video. Cum hac decies concubui. Transibamus ponticulum angustum iuxta molam. Vbi uidit me horrescentem ad conspectum aquæ ob profunditatem nigrantis, In hanc, inquit, aquam aliquando prolapsus sum. Quid ais? Illhic reperi cadauer hominis, accinctum crumena, in ea erant anuli tres. Quum nullus esset mentiendi finis, sic puer horrui puerum, ut uiperam minus, nulla certè ratione, cùm talibus mendacijs alij delectarentur, sed tantùm arcano naturæ sensu. Neque uerò id fuit temporarium, imò & hodie sic horreo natura uanos, ut conspectis illis sentiam totum corporis habitum commoueri. Tale quiddam in Achille notat Homerus, quum profitetur mendaces sibi æquè odiosos, atque ipsas inferorum portas. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contrà fato natus uideor, ut per omnem uitam mihi cum

mendacibus & impostoribus fuerit res. IO. *At nondum uidco scopum, quò totus hic sermo confertur.* EP. *Expediam paucis. Sunt qui felicitatẽ petant à magicis artibus, sunt qui ab Astris: ego nullam certiorem ad felicitatẽ uiam arbitror inueniri posse, quàm si quisque abstineat ab eo uitæ genere, à quo naturæ sensu tacito abhorret, ad id se conferat, quò propensus est, semper excludo turpia. Item ab eorum consuetudine se subducat, cum quorum genijs sentit suo genio non conuenire, & his se copulet, ad quos arcano naturæ fertur affectu.* IO. *Id si fiat inter paucos, erit amicitia.* EP. *Christiana charitas se dilatat ad uniuersos, familiaritas autem cum paucis habenda est. Et qui nullum quamuis malum lædit, gauisurus etiam si resipiscat, satis opinor Christianè diligit omnes.*

PROBLEMA.

CVRIO, ALPHIVS.

CVR. *Lubens ex te rerum plurimarum perito discerem quiddam, si tibi non sit molestum.* ALP. *Agè Curio percontare quod uoles, ne non respondeas tuo nomini.* CV. *Equidem non grauabor dici Curio, modò ne addas animal illud monosyllabum, Veneri iuxtà ac Mineruæ inuisum.* AL. *Dic igitur, quid uelis.* CV. *Scire cupio, quid sit, quod appellamus graue, & leue.* AL. *Eadem opera roga, quid sit frigidum, & calidum. Quin tu isthuc problema baiulis proponis potius, quàm mihi, aut si mauis, asinis, qui grauitatem oneris demissis auriculis indicant.* CVR. *At ego non asininam, sed philosophicam responsionem expecto, præsertim ab Alphio.* AL. *Graue est, quod suapte natura fertur deorsum; leue, quod sursum.* CV. *Quur igitur*

igitur Antipodes, qui infra nos sunt, non decidunt in subiectum cœlum? AL. Pariter illi mirantur quamobrem tu non decidas in cœlum, non subiectum, sed imminens. Cœlum enim est supra omnia, quæ intus complectitur, nec Antipodes sunt infra te nihilo magis, quàm tu supra illos: contra nos esse possunt, infra nos non possunt. Alioqui iustius admirareris, quur rupes quas sustinet Antipodum terra, non decidant, cœlumq; perrumpant. CVR. Quæ est igitur natiua sedes grauium, quæ contrà leuium? AL. Ad terram natiuo motu deferuntur omnia grauia, ad cœlum leuia: de motu uiolento aut animalis iam non loquimur. CV. Est igitur motus aliquis, qui dicitur animalis? AL. Est. CV. Quinam? AL. Is fertur iuxta quatuor corporis situs, prorsum, retrorsum, ad dexterã, ad læuam, & in circulum, et in principio, ac fine celerior est, in medio lentior. Nam in initio uigor addit alacritatem, in fine propinquo spes perueniendi, quò tendit animal. CVR. Nescio quid alijs accidat animalibus, sed habeo famulam, quæ lassa est prius, quàm incipiat, delassata prius, quàm opus absoluat. Verum redi ad id, quod agere cœpisti. AL. Natiuo inquam motu, quæ grauia sunt feruntur deorsum, Et quò quidq; grauius est, hoc celeriore motu fertur ad terram: quò leuius, hòc maiore impetu rapitur in cœlum. Contrà fit in motu uiolento, qui celerior in initio, paulatim segnescit, quum contrà fiat in motu naturali, ueluti sagitta in altum missa, & saxum ex alto decidens. CVR. Atqui ego putabam homines sic per orbem terræ discurrere, quemadmodũ minutissimæ formicæ cursitant in prægrandi sphæra, hærent undiq;, nec ulla decidit. ALP. In

causa sunt, sphæræ superficies nonnihil habens asperum, tum scabrities quædam in formicarum pedibus, quam habent insecta ferè omnia, postremò corpusculorum leuitas, id si non credis, fac sphæram uitream bene leuem, & glabram, uidebis solas formicas non decidere, quæ in summo uersantur orbe. C V. Si quis Deus orbem terræ medium perterebret, hinc usque ad Antipodes perpendiculo per centrum demisso, quemadmodum solent Cosmographi, terræ totius situm in globis ligneis repræsentantes, tum si saxum conijcias in foramen, quò perferetur? A L. Vsque ad terræ centrum, ibi quies est omnium grauium. C V R. Quid si Antipodes quoq; ex aduerso mittant lapidē? A L. Tunc lapis occurret lapidi circa centrum, ibi conquiescet uterq;. C V. Agè, si uerum est, quod dixisti, motum natiuum progressu magis ac magis incitari, si nihil obstet, lapis aut plumbum coniectum in foramen, ob motus uehemētiam prætercurret centrum, iamq; prætermisso centro rursum motus erit uiolentus. A L P. Plumbum nunquam perueniret ad centrum, nisi liquefactum, sed lapis si prætereat centrum, motu iam uiolento, primùm segnius feretur, nec aliter redibit ad centrum, quàm lapis ui in altum proiectus redit in terram. C V. Sed recurrens natiuo motu, rursus concitato impetu præteruehetur centrum, itaq; fiet, ut nunquam quiescat lapis. A L. Conquiescet tandem prætercurrens, ac recurrens, donec peruentum fuerit ad æquilibrium. C V. At si nihil est in rerum natura uacuum, oportet foramen illud aëre plenum esse. A L. Esto. C V R. Pendebit igitur in aëre corpus natura graue. A L. Quid ni? quemadmodum chalybs in aëre pendet, undiq; librantibus

tibus magnetibus. Quid autem prodigij si unicum saxum pendeat in meditullio aëris, quum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum? C V. Sed ubi est terræ centrum? A L. Vbi est circuli centrum. C V. Id quidem est punctum indiuisibile. Si tantillum est terræ centrũ, quisquis perforauerit mediam terram, auferet centrum, nec habebunt grauia quò ferantur. A L. Næ tu satis otiosè nugaris. C V. Ne quæso succenseas, discẽdi studio loquor, quicquid loquor. Si quis terræ sphæram perterebret non per ipsum centrũ, sed à latere, puta ut absit à centro centum stadijs, quò tum feretur coniectus lapis? A L. Non feretur rectà per foramen, imò potius rectà, sed ad centrũ: itaq; prius, quàm perueniet ad medium, iam conquiescet in terra quæ ad læuam est, si centrum est ad læuam. C V. Sed quid est hoc, quod reddit corpus graue aut leue? A L. Ad isthuc respondeat tibi Deus, quur ignẽ fecerit omniũ leuissimum, aërem proxima leuitate, terram grauissimã, proxima grauitate aquã. C V. Quur igitur nubes aqueæ, pendent in sublimi aëre? A L. Quoniam à sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus è lignis humentibus uiolento calore excussus. C V. Quur igitur tanto pondere decidunt, ut interdũ montes in planitiem redigant? A L. Concretio densitasq; addit pondus. Alioqui possunt sic uideri sustineri ab aëre subiecto, quẽadmodũ tenuis ferri lamina sustinetur summa aqua. C V. Sic igitur putas, qd' plurimum habet igneæ naturæ esse leuissimũ, quod terrenæ grauissimũ. A L. Haud procul abes à scopo. C V. Atqui nec quiuis aër pariter leuis est, nec quæuis terra pariter grauis, idẽ de aqua fortasse sentiẽdũ.

AL. Nec mirum, quum ista quæ nominasti, non sint elementa pura, sed ex uarijs elementis temperata: itaque probabile est eam terram esse leuissimam, quæ plurimum habet ignis aut aëris admistum: eam aquam esse grauissimam, quæ grauiorem terram habet admistam, qualem arbitror esse marinam, & eam unde cõficitur sal: itidẽ aër aquæ terræue proximus, grauior est, aut certè minus leuis est, eo, qui procul abest à terra. CV. Vtrum habet plus terrenæ naturæ, lapis, an plumbum? AL. Lapis. CV. Et tamen plumbum lapide grauius est pro ratione portionis. ALP. In causa est densitas: lapis enim rarior est, eoq; plus habet aëris, quàm plumbum. Hinc est quòd uidemus quoddam terræ genus desiccatum, si conijciatur in aquã non subsidere, sed natare: eadem de causa uidemus totos agros natantes: sustinentur enim cauis radicibus arundinum, aliarumq; palustrium herbarum inter se connexis. CV. Hinc fortassis & pumicum leuitas. AL. Quia pleni cauernis sunt, prætereà multo igni decocti: submittuntur enim è locis ardentibus. CV. Vnde tanta suberis leuitas? AL. Iam dictum est. Raritas enim in causa est. CV. Vtrum est grauius plumbum, an aurum? AL. Aurum opinor. CV. Aurum tamen uidetur habere plus igneæ naturæ. AL. Quia noctu uelut ignis lucet, ut ait Pindarus? CV. Scilicet. AL. Sed densitas in auro maior. CV. Vnde id deprehenditur? ALP. Respondebunt aurifices, nec argentũ, nec plumbum, nec æs Cyprium, nec ullum simile genus latius diducitur malleo, quàm aurum. Eadem ratione philosophi deprehẽderunt nihil esse liquidius melle & oleo, quòd si quis hæc inunctione dilatet, & latißimè

diffun

diffunditur humor, & ſicceſcit ſerius. C V. *Sed utrum grauius eſt oleum an aqua?* A L. *Si de oleo lini loqueris, arbitror oleum eſſe grauius.* C V. *Quur igitur aquæ ſupernatat olcũ?* A L. *Leuitas nõ eſt in cauſa, ſed ignea olei natura, tum peculiaris omnium pinguiũ uis ab aqua abhorrens, quæ eſt in herba quæ dicitur ἀβακ☉.* C V. *Quur igitur non natat ferrum igni candens?* A L. *Quia non eſt calor natiuus. Et ideo citius penetrat aquam, quòd caloris magnitudo diſpellat obſtantem liquorẽ. Sic cuneus ferreus citius petit ima, quàm lamina.* C V. *Vtrum intolerabilius eſt ferrum candens, an frigidum?* A L. *Candens.* C V. *Grauius igitur.* A L. *Eſt, ſi cõmodius eſt geſtare manu paleam incenſam, quàm ſilicem frigidum.* C V. *Quid eſt in cauſa quòd lignũ ligno leuius aut grauius eſt?* A L. *Denſitas ac raritas.* C V. *At ipſe noui quendam è familia regis Britanniæ, qui in conuiuio oſtendit nobis lignum, eius, ut aiebat, arboris, quæ fert aloën: adeò ſolidum erat, ut lapis uideri poſſet: adeò manibus libranti leue, ut arũdo uideri poſſet: & ſi quid ſicca arundine leuius: impoſitum uino (putabat enim ita depelli uenena) mox properabat ad fundum, ut uix plumbũ celerius.* A L. *Nec denſitas, nec raritas ſemper in cauſa eſt, ſed peculiaris & occulta in rebus cognatio, quæ facit ut quædam ſeſe amplectantur, aut refugiant, ueluti magnes attrahit chalybem, uitis refugit braſſicam, & flamma etiam è longinquo ad naphtham tranſuolat, aliquantò inferiore loco poſitam, quũ naphtha ſit natura grauis, flamma leuis.* C V. *Omne genus æris innatat argẽto uiuo, ſolum aurum ſubſidit & circunuoluitur, quum argentum uiuum ſit materia liqui-*

diſsima. AL. *Non habeo quod reſpondeam, niſi peculiarem naturæ cognationem: ad hoc enim natum eſt argentum uiuum, ut purget aurum.* CV. *Cur Arethuſa fluuius ſubter mare Sicanũ tranſit, ac nõ potius innatat, quũ antea dixeris marinam aquã fluuiatili eſſe grauiorẽ?* AL. *Naturale diſsidium eſt in cauſa, ſed arcanum.* CV. *Quur natant cygni, quũ homines eandem aquam ingreſsi peſſum eant?* AL. *In cauſa non eſt tantùm pennarum concauitas leuitasq́, uerùm etiam ſiccitas, quam aqua refugit: hinc eſt quòd in panno lino'ue uehementer ſicco, ſi ponas aquam aut uinum, in globum ſe contrahit, ſin in humidum, mox ſpargitur. Itidem ſi infundas liquorem in cyathum ſiccum, aut marginibus pingui oblitis, & infundas aliquantò plus, quàm cyathus capit, liquor circa medium citius colligit ſeſe in rotundum, quàm tranſeat margines.* CV. *Quur in fluminibus naues minus ſuſtinent oneris, quàm in mari?* AL. *Quia ſubtilis eſt fluuiatilis aqua. Eadem de cauſa uolucres facilius ſeſe librant in aëre craſsiore, quàm uehementer ſubtili.* CV. *Cur non ſubſidunt Flotæ?* AL. *Quoniam cutis ſole deſiccata & leuior facta eſt, & humorem reſpuens.* CV. *Quur ferrũ diductum in amplam laminam natat, quum idem contractũ ſidat?* AL. *Partim ſiccitas eſt in cauſa, partim aër inter aquam & laminã miſtus.* CV. *Vtra res grauior, aqua an uinum?* AL. *Arbitror uinũ nõ cedere aquæ.* CV. *Quamobrem ergo qui ab œnopolis emunt uinũ, aquam pro uino reperiunt in imo dolio?* AL. *Quia uinum habet pingue quiddam, quod aquæ refugit liquorẽ, nõ aliter quàm oleum. Argumentum in promptu eſt: Quò uinum eſt generoſius*

neroſius, hòc & difficilius admiſcetur aquæ, & incenſum ardet uehementius. CV. Quur in Aſphaltite lacu nullum corpus animalis uiuum mergitur? AL. Non eſt meum ad omnia naturæ miracula reſpondere. Habet illa quædam arcana, quæ nos mirari uoluit, ſcire noluit. CVR. Quur homo macilentus obeſo grauior eſt, ſi cætera ſint paria? AL. Quoniam oſſa denſiora ſunt carne, & ideo grauiora. CV. Quur idem homo ieiunus grauior eſt ſeipſo pranſo, quum corpori onus acceſſerit? AL. Cibo, potuq; ſpiritus augentur, & ij addunt corpori leuitatem. Vnde & hilaris leuior eſt mœrente, & mortuus uiuo longè grauior. CV. Sed quî fit, ut idem homo quum uult, faciat ſe grauiorem, aut leuiorem? AL. Contento ſpiritu reddit ſe leuiorem, emiſſo grauiorem. Sic natat ueſica inflata, & clauſa, pertuſa ſidit. Sed quando Curio deſinet nobis occinere cur? CV. Deſinam, ſi mihi pauca etiam dixeris, cœlum utrum graue ſit, an leue. AL. An leue ſit, neſcio, certè graue non poteſt eſſe, quum ſit naturæ igneæ. CV. Quid igitur ſibi uult uetus prouerbium, Quid ſi cœlum ruat? AL. Quia rudis antiquitas Homerum ſecuta credidit cœlum eſſe ferreum. Sed Homerus à coloris ſimilitudine ferreum dixit, non à pondere, quemadmodum nos cinericeum dicimus, quòd cineris colorem præ ſe ferat. GV. Eſt igitur cœlum coloratum? AL. Non uerè, ſed tale nobis uidetur propter aërem, & liquorem medium: quemadmodum ſol nobis nunc rubet, nunc fuluet, nunc candicat, quum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem & iridis pictura, non in cœlo eſt, ſed in aëre humido. CVR. Verùm ut finiam, fateris cœlo nihil eſſe ſublimius, quacunq; tegit orbem ter

ra

ræ? AL. Fateor. CV. Et centro terræ nihil esse profundius? AL. Scilicet. C V. Inter omnes rerum species quid est grauissimum? A L. Aurum opinor. C V R. Hic abste uehementer dissentio. AL. An scis aliquid auro grauius? CV. Scio, & quidem multis partibus. A L. Proinde me uicissim doce quando scis, quod me nescire profiteor. CV. Quod igneos illos spiritus è summo cœli uertice depressit in ima Tartari: nam eà collocāt in centro terræ, non'ne oportuit omnium esse grauissimum? A L. Fateor, sed quid nam fuit illud? CV. Peccatum, quod & hominum animas, quas Maro uocat aurai simplicis ignes, eôdem demergit. AL. Si libet ad istud Philosophiæ genus demigrare, fateor & aurum, & plumbum esse plumeæ leuitatis, si cum peccato conferatur. CV. Quî fiet igitur, ut qui hac sarcina sunt onusti, subuolent in cœlum? A L. Profectò non uideo. C V. At qui sese parant ad cursum, saltum'ue, non solùm quicquid est oneris abijciunt, uerùm etiam contento spiritu sese reddunt leuiusculos: & ad hunc cursum, saltumq; quo ferimur in cœlum, non studemus illud abijcere, quod omni saxo, omni plumbo grauius est? A L. Faceremus, si uel micam sanæ mentis haberemus.

EPICVREVS.

HEDONIVS, SPVDAEVS.

HE. Quid uenatur meus Spudæus, quòd sic totus incumbit libro, nescio quid secũ murmurans? SP. Planè uenor Hedoni, sed nihil aliud quàm uenor. H E. Quid uoluminis est, quod habes in sinu? SP. Dialogi Ciceronis de Finibus bonorum. HE. At quantò satius esset quærere bonorum initia, quàm fines. SP. Sed M. Tullius finem boni appellat

lat bonum omnibus numeris absolutum, quod qui sit assequutus, præterea nihil desideret. HED. Opus cum primis eruditum & eloquens, sed non tibi uideris aliquod operæ pretium feciſſe, quod ad ueri cognitionem attinet? S P. Hoc mihi uideor feciſſe lucri, quòd nunc magis etiam ambigam de finibus, quàm antea. HE. Agricolarum eſt ambigere de finibus. S P. Nec ſatis queo mirari, de re tanta inter tantos uiros tantam fuiſſe ſententiarum pugnam. H E. Nimirùm quia fœcũdus eſt error, quum ſimplex ſit ueritas. Quoniam totius negotij caput ac fontem ignorant, diuinant, ac delirant omnes: ſed quæ ſententia tibi uidetur eſſe ſcopo uicinior? S P. Quum audio impugnantem M. Tullium, diſplicent ſingulæ: rurſus quum audio defendentem, fio prorſus ἐφεκτικός. Mihi tamen Stoici uidentur minimus aberrare à uero, quibus proximũ locum tribuo Peripateticis. HE. At mihi nulla ſecta magis arridet, quàm Epicureorum. S P. Atqui inter omnes nulla damnatior omniũ ſuffragijs. HE. Miſſam faciamus nominum inuidiam, fiet rit Epicurus, qualem quiſque uelit, rem per ſe conſideremus. Ille felicitatem hominis collocat in uoluptate, eamq; uitam iudicat beatiſſimam, quæ plurimum habeat uoluptatis, triſtitiæ quàm minimũ. S P. Sic eſt. HE. Quid dici potuit hac ſententia ſanctius? S P. Imò clamitant omnes hanc eſſe uocem pecudis, nõ hominis. HE. Scio, ſed iſti errant in rerum uocabulis. Quòd ſi de ueris loquamur, nulli magis ſunt Epicurei quàm Chriſtiani piè uiuentes. S P. Cynicis propiores: nam iſti ſe macerant ieiunijs, deplorant ſua cõmiſſa, & aut ſunt tenues, aut benignitas in egenos conciliat illis inopiam: opprimuntur à potentioribus, deridentur à pleriſq;

ἐφεκτικὸς, dubitans. Academicus: dicti Academici ἐφεκτικοὶ, quòd nihil auderent certò definire.

pleriſq;. *Si uoluptas adfert felicitatẽ, hoc uitæ genus à uoluptatibus, quàm lõgiſſimè uidetur abeſſe.* HE. *Admittis'ne autoritatem Plautinam?* S P. *Si quid rectè dicat.* HE. *Accipe igitur nequiſſimi ſerui dictũ omnibus Stoicorũ paradoxis ſapiẽtius.* S P. *Expecto.* HE. *Nihil eſt miſerius quàm animus ſibi malè conſcius.* S P. *Non reijcio dictum: ſed quid hinc colligis?* HE. *Si nihil miſerius animo ſibi malè cõſcio, conſequitur nihil eſſe felicius animo ſibi benè conſcio.* SP. *Rectè quidem colligis, ſed in qua tandem regione inuenies iſtum animum nullius mali conſcium?* HE. *Malum appello, quod dirimit amicitiam inter Deum, & hominem.* S P. *Et ab hoc mali genere puto perpaucos eſſe puros.* H E D. *Ego uerò & purgatos habeo pro puris. Qui lixiuio lacrymarum, ac pœnitentiæ nitro aut charitatis igni maculas abſterſerũt, eis non ſolùm nihil nocent peccata, uerùm etiam frequẽter in maioris boni materiã cedũt.* S P. *Equidem nitrũ & lixiuiũ noui, igni purgari maculas nunquam audiui.* HE. *Atqui ſi adeas argẽtarias officinas, uidebis aurum igni purgari. Quanq; & ligni genus eſt, quod conjectum in ignẽ non exuritur, ſed nitidius ſplendeſcit, quàm ulla poſſit aqua, eoq; uiuum appellãt.* S P. *Næ tu nobis adfers paradoxum omnibus Stoicorũ paradoxis* παραδοξότερον. *Viuunt illi uitã uoluptuariã, quos Chriſtus appellauit ob id beatos, quòd lugeant?* HE. *Mundo uidentur lugere, ſed re uera deliciãtur, ac quod dici ſolet, toti melle perũcti ſuauiter uiuunt, adeò ut cum his collocati, Sardanapalus, Philoxenus, Apitius, aut ſi quis alius eſt uoluptatũ ſtudio nobilitatus, triſtem, ac miſerã peregerint uitã.* S P. *Nouna narras, ſed uix credenda.* HE. *Experire, & omnia terq; quaterq;*

Plautus in Moſtel. ſcena 8.

Id eſt, inopinabilius, ſiue multo præter opinionem.

quaterq; dices uera fuisse mea. Efficiam tamẽ, ut arbitror, ni uideatur usquequaquè ueri dissimile. SP. Accingere. HE. Faciam si mihi prius quædam concesseris. SP. Modò tu æqua postules. HE. Lucrum annumerabo, si sortem dederis. SP. Agé. HE. Primùm illud, opinor, dabis, nonnihil interesse inter animam & corpus. SP. Quantum inter cœlum & terram, inter immortale & mortale. HE. Déinde falsa bona non esse ponenda in bonis. SP. Nihilo magis quàm umbræ habendæ sunt pro corporibus, aut præstigiæ magorum, somniorum'ue ludibria ducẽda sunt pro ueris. HE. Hactenus cõmodè respondes. Dabis, opinor, & illud, ueram uoluptatem non cadere, nisi in animũ sanum. SP V. Quid ni? Nullus enim sole delectatur, si lippiant oculi, aut uino, si febris palatum infecerit. HE. Nec ipse, ni fallor, Epicurus amplecteretur uoluptatem, quæ longè maiorem cruciatum multoq; diuturniorem secum adduceret. SP. Non arbitror, si quis modò sapiat. HE. Nec illud negabis, Deum esse summum bonum, quo nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil dulcius. SP. Istud nullus iuerit inficias, nisi Cyclopibus immanior: quid tum postea? HE. Iam mihi donasti, nullos suauius uiuere, quàm qui piè uiuunt, nullos miserius & afflictius, quàm qui uiuunt impiè. SP. Plus igitur largitus sum quàm putabam. HE. Sed quod rectè datum est, ut ait Plato, nõ oportet reposcere. SP, Agé. HE. Catella quæ habetur in delicijs, pascitur lautissimè, cubat molliter, ludit ac lasciuit iugiter, an non uiuit suauiter? SP. Viuit. HE. Optares tibi talem uitam? SP. Bona uerba, nisi pro homine uelim esse canis. HE. Fateris igitur præcipuas uoluptates ab animo, efficisci uelut

à fonte?

à fonte? SP. Apparet. HE. Tanta enim animi uis est, ut sæpe doloris externi sensum adimat: nonnunquam quod per se est amarum, reddat iucundum. SP. Isthuc quotidie uidemus in amantibus, quibus dulce est peruigilium, & hybernis noctibus excubare ad amicæ fores. HE. Iamillud reputa, si tantam uim habet amor humanus, qui nobis cum tauris & canibus est communis, quantò plus ualeat amor ille cœlestis à Christi spiritu profectus: cuius tanta uis est, ut mortem quoq; qua nihil terribilius, reddat amabilem. SP. Quid alij sentiant intus, nescio, certè carent multis uoluptatibus, qui adhærent uerę pietati. HE. Quibus? SP. Non ditescunt, non assequuntur honores, non conuiuantur, non saltant, non olent unguenta, non rident, non ludunt. HE. De diuitijs & honoribus nulla erat hic facienda mentio, quæ non adferunt uitam iucundam, sed solicitam potius & anxiam: de cæteris agamus, quæ cum primis uenãtur quibus studio est suauiter uiuere. Non'ne quotidie uides ebrios, fatuos & insanos, ridentes ac saltantes? SP. Video. HE. Num putas illos suauiter uiuere? SP. Hostibus contingat illa suauitas. HE. Quam ob rem? SP. Quia non adest sana mens. HE. Tu igitur malles ieiunus incumbere libro, quàm ad eum modũ delectari. SP. Planè mallem uel agrum fodere. HE. Nam inter diuitem ac temulentum nihil interest, nisi quòd huic insaniæ medetur somnus, illi uix medicorum cura succurrit. Natura fatuus nihil differt ab animãte bruto, præter formã corporis, sed leuius miseri sunt quos natura genuit brutos, quã qui belluinis cupiditatibus obbrutuerũt. SP. Fateor. HE. Iam num tibi sobrij uidentur aut sani, qui propter præ-

stigias

ſtigias umbras q; uoluptatum, & ueras animi uoluptates negligunt, & ueros ſibi cruciatus accerſunt? S P. *Non uidentur.* H E. *Non ſunt illi quidem temulenti uino, ſed amore, ſed ira, ſed auaritiæ, ſed ambitione, alijſq; prauis cupiditatibus, quæ longè perniciosior eſt ebrietas, quàm quæ uino contrahitur. Syrus ille in comœdia poſteaquàm edormiuerat uillum quod biberat, ſobria loquitur: at animus uitioſa cupiditate ebrius, quàm grauate redit ad ſeſe: quot annis urget mentem amor, ira, odium, libido, luxus & ambitio? quàm multos uidemus ab adoleſcentia ad decrepitam uſq; ætatem, ab ambitionis, auaritiæ, libidinis, luxusq; tumultentia nunquàm expergiſci ac reſipiſcere?* S P. *Iſtiuſmodi noui nimium multos.* H E. *Largitus es, falſa bona non eſſe in bonis ducenda.* S P. *Nec repoſco.* H E. *Nec eſt uera uoluptas, niſi quæ ex ueris naſcitur.* S P. *Fateor.* H E. *Non ſunt igitur uera bona, quæ uulgus hominum per fas nefaſq; uenatur.* S P. *Non arbitror.* H E. *Si uera eſſent bona, non contingerent niſi bonis, & beatos redderent, quibus obueniunt. Quid autem uoluptas? num uera uidetur quæ non ex ueris bonis, ſed ex falſis bonorum umbris naſcitur?* S P. *Nequaquam.* H E. *At uoluptas efficit, ut ſuauiter uiuamus.* S P. *Maximè.* H E. *Nullus igitur uerè uiuit ſuauiter, niſi qui piè uiuit, hoc eſt, qui ueris fruitur bonis: ſola autem pietas reddit hominem beatum, quæ Deum ſummi boni fontem homini ſola conciliat.* S P. *Propémodum aſſentior.* H E. *Nunc mihi uide quot paraſangis abſint à uoluptate, qui uulgò uidentur præter uoluptates nihil ſequi. Primum animus illorum impurus eſt, & cupiditatũ fermento uitiatus, ut etiã ſi quid*

incidat dulce protinus amarescat, quemadmodum fonte uitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde, non est uera uoluptas, nisi quæ sano percipitur animo. Nam irato nihil uindicta iucundius: sed ea uoluptas uertitur in dolorẽ, simul atque morbus animum reliquerit. SP. Non refragor. HE. Postremò uoluptates illæ sumuntur ex falsis bonis, unde consequitur & illas esse præstigias. Quid porrò diceres, si uideres hominem magicis artibus delusum, uesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, quum nihil earum rerum uerè adesset, quas se uidere credit? SP. Equidem & insanum dicerem, & miserum. HE. Simili spectaculo ipse nõnunquam interfui. Sacerdos erat, qui celebrabat artem præstigiatoriam. SP. Eam non didicerat è literis sacris. HE. Imò è sacerrimis, hoc est, execratissimis. hunc aliquot aulicæ fœminæ frequenter appellabant, ut acciperentur ab eo conuiuio, sordes & parsimoniam opprobrantes. annuit, iuuitauit. Venerunt ieiunæ, quò lubentius epularentur. Accubuerunt: nihil aberat, ut uidebatur lautitiarum, explerunt sese affatim: peracto conuiuio egerunt conuiuatori gratias, ac discesserunt suam quæque domum. At mox cœpit oblatrare stomachus. demirantur quid esset hoc monstri, statim à prandio tam splendido esurire ac sitire. Res tandem erupit, & in risum abijt. SP. Et meritò, præstiterat domi lenticula placare stomachum, quàm inanibus spectris deliciari. HE. At mihi uidetur multò magis esse ridiculum, uulgus hominũ pro ueris bonis inanes bonorum umbras amplecti, & his præstigijs delectari, quæ non exeunt in risum, sed in luctus sempiternos. SP. Quò propius intueor, hòc mihi uidere minus absurda

surda loquù. HE. Agè largiamur, ut interim in nomen uoluptatis ueniant, quæ re uera non sunt: appellares'ne mulsum dulce, cui longè plus esset admistum aloës, quàm mellis? SP. Non dicerē, si uel triens aloës esset admistus. HE. Aut optares tibi malam scabiem, quòd scalpendi sit aliqua uoluptas? SP. Non si compos sim mentis. HE. Fac igitur tecum subducas rationem, quantum amaritudinis admistum sit istis falso nomine uoluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, comessatio ac temulentia: Omitto nunc quod est omnium caput, conscientiæ cruciatus, inimicitiam cum Deo, expectationem æterni supplicij. Quod obsecro in his uoluptatibus genus est, quod non ingens externorum etiam malorum agmen secum adducat? SP. Quænam? HE. Rursus omittamus auaritiam, ambitionem, iram, superbiam, inuidiam, quæ per se tristia sunt mala, conferamus illa, quæ præcipuè delectationis nomine commendantur. Quum largiori potationi succedit febris, capitis dolor, alui tormina, ingenij stupor, famæ macula, memoriæ detrimentum, uomitus, & ruina stomachi, tremor corporis, num uel Epicurus existimaret eam uoluptatem expetendam? SP. Fugiendam diceret. HE. Quum adolescentes è scortatione nouam lepram, quã nunc ὑποκαρίζοντες quidam Neapolitanam scabiem appellant, sibi ut ferè fit contrahunt, per quam toties sit illis in uita moriendum, semper uiuum cadauer circumferendum, non'ne bellè uidetur ἐπικαρίζειν? SP. Imò ἐπὶ κυρίᾳ θεᾷ. HE. Iam finge delectationis ac doloris æquilibrium, optares'ne tam diu cruciari dolore dentiū, quàm diu durauit potationis aut scortationis uoluptas? SP. Equidē mal-

ὑποκαρίζοντες, blãdiappellatores, qui speciosо nomine rem sceleratam appellant.

ἐπικαρίζειν, Epicurũ agere. ἐπικαρίζειν θεᾷ, ad tonstrinas currere.

lem utroque carere: nam uoluptatem emere dolore, non
ἀναλγησία, doloris absentia. est lucrum, sed pensatio: hic sanè potior est ἀναλγησία, quam Cicero ausus est, indolentiam appellare. HE. At nunc uoluptatis illicitæ titillatio præterquàm quòd longè minor est cruciatu quem adducit, temporis etiam exigui est: Lepra uerò contracta per omnem uitam miserè discruciat, totiesq; mori cogit, priusquàm mori liceat. SP. Tales discipulos non agnoscereret Epicurus. HE. Luxuriæ comes plerũq; est egestas, onus & miserum, & graue: libidinis immodicæ paralysis, tremor neruorum, lippitudo ac cæcutientia, lepra, at non hæc tantum. An non egregia negotiatio, nec ueram, nec synceram, ad hæc, breuem delectationem, tot tantò grauioribus ad diuturnioribus commutare malis? SP. Vt non accedat cruciatus, mihi stultißimus negotiator esse uideatur, qui gemmas uitro permutet. HE. Illud dicis, qui uera animi bona, ob fucatas corporis uoluptates amittat. SP. Ita sentio. HE. Nunc redeamus ad exactiorem supputationem: nec febris aut egestas semper comitatur luxum, nec noua lepra aut paralysis semper comitatur Veneris immodicum usum: sed conscientiæ cruciatus, quo nihil esse miserius iam inter nos conuenit, semper comes est illicitæ uoluptatis. SP. Imò præcurrit interdum, & in ipsa uoluptate fodicat animum. Sunt tamen quos dicas hoc sensu carere. HE. Iam hoc ipso infeliciores. Quis enim non malit sentire dolorem, quàm corpus habere stupidũ & sensus expers? Verum ut nonnullis uel cupiditatũ intemperantia, uelut ebrietas quædã, uel uitiorũ assuetudo ceu callus quidam, mali sensum adimat in iuuẽta, quum ad senectutẽ peruentũ fuerit, ac præ-

ter

ter innumera incommoda, quorum thesaurum superioris uitæ commissa reposuerunt, de propinquo terret mors nulli mortalium euitabilis, tantò grauius discruciat conscientia, quantò magis per omnem uitam stupuit. Tum enim, uelit nolit, expergiscitur animus. Senectus autem quum per se sit tristis, quippe multis naturæ incommodis obnoxia, quantò miserior est, atq; etiam turpior, si urgeat animus sibi malè conscius? Conuiuia, comessationes, amores, choreæ, cantilenæ, cæteraq; quæ iuueni uidebãtur suauia, seni sunt amara: nec aliud habet ætas illa quo se fulciat, nisi si adsit uitæ innocenter actæ recordatio, ac spes uitæ melioris. Hi sunt duo scipiones, quibus nititur senecta: quòd si pro his subductis, imponas geminam sarcinã, uitæ perperam actæ memoriã, & futuræ felicitatis desperationem, obsecro, quod animal fingi potest afflictius aut miserius? SP. Equidem non uideo, etiam si quis τὸ ἴππος γῆρας obijciat. HE. Tum denique serò sapiunt Phryges: & illud uerißimè dictum, Extrema gaudij luctus occupat: et, Non est oblectamentum super cordis gaudium: &, Animus gaudens floridam ætatem facit, spiritus tristis exiccat ossa: item illud, Omnes dies pauperis mali, hoc est, afflicti ac miseri: secura mens quasi iuge conuiuium. SP. Sapiunt igitur qui maturè rem faciunt, & colligũt uiaticum uenturæ senectuti. HE. Scriptura mystica non tam humi repit, ut fortunæ bonis metiatur hominis felicitatẽ: is demũ eximiè pauper est, q̃ nudus est omni uirtute, et animã simul cũ corpore debet Orco. SP. Is qdẽ exactor est implacabilis. HE. Is uerè diues est, qui Deũ habet propitiũ. Quid autẽ metuat, qui talẽ habeat protectorẽ: num homines? minus po-

id est, equi senẽ autem.

Prouerb. 14. Eccl. 30. Prouerb. 17. Prouerb. 15.

test uniuersorũ hominum potestas aduersus Deum, quàm culex aduersus elephantem Indicum. num mortem? ea pijs transitus est ad æternam beatitudinem. num inferos?

Psal. 22. *sed cõfidenter Deo loquitur uir pius: Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quur metuat dæmones, in pectore gerens eum, quem tremunt dæmones? nam hominis pij mentem templum esse Dei, non uno in loco prædicat scriptura, uerè*

Id est, autentica cui nequit contradici, ἀναντίῤῥητον. SP. *Equidem non uideo, quibus rationibus ista queant refelli, quanquàm uidetur plurimum abesse à sensu communi.* HE. *Qui sic?* SP. *Nam ad tuam ratiocinationẽ quiuis Franciscanus uitã ageret magis uoluptuariã, quàm alius, opibus, honoribus, breuiter omni genere deliciarum affluens.* HE. *Adde monarchæ sceptrum, si libet, adde pontificiã coronam, eamq; è triplici fac centuplicem, modò detrahas animum sibi bene conscium, audacter dicã hunc Franciscanũ, nudipedẽ, nodoso fune cinctum, tenuiter ac uiliter amictũ, iciunijs, uigilijs, ac laboribus attenuatũ, qui teruncium non habet in orbe, modò adsit bona mens, delicioſius uiuere, quàm si in unum hominem sexcentos conflet Sardanapalos.* SP. *Vnde igitur est, quòd pauperes ferè conspicimus tristiores diuitibus?* HE. *Quia bis pauperes sunt plerique. Alioqui, morbus, inedia, uigilia, labores, nuditas, extenuant quidem corporis habitum, sed tamen non in his tantum, sed etiam in ipsa morte sese exerit mentis alacritas. Animus enim quanquàm illigatus est mortali corpori, tamen quoniam naturæ potentioris est, corpus ipsum quodammodo transformat in sese, præsertim si ad uehementẽ naturæ impetũ accedat ἐνέργεια spiri-*

Id est, efficacia.

tus

tus. Hinc est quòd sæpenumero uidemus homines uerè pios maiore cum alacritate morientes, quàm alios conuiuantes. SP. Isthuc profectò non rarò sum admiratus. HE. Atqui non est admirãdum, illhic esse inuincibile gaudium, ubi adest omnis lætitiæ fons Deus. Quid autem noui est, animum uerè pij hominis gaudere iugiter in mortali corpore, quum idem si ad intima Tartari demergatur, nullum felicitatis detrimentum facturus sit? Vbicunq; pura mens est, ibi Deus est: ubicunq; Deus est, ibi paradisus est, ibi cœlum est, ibi felicitas est: ubi felicitas est, ibi gaudium est uerum, & alacritas syncera. SP. Attamen suauius uiuerẽt, si absint incommoda quædam, & adessent oblectamenta, quæ uel negligũt, uel nõ assequuntur. HE. Quæ uerò mihi narras incommoda? Quæ lege communi comitantur conditionem humanam? Famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terræ motus, inundationes, bella? SP. Et ista quoque. HE. At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoq; malis, longè tolerabilior est priorum conditio, quàm uoluptates corporis per fas nefasq; uenantium. SP. Quî sic? HE. In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos, cæteris moderatius ferunt ea, quæ uitari non possunt. Dein, quoniam intelligunt illa omnia à Deo immitti uel ad purgationẽ criminum, uel ad exercitationem uirtutis, non modò patienter, uerum etiam gaudenter, tanquam obedientes filij illa de manu propitij patris acipiũt, atq; etiã gratias agũt, uel pro clemẽti correctiõe, uel p inæstimabili lucro. SP. Sed multi sibi accersunt corporis molestias. HE. Sed plures adhibẽt medicorũ

remedia, quo corporis sanitatem uel tueantur, uel recuperent. Cæterum accersere molestias, hoc est, inopiam, aduersam ualetudinem, persequutionem, infamiã, nisi quum huc impellit Christiana charitas, non est pietatis, sed stultitiæ. Cæterum quoties infliguntur ob Christũ & ob iustitiam, quis ausit eos uocare miseros, quum ipse Dominus appellet eos beatos, & horum gratia gaudere iubeat? S P. Habent tamen interim & ista sensum cruciabilem. H E. Habent, sed quem facilè absorbet, hinc metus gehennæ, illhinc spes æternæ beatitudinis. Agè si tibi persuasum esset te nunquàm ægrotaturum, aut ullam corporis molestiam sensurum in omni uita, si semel patiaris cuspide aciculæ tibi summam pungi cutem, non'ne lubens & gaudens acciperes tantillũ dolorem? S P. Maximè. Imò si certò sciam mihi nunquàm in uita dolituros dẽtes, æquo animo patiar uel altius infigi acum, atque etiam ambas aures subula perforari. H E. Atqui quicquid in hac uita accidit afflictionis, leuius ac breuius est ad æternos cruciatus, quàm momentaneum acus uulnusculum ad hominis uitam, quamuis longam: nulla enim analogia, rei finitæ ad infinitam. S P. Verissima prædicas. H E. Iam si quis tibi persuadeat, te per omnem uitam omni molestia carituru, si semel manu flammam diuidas, quod fieri uetuit Pythagoras, non'ne lubens id faceres? S P. Ego sanè uel centies, modò ne me fallat promissor. H E. Deus ne potest quidem fallere: sed ille flammæ sensus diuturnior est, ad totam hominis uitam collatus, quàm tota uita collata ad cœlestem beatitudinem, etiam si quis trium Nestorum excedat annos. Siquidem illa quantum

tumlibet breuis manus iniectio, nonnulla huius uitæ portio est: sed tota hominis uita, nulla portio est æternitatis. S P. *Non habeo quod contra dicam.* H E. *Ad hanc igitur qui toto pectore, certáq; spe properant, quum tam breuis sit transcursus, an credis eos huius uitæ molestijs discruciari?* S P. *Non arbitror, modò adsit certa persuasio firmáq; spes assequendi.* H E. *Venio nunc ad oblectamenta quæ obijciebas. Abstinet à choreis, à comessationibus, à spectaculis, hæc nimirum ita contemnunt, ut fruantur multò iucundioribus, nec minus oblectentur, sed aliter. Oculus non uidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascẽderũt quæ solatia Deus parauerit diligentibus ipsum.* 1. Corint. 2. & Esaiæ 64. *Beatus Paulus agnouit, quæ sint cantica, quæ choreæ, quæ tripudia, quæ comessationes piarum mentium, etiam in hac uita.* S P. *At sunt quædam uoluptates licitæ, quas isti sibijpsis interdicunt.* H E. *Etiam licitarum uoluptatum immodicus usus est illicitus, hunc si excipias, in cæteris omnibus superant qui uidentur asperam uitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quàm huius mundi contemplatio? Ex eo longè plus capiunt uoluptatis homines Deo chari, quàm cæteri. Siquidem hi dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo, quòd multarum rerum causas non assequantur. In quibusdam etiam ceu Momi quidam obmurmurant opifici, neque rarò naturam pro matre nouercam appellant, quod conuicium, uerbo tenus quidem naturam ferit, sed re uera in eum redundat qui naturam condidit, si qua est omnino natura. At homo pius religiosus ac simplicibus oculis magna cum animi*

uoluptate ſpectat opera domini patriſq; ſui, demirans ſingula, nihil reprehendens, ſed pro cunctis gratias agens, quam reputat hæc omnia propter hominem eſſe condita, atque adeò in ſingulis rebus adorat omnipotentiam, ſapientiam, ac bonitatem conditoris, quarum ueſtigia perſpicit in rebus conditis. Iam finge mihi eſſe aliquod palatium re uera tale, quale Pſychæ fingit Apuleius, aut ſi quod potes magnificentius elegantiusq; : huc adhibe duos ſpectatores, alterum peregrinum, qui tantùm uiſendi cauſa uenerit, alterum ſeruum aut filium eius, qui conſtruxit hoc ædificium: uter impenſius delectabitur, hoſpes ille, ad quem ea domus nihil attinet, an filius, qui chariſſimi patris ingenium, opes ac magnificentiam in ædificio magna cum uoluptate ſpeculatur, præſertim quum cogitet totum hoc opus ipſius gratia factum eſſe? SP. Percontatio tua non eget reſponſo, ſed plerique non pijs moribus, ſciunt cœlum & quæ cœlo clauduntur, hominis cauſa eſſe condita. HE. Sciunt plerique omnes, ſed non omnibus hoc uenit in mentem: & ſi uenit in mentem, plus tamen capit uoluptatis qui magis amat opificem: quemadmodum alacrius intuetur cœlum, qui ad uitam cœleſtem aſpirat. SP. Veri ſimilia dicis. HE. Iam conuiuiorum ſuauitas, non eſt ſita in lautitijs palati aut coquorum condituris, ſed in proſpera corporis ualetudine, & ſtomachi appetētia. Caue igitur putes ullum Lucullum cœnare iucundius appoſitis perdicibus, phaſianis, turturibus, leporinis, ſcaris, ſiluris aut murænis, quàm uir pius cibario pane, holeribus aut leguminibus, potu uel aquæ uel ceruiſiæ tenuis, uel uini probè diluti, propterea quòd hæc accipit tan

quam

quam missus à benigno patre datos, omnia condit oratio, omnia sanctificat precatio præcedens, sacra lectio comes, magis animum reficiens, quàm esca corpus, & gratiarum actio succedens: postremò surgit à mensa non distentus, sed recreatus, non onustus, sed refectus, & refectus mente pariter & corpore. An tu putas ullum istarum vulgarium cupediarum architectum conuiuari iucundius? SP. Sed in Venere summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus. HE. Et hac in parte uincit homo pius, nõ minus quàm in conuiuio. rem sic accipe: Quò uehemẽtior est erga uxorem charitas, hòc congressus ille connubialis est iucundior. Nulli porrò uehementius amant uxores suas, quàm qui eas sic diligunt, sicut Christus dilexit ecclesiam: nam qui eas uoluptatis gratia diligunt, ne diligunt quidem. Adde, quòd quò rarior est cum uxore congressus, hòc est suauior: quæ res nec impium poëtam latuit, qui scripsit, Voluptates cõmendat rarior usus. Quanquàm minima uoluptatis pars in coitu sita est. Longè maior est in perpetuo conuictu, qui inter nullos potest esse iucundior, quàm inter eos, qui se Christiana charitate synceriter amant, & amant pariter mutuò. In alijs frequenter cum senescente uoluptate senescit amor: Christiana charitas hòc magis uirescit, quò magis delectatio carnis decrescit. An nondum tibi persuasi nullos uiuere iucundius, quàm qui cum pietate degunt? SP. Vtinam itidem sit persuasum omnibus. HE. Quòd si Epicurei sunt qui suauiter uiuunt, nulli uerius sunt Epicurei, quàm qui sanctè pieq; uiuũt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicuri, quàm adorandus ille Christianæ philosophiæ princeps. Græcis enim ἐπίκουρος auxiliatorem decla

rat. Quum naturæ lex esset uitijs tantum non obliteratæ, quum Mosi lex magis iritaret cupiditates, quàm sanaret, quum impune regnaret in mundo tyrannus Satanas, solus ille pereunti humano generi præsentaneam attulit opem. Proinde uehementer falluntur quidã, qui blaterant Christum natura fuisse tristem quempiam ac melancholicum, nosq; ad inamœnũ uitæ genus inuitasse. Imo is unus ostendit uitam omnium suauissimam ueræq; uoluptatis plenissimam, tantùm absit lapis ille Tantalcus. SP. Quid isthuc ænigmatis est? HE. Ridebis fabulam, sed hic iocus seria ducit. SP. Expecto iocum serium. HE. Narrant ij quibus olim studio fuit philosophiæ præcepta fabularum inuolucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse Deorum mensæ, quam uolunt esse lautissimam. Quum hospes esset dimittendus, Iupiter hoc suæ dapsilitatis esse ratus, ne conuiua discederet absq; xenio, permittit ut quod uellet peteret, accepturus quicquid petisset. Tantalus autem stolidus, ut qui beatitudinem hominis uentris & gulæ delectatione metiretur, optauit, ut sibi per omnem uitam liceret tali mensæ accumbere. Annuit Iupiter, & ratum erat uotum: Tantalus assidet mensæ, omni genere deliciarum instructæ, appositum est nectar, nec desunt rosæ, nec odores, qualibus Deorũ nares possint oblectari, adstat pocillator Ganymedes aut Ganymedi similis, circũstant Musæ suauiter canentes, saltat ridiculus Silenus, nec absunt moriones, breuiter quicquid ullum hominis sensum possit oblectare. Sed inter hæc omnia ille sedet tristis, suspirans & anxius, nec hilarescens risu, nec attingens apposita. SP. Quid in causa? HE. Quoniam supra caput accumbentis de pilo

pendet

pendet ingens saxum iamiam casuro simile. SP. Ego me à tali mensa subducerem. HE. Sed illi uotum transijt in necessitatem: neq; enim Iupiter tam placabilis est, quàm noster Deus, qui perniciosa uota mortalium rescindit, si modò pœniteat. Quanquam & alioqui, ne se Tantalus subducat, uetat idem lapis, qui prohibet uesci. Metuit enim ne si se commouerit, ilico saxi ruina conteratur. SP. Ridiculam fabulam. HE. At nunc audi quod non rideas. Vulgus à rebus externis petit uitam iucundam, quum eam non præstet nisi mens secura: nam sibi malè conscijs saxũ multò grauius impendet, quàm impendet Tantalo. Imò non impendet, sed urget premitq; mentem, nec inani metu discruciatur animus, sed in singulas horas expectat, ut conijciatur in gehennam. Obsecro quid est tam suaue in rebus humanis, quod mentem tali saxo pressam possit uerè exhilarare? SP. Nulla profectò res, nisi uel dementia, uel incredulitas. HE. Hæc si perpenderent adolescentes, qui uoluptatibus ceu poculo Circeo dementati, pro uerè iucundis amplectuntur mellita uenena, quanto studio cauerent, nequid per incogitantiam admitterent, quod in omnem uitam mordeat animum? Quid non facerent, ut hoc uiaticum pararent senectuti uenturæ, mentem sibi bene conscíam, & famam nulla labe contaminatam? Quid autem illa senectute miserius, quæ quum respicit in tergum, magno cum horrore uidet, quàm speciosa sunt quæ neglexit, quàm fœda quæ amplexa est? Rursus quum à fronte prospicit, cernit imminere diem supremum. & ab hoc protinus æterna gehennæ supplicia. SP. Felicissimos arbitror, qui primã ætatem seruarunt incontaminatã, & in pietatis

studio

studio semper proficientes peruenerunt usque ad senectutis metam. HE. *Proximus locus debetur ijs, qui à iuuenili temulentia maturè resipuerint.* SP. *Sed quid consilij das illi misero seni?* HE. *Nulli desperandum, quàm diu spirat, iubeo ad domini clementiam confugere.* SP. *Sed quò fuit uita longior, hòc magis accreuit scelerum cumulus, iam arenam exuperans quæ est in littore maris.* HE. *Sed eas arenas longè superant misericordiæ Domini. Arena tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero: at Domini clementia nec modum, nec finem nouit.* SP. *Sed non est spatium breui morituro.* HE. *Quò minus est spatij, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est quòd à terris ad cœlum ualeat pertingere. Penetrat autem & breuis precatio cœlum, modò uehementi spiritus impetu eiaculetur. Euangelica peccatrix fertur per omnem uitam egisse pœnitentiam: Sed latro in ipsa morte, quàm paucis uerbis impetrauit à Christo paradisum?*

Psalmo 50. *Si toto pectore clamauerit, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, dominus tollet saxum Tantaleum, dabit auditui illius gaudium & lætitiam, & exultabunt de condonatis peccatis ossa per contritionem humiliata.*

FINIS.

DES. ERASMVS ROTERODAMUS, de utilitate Colloquiorum, ad lectorem.

ADEO nunc in omnes & in omnia per uniuersum orbem grassatur comitata Furijs ἡ Διαβολή, ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quanquàm quid satis esse tutum possit aduersus sycophantæ morsum, qui uelut aspis ad uocem incantantis, ita ad omnem purgationem quamuis iustissimam obturat aures? Prima pars huius operis, quæ mea fuit & non mea, temeritate cuiusdam erat edita. Quam quum ingenti applausu uiderem exceptam à studiosis, abusus sum affectu uulgari ad profectum studiorum. Quandoquidem nec medici semper ægrotis ministrant saluberrima, sed illis nonnihil concedunt ob hoc ipsum, quòd uehementer appetant. Itidem mihi uisum est, hoc genus illecebris inescare teneram ætatem, quæ iucundis facilius ducitur, quàm serijs aut exactis. Itaque quod editum erat repurgaui, deinde adieci, quæ moribus etiam formandis conducerent, uelut irrepens in animos adolescentum, quos rectè scripsit Aristoteles idoneos auditores Ethicæ philosophiæ, duntaxat eius quæ serijs præceptis traditur. Quòd si quis clamet, indecorum homini seni sic pueriliter ludere, nihil moror quàm pueriliter, modò utiliter. Et si laudantur literatores ætate prouecti, qui pueritiæ crustulis blandiuntur, elementa uelint ut discere prima: mihi non arbitror uitio uerti debere, quòd simili studio iuuentutem illecto, uel ad elegantiam Latini

sermonis

ſermonis, uel ad pietatem. Adde quòd bona prudentiæ pars eſt, noſſe ſtultas uulgi cupiditates & abſurdas opiniones. Eas arbitror ſatius ex hoc libello diſcere, quam experientia, ſtultorũ magiſtra. Multis amara ſunt grammatices præcepta. Ariſtotelis Ethice non eſt apta pueris. Theologia Scoti minus, ne uiris quidem admodum utilis ad parandam bonam mentem: & plurimũ habet momenti, guſtum optimarum rerum protinus inſeuiſſe teneris animis. Et haud ſcio an quicquam diſcitur felicius, quàm quod ludendo diſcitur. Eſt hoc nimirum ſanctiſſimum fallendi genus, per impoſturam dare beneficium. Laudantur enim medici, qui ſic fallunt ægrotos. Et tamen ſi nihil hîc aliud quàm nugatus fuiſſem, uidebantur laturi: nunc quoniam præter linguæ politiem inſperſi quædam, quæ mentem inſtruant ad religionem, calumniantur, ac perinde quaſi dogmata Chriſtianæ profeſſionis hîc ſeriò pronuntientur, ita ſyllabas etiam ad uiuum excutiunt. Id quàm faciant iniquè, magis erit perſpicuum, ubi declararo colloquiorum aliquot non uulgarem utilitatem. Vt enim omittam tot ſerias ſententias medijs iocis admiſtas, tot fabulas, tot hiſtorias, tot rerum naturas dignas cognitu: In colloquio de uiſendo loca ſacra, cohibetur ſuperſtitioſus & immodicus quorundam affectus, qui ſummam pietatem eſſe ducunt uidiſſe Hieroſolymam, & huc per tanta terrarum mariſq; ſpatia currunt ſenes epiſcopi, relicto grege, qui curandus erat: huc uiri principes relicta familia ac ditione: huc mariti relictis domi liberis et uxore, quorum moribus ac pudicitiæ neceſſarius erat cuſtos: huc adoleſcentes ac fœminæ, non ſine graui diſcrimine

discrimine morum & integritatis. Quidam etiam iterum atq; iterum recurrunt, nec aliud faciunt per omnem uitam, & interim superstitioni, inconstantiæ, stultitiæ, temeritati prætexitur religionis titulus, ac desertor suorum contra doctrinam Pauli, sanctimoniæ laudem aufert, ac sibi quoq; pietatis omnes numeros expleſſe uidetur. Paulus 1. Timo. 2. intrepidè pronuntiat: Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Atqui hîc Paulus loqui uidetur de uiduis, quæ liberos atque nepotes negligunt, idq; prætextu religionis, dum seſe mancipent obsequijs ecclesiæ. Quid dicturus de maritis, qui destitutis teneris liberis, uxore iuuencula, idq; in re tenui, proficiscuntur Hierosolymam? Ex multis unicum exemplum proferam, nec tam recẽs, ut metuenda sit inuidia: nec tam uetus, quin nepotes supersint, quos damni magnitudo non sinit obliuiſci rei gestæ.

Vir quidam præpotens decreuerat ante morẽ inuisere Hierosolymam, pio quidem animo, sed parum felici consilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omnium, uxoris, quam grauidam reliquit, oppidorum & arcium curam tutelamq; commisit Archiepiscopo, ceu parenti. Vbi rumor allatus est, hominem in ea peregrinatione periſſe, Archiepiscopus pro parente geßit prædonem, occupauit poſſeßiones omnes defuncti: denique & arcem munitionem, in quam grauida confugerat, ui expugnauit: & ne supereſſet ultor atrociſſimi facti, grauida confoſſa simul cum fœtu perijt. Non'ne pium erat, tali uiro dissuadere periculosam & non neceſſariam profectionem? Huius generis quàm multa comperiantur exempla, cæteris

ris æstimandum relinquo. Ne quid interim dicam de fumptibus, quos ut fateamur non omnino perire, tamen nemo prudens non fatebitur, in usus longè meliores expendi potuisse. Quod autem ad religionem attinet, diuus Hieronymus laudat Hilarionem, quòd cum esset Palæstinus, & in Palæstina uiueret, tamen semel duntaxat uiserit Hierosolymam, ob loci uiciniam, ne uideretur contemnere loca sacra. Si meritò laudatus est Hilarion, quòd abstinuit ab Hierosolyma, tam uicinus, ne Deum angusto loco claudere uideretur: sed tantùm adierit, ob loci propinquitatem, ne quos offenderet: quid dicendum de his qui ex Anglia & Scotia tantis impendijs per tot discrimina petunt Hierosolymam, præsertim domi relictis charissimis, quibus iuxta doctrinam Apostoli debent perpetuam curam? Clamat sanctus Hieronymus, Non magnum est Hierosolymis fuisse, sed bene uixisse magnum est. Et tamen ætate Hieronymi probabile est, euidentiora uestigia ueterum monumentorũ extitisse, quàm nunc extant. De uotis disputationem alijs relinquo, tantùm hoc agit colloquium, ne quis temere talia uota suscipiat: id esse uerum declarant hæc mea uerba: Præsertim quum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos & familiam quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alebatur: & cætera quæ sequuntur. De uotis igitur susceptis nihil dicam, nisi quòd si summus essem Pontifex, non admodùm grauatè relaxarem obstrictos. In suscipiendis, quemadmodum fateor fieri posse, ut aliquis cum fructu pietatis eat Hierosolymam: ita non dubitarem multis ex rerum circunstantijs dare consilium, ut

eas

eas impensas, tempus, operam insumerent in alia quæ propius conducunt ad veram pietatem. Hæc arbitror esse pia, eoq; considerata multorum uel leuitate, uel ignorantia, uel superstitione, uisum est super ea re monere iuuentutem: neq; uideo quos offendere debeat hæc admonitio, nisi forte quosdam istos, quibus charior est quæstus, quàm pietas.

Nec illhic damno Pontificias indulgentias, aut diplomata, sed taxo nugacissimum nugatorem, qui ne cogitans quidem de corrigenda uita, totam spem collocarit in condonationibus humanis. Hìc si quis mihi consideret, quanta iactura pietatis nata sit inter mortales, partim ex eorum uitio, qui prostituunt Pontificias indulgentias, partim eorum culpa, qui illas secus, quàm oportet accipiunt, fatebitur operæpretium iuuentutem super hac re commonitam esse. Verùm hoc modo parum consultum est commissionarijs. Audio, ô bone, si uiri boni sunt, gaudebunt esse monitos simplices: sin potior est illis quæstus, quàm pietas, ualeant.

In colloquio de captandis sacerdotijs taxo eos, qui Romam cursitant, uenanturq; sacerdotia, crebrò graui iactura tum morum, tum pecuniæ, eoq; deduco sermonem ut sacerdos pro concubina, lectione bonorum autorum semet oblectet.

In militis confessione, taxo facinora militum, & impiam militum confessionem, ut adolescentes ab eiusmodi moribus abhorreant.

In monitis pædagogicis doceo puerum uerecundiam ac mores ætati decoros,

In pietate puerili, non'ne pijs præceptis imbuo puerilem animum ad studium pietatis? Nam quod quidam arrodebant de confessione, mera fuit calumnia, cui iampridem respondi. Doceo confessionem esse suscipiendam perinde quasi nobis esset instituta à Christo. Cæterum an id sit factum, nec refellere est animus, nec asseuerare, quod nec mihi satis persuasum est, nec alijs probare possim. Quòd autem admoneo de genere uitæ serò deligendo, deq; seligendo sacerdote cui committas arcana tua, iudicabam adolescentibus esse necessarium, nec uideo quur me debeat pœnitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes. Fortassis erunt, sed meliores. Idem probabit quisquis uerè monachus est. Porrò qui uenantur proselytos uel ad prædam, uel ob superstitionem, dignissimi sunt qui omnibus omnium scriptis traducantur, quo resipiscant.

In conuiuio prophano non damno constitutiones ecclesiæ de ieiunijs, ac delectum ciborum, sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt quàm oportet, negligentes eorum, quæ magis faciunt ad pietatem: damnoq; eorum crudelitatem, qui hæc exigunt ab his, à quibus ecclesiæ mens non exigit. Item eorum præposteram sanctimoniam, qui ex huiusmodi rebus condemnant proximum. Hic si quis reputet quanta uerè pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur uix aliam admonitionem esse magis necessariam: sed hac de re copiosius aliàs respondebimus.

In conuiuio religioso quum omnes faciam alienos à sacris, omneis coniugatos, satis doceo quale debeat esse conuiuium omnium Christianorum. Ad quam formam si

sacerd

sacerdotes quidam & monachi conferant sua conuiuia, intelligent quantùm absint ab ea perfectione, qua conueniebat illos laicis antecellere.

In apotheosi doceo quantum honoris debeatur egregijs uiris, qui suis uigilijs bene meriti sunt de liberalibus studijs.

Sunt inepti, quibus colloquium proci & puellæ uideatur lasciuum, quum nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestum est. Atq; utinam omnes proci tales essent, qualem hic fingo, nec alijs colloquijs coirent matrimonia. Quid facias istis ingenijs tetricis, & ab omnibus Gratijs alienis, quibus impudicum uidetur quicquid amicum est ac festiuum? Hæc puella negat proco discessuro osculum, quò totam uirginitatem illi seruet illibatã. Quid autẽ nunc uulgò nõ dant puellæ procis? Déinde non uident quàm multa philosophica sint inspersa iocis, de non præcipitando coniugio, de delectu non solùm corporum, sed multò magis animorum, de firmitate coniugij, de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum, de castè colendo matrimonio, de sanctè educandis liberis: postremò puella comprecatur Christum, ut illius auspicijs sit felix connubium. An hæc non conuenit scire iuuenes? Et qui hanc lectionem ob lasciuiam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Pogij. Præclara iudicia.

In uirgine misogamo detestor eos, qui adolescentes aut puellas inuitis parentibus pelliciunt in monasterium, abutentes illorum uel simplicitate, uel superstitione, persuadentes eis non esse spem salutis extra monasteria. Nisi ta-

libus piscatoribus plenus est mundus, nisi innumera felicissima ingenia per istos infelicissimè sepeliuntur ac defodiuntur uiua, quæ fuissent electa uasa domini, si iudicio sumpsissent institutum naturæ congruens, non rectè admonui: at si quando cogar in hoc argumento proferre quod sentio, sic depingam & plagiarios illos, & ipsius mali magnitudinem, ut nullus non fassurus sit me non sine causa hæc monuisse: quanquàm ciuiliter id quidem à me factum est, ne malis daretur ansa delinquendi.

In proximo colloquio, non induco uirginem quæ professa mutarit institutum, sed quæ ante peractam professionem redierit ad parentes quos habebat optimos.

In mempsigamo sunt quàm multa philosophica, de celandis maritorum uitijs, de non interrumpenda coniugum beneuolentia, de sarciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus, de obsequijs erga maritos. Quid aliud docet Plutarchus, Aristoteles, & Xenophon, nisi quod hìc personæ uitam quandam addunt orationi?

In colloquio militis & Carthusiani, simul depingo & insaniam iuuenum qui procurrunt ad bellum: & pij Carthusiani uitam, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In pseudocheo depingo quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendum, quo quidem hominum genere nihil execrabilius: utinam esset rarius.

In colloquio adolescentis & scorti, non'ne & lupanaria facio casta? Quid autem dici potuit efficacius, uel ad inserendam adolescentũ animis pudicitiæ curam, uel ad reuocandas ab instituto non minus ærumnoso quàm turpi

puellas

puellas ad quæstū expositas? Vnica uox cōmouit quosdā, quòd impudica puella blandiens adolescenti uocat illum suam mentulam, quum hoc apud nos uulgatissimū sit etiam honestis matronis. Hoc qui ferre non potest, pro mea mentula scribat, mea uoluptas, aut si quid aliud mauult.

In conuiuio poëtico doceo, cuiusmodi debeat esse conuiuium inter studiosos, parcum, sed festiuum & hilare, conditum literatis fabulis, sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio.

In inquisitione doceo summam catholicæ professionis idq; aliquāto uiuidius ac liquidius quàm docent Theologi quidam magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quem interim honoris causa nomino. Ideo porrò fingo personam Lutherani, quò facilius redeant in cōcordiam, inter quos de præcipuis articulis oxthodoxæ professionis conuenit. Etiam si reliquam inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratissima tempora.

In senili colloquio quàm multa uelut in speculo exhibentur, quæ uel fugienda sunt in uita, uel uitam reddunt tranquillam? Hæc præstat adolescentes ex festiuis colloquijs quàm experimentis discere. Socrates philosophiam è cœlo deduxit in terras, ego philosophiam etiam in lusus, confabulationes & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Christianorum sapere philosophiam.

In ptochoplusijs quàm multa sunt, ad quæ pastores rusticani, rudes & indocti, nihilq; minus quàm pastores possint suam uitam corrigere? Prætereaq; ad tollendam stultam gloriam uestium, rursus ad coërcendam illorum insaniam, qui monachorum cultum execrantur, quasi per

se mala uestis. Et obiter describitur forma, quales debeant esse monachi, qui per uicos obambulant. Neque enim admodùm multi tales sunt, quales hìc describo.

In eruditæ puella, simul & Paulæ, Eustochij, Marcellæ, uetus exemplum renouo, quæ cum integritate morum coniunxerunt studium literarum, & monachos Abbatesq; sacrorum studiorum osores, luxui, otio, uenationibus, aleæq; deditos, puellæ coniugatæ exemplo extimulo ad aliud studiorum genus ipsis magis congruens.

In spectro detego technas impostorũ, qui credulis simpliciũ animis solent illudere, fingẽtes apparitiones dæmonum & animarũ, uocesq; diuinas. Quantam uerò pestem hæ præstigiæ inuexerunt pietati Christianæ? Quoniam autem rudis ac simplex ætas huiusmodi fraudibus potissimum est obnoxia, uisum est exemplo non inamœno depingere modum impostura. Sic impositum fuit Cælestino Pont. Romano. Sic Bernæ delusus iuuenis à monachis. Sic commentitijs oraculis & hodie plurimi deluduntur.

Nec minima pars humanarũ calamitatum est Alcumistica, quæ doctis etiã & cordatis uiris imponit, adeò morbus hic adlubescit, si quẽ corripuerit. Huic affinis est Magia, eodem nomine, sed cognomine blandiens naturalis. Similes impostura taxo in Hippoplano, & Ptochologia, rursus in conuiuio fabuloso. Ex his si nihil aliud discerent pueri, quàm Latinè loqui, quãtò plus laudis mea meretur industria, qui per lusum ac uoluptatem id facio, quàm illorũ, qui miseræ iuuentuti Mammethreptos, Brachylogos, Catholicontas, & significandi modos obtrudebant?

In puerpera, præter naturalium rerum cognitionem,

quàm

quàm multa sunt moralia de cura matrum erga liberos, primùm infantes, mox grandiores.

In peregrinatione religionis ergò, taxo istos, qui per tumultum eiecerunt omnes imagines è templis: rursus eos qui insaniũt in peregrinationes quæ suspiciuntur prætextu religionis, unde iam & sodalitates inuentæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerũt, equites aurati uocantur, séq; fratres uocant, & in die palmarũ seriò rem agunt ridiculam, fune trahentes asinum, ipsi non multũ differentes ab asino ligneo quem trahunt. Id imitati sunt qui Compostellam adierunt. Dentur hæc sanè, dentur affectibus hominum, at non ferendum quòd hinc sibi uindicant pietatem. Notantur & ij, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuunt quàm oportet, qui quæstum ex his sordidè faciunt.

In ichthyophagia tracto quæstionem de cõstitutionibus humanis, quas quidam prorsus reijciunt, multũ aberrantes à recta ratione, quidam propemodum anteponunt diuinis legibus: rursus alij abutuntur & diuinis, & humanis constitutionibus ad quæstum ac tyrannidem. Cogor itaq; partem utranq; ad moderationem temperare, inquirens unde natæ sint, et quibus gradibus huc usq; progressæ cõstitutiones humanæ, quos & quatenus obligent, ad quid conducant, quantum distent à diuinis, obiter indicans præpostera mortaliũ iudicia, quibus iam olim mundus plenus est, & unde totus hic orbis tumultus natus est. Hæc ideo quoq; tractaui copiosius, quòd doctis suppeditarem occasionẽ accuratius hisce de rebus scribendi. Nam quæ adhuc prodierunt, non satis faciunt curiosis. Tradu-

cere ſcortationem, temulentiam, adulterium, non perinde ad rem pertinebat, quandoquidem hæc mala nullum fallunt: ſed ex his eſt periculum ueræ pietatis, quæ uel non ſentiuntur, uel ſanctimoniæ fallaci ſpecie blandiuntur. Quòd ſi quis calũnietur, perſonis ſordidis affingi Theologicam diſputationem, ab his talia nunc in omnibus conuiuijs diſputantur, & huiuſmodi perſonis opus erat familiarius craßiusq; rem tractaturo.

In funere, quoniam mors arguere ſolet Chriſtianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diuerſum mortis genus, uelut imagine uiua ponens ob oculos diſſimilem exceſſum eorum qui fidunt rebus commentitijs, & qui ſpem ſalutis fixerunt in miſericordia domini, obiter taxans diuitum ſtultißimam ambitionem, qui luxum, ac ſuperbiam ſuam & ultra mortem proferunt, quam mors ſaltem debebat auferre: ſimul eorum perſtringens uitium, qui ſui compendij gratia ſtultitia locupletũ abutuntur, quam ipſi potißimam debebant corrigere. Quis enim audebit liberè monere potentes ac diuites, ſi monachi, qui ſe profitentur mundo mortuos, palpantur illorum uitijs? Si nulli tales ſunt, quales deſcripſi, tamen oſtenſum eſt exemplum quod oportet uitari: ſin uulgò referuntur longè his quæ propoſuimus execrabiliora, qui ſunt æqui meam agnoſcant ciuilitatem, ſuumq; uitium corrigant, & ſi uitio uacant ipſi, alios peccantes uel emendent, uel coërceant. Nullum ordinem perſtrinximus, niſi fortè totum Chriſtianiſmum infamat, qui quidquam monendi gratia dixerit in corruptos Chriſtianorũ mores. Quos tantopere mouet honos ordinis, eos in primis compeſcere debebant

bant, qui palàm factis suis dehonestant ordinem. Nunc quũ illos ut germanos sodales agnoscãt, foueant ac tueantur, qua fronte causantur à bene monente lædi existimationem ordinis? Quanquàm quæ ratio dictat, sic habendam huius aut illius humanæ sodalitatis rationem, ut publicam Christianorum utilitatem negligas?

In differentia uerborum ac rerum, taxo præpostera quorundam iudicia.

In conuiuio uario, cõmonstro rem ciuilitati congruam.

In Charonte detestor bellum inter Christianos.

In synodo Grammaticorum rideo studium cuiusdam Carthusiani, suo iudicio doctißimi, qui quũ in Græcas literas soleat stolidißimè debacchari, nũc libro suo indiderit Græcũ titulũ, sed ridiculè, Anticomaritas dicens, quos appellare poterat Antimarianos, uel Antidicomarianos.

In Cyclope taxo quosdam qui Euãgelium semper habent in ore, quum in uita nihil sit Euangelicum.

In coniugio impari, pono ob oculos uulgi stultitiam, qui in sponsalibus supputant dotis modum, nec ad rationem uocant sponsi scabiem lepra deteriorem. Atq; id hodie fit tam paßim, ut nemo miretur, quum nihil sit in libe ros crudelius.

In ementita nobilitate depingo genus hominũ, qui sub umbra nobilitatis existimant sibi nihil non licere, quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In senatulo traducturus eram uitia quædã mulierum, sed ciuiliter, ne quis expectet tale quippiam, quale habet Iuuenalis: uerùm hoc agenti, obortus est quidam ἴππος ἄνιππος, lupus, ut aiunt, in fabula. Reliqua ferè com-

parata sunt ad uoluptatem, sed non illiberalem. Non hoc est dehoncstare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & priuatim, & publicè rectius cōsultum fuerit, si deposita quiduis calumniandi rabie candidis animis amplectamur omnes, quicquid pio studio in publicā utilitatē adfertur. Alijs aliæ sunt dotes, & alios alia capiūt, milleq; modis homines trahuntur ad pietatem. Laudatum est Iuuenci studium, qui sacram Euangeliorum historiam carmine prodidit. Nec sua laude fraudatus est Arator, qui idem fecit in Acta apostolorum. Aduersus hæreticos tubā intēdit Hilarius, argutatur Augustinus, Hieronymus dialogis pugnat. Prudētius uario metri genere dimicat, Thomas & Scotus dialectices ac philosophiæ præsidijs pugnat. Simule studium omnium, sed dissimilis singulorū ratio. Non reprehenditur diuersitas, quæ scopum eundē petit. Prælegitur pueris Petrus Hispanus, quò dociliores ueniant ad Aristotelem. Multùm enim promouit, qui gustū dedit. Atqui hic libellus, si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poēticen, ad rhetoricen, ad phisicen, ad ethicen, demum ad ea, quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti personam susceperi, factus ipse mearum rerum encomiastes: sed huc me compulit, partim quorundam improbitas nihil non calumniantium, partim Christianæ iuuentutis utilitas, in quam oportet omnes omnibus studijs incumbere.

Hæc ita quum habeant, omnibusq; qui literas didicerunt perspicua sint, est tamen quoddam hominum genus mirè bliteon, deputatos appellāt Galli, opinor quòd malè putati sint, aut certè plus satis putati, qui sic pronunciant

de meis

de meis colloquijs, opus esse fugiendum præsertim monachis, quos illi religiosos appellant, & adolescentibus, eò quòd ieiunia, & abstinentiæ ecclesiæ parui penderentur, beatæ Virginis & sanctorum pro ludibrio haberentur suffragia, uirginitas si coniugio conferatur, nullius esse aut parui momenti: religionis etiam dissuaderetur omnibus ingressus: quodq; in eo arduæ difficilesq; Theologiæ quæstiones grammaticulis proponãtur, contra statuta per magistros in artibus iurata. Agnoscis mi lector Atticam eloquentiam. Vt ad postremum primo loco respondeam, quid artium magistri proponant grammaticulis, nescio: quæ tractantur in colloquijs, de symbolo, de missa, de ieiunijs, de uotis, de confessione, nihil habent Theologicæ difficultatis, sed eius generis sunt, ut non oporteat ea quenquam nescire. Et si pueris præleguntur epistolæ Pauli, quid periculi est, si gustus quidã illis præbeatur Theologicæ disputationis? Ad hæc quum nõ ignorent pueris sophistices candidatis perplexas de personis diuinis statim quæstiones summæ difficultatis proponi, ne dicam otiosæ subtilitatis, cur nolunt pueros hoc discere, quod ad communem uitam pertinet? Iam si putãt nihil referre, quid sub qua persona dicatur, intelligunt, opinor, quàm multa comperiantur in Euangelicis & apostolicis literis, quæ secundum hanc legem manifestam habent blasphemiam. Multis locis approbo ieiunium, nusquam damno. Qui secus asseuerat, eum declarabo impudentissimè mentiri. Sed in pietate puerili, inquiunt, leguntur hæc uerba. Cum ieiunio mihi nihil est negotij. Finge hec uerba dici sub persona militis aut temulenti, num protinus

Eras

Erasmus damnat ieiunia? Non opinor. Nunc dicitur ab adolescente nondum adulto, quam ætatem lex non obstringit ad ieiunandum: & tamen is adolescens præparat se ad iusta ieiunia. Sic enim subijcit, Sed tamen si sensero opus, prandeo cœnóq; parcius, quò me præbeam alacriorem studijs pietatis per diem festum.

Abstinentias uerò quàm damnem, declarãt hæc uerba quæ sunt in conuiuio profano. In plerisque non res, sed animus discernit nos à Iudæis. Illi manum abstinebant à certis cibis, uelut ab immundis & animum inquinaturis: Nos quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lasciuienti uelut equo ferocienti pabulum subducimus, quò magis sit audiens dicto spiritui. Nonnunquam immoderatum suauium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. Paulò pòst redditrationẽ quare ecclesia interdixerit esum quorundam ciborum, Omnibus, inquit, cõducet. Nam tenuibus cochleis aut ranis licebit uesci, aut cæpas, porrum'ue arrodere, mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsonijs: quòd si quid diuites delicientur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent ecclesiæ constitutionem. Mox loquor his similia. Rursus aliquantò pòst: Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum, sed secus uisum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. Inibi protinus doceo hîc uitandum etiam offendiculum infirmorum.

Aeque falsum est, in colloquijs irrideri suffragia beatæ Virginis & aliorum sanctorum, sed illos irrideo qui petunt à sanctis, quæ non auderent à bono uiro petere, aut hoc animo petunt à certis diuis, quasi hoc aut illud hic

aut

aut ille citius uelit, aut posit præstare, quàm alius, aut quàm ipse Christus. Imò in puerili pietate, sic loquitur puer. Salutem dixi nonnullis. Quibus? Christo ac diuis aliquot. Et aliquantò pòst: Rursus tribus uerbis saluto Iesum, ac diuos diuasq; omnes, sed nominatim Virginem matrem, tum eos quos habeo mihi peculiares. Et infrà cõmemorat nominatim quos diuos salutet quotidie.

Mirùm uerò si procus amans laudat nuptias, dicitq; castum coniugium non multùm abesse à laude uirginitatis, quum Augustinus patriarcharum polygamiam anteponat nostro cœlibatui.

Quod obijciunt de ingressu religionis, quàm sit manifestæ uanitatis, declarant mea uerba in uirgine misogamo: sic enim loquitur uirgo: Damnas igitur hoc totum uitæ institutum? Respondet iuuenis, Nequaquàm, uerùm quemadmodum nemini suaderi uelim, ut quæ se in hoc uitæ genus coniecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temerè eò præcipitent, unde pòst sese non possint explicare. Hæc est illius colloquij conclusio, uteunq; certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis? Non damnatur ingressus, sed præceps temeritas damnatur. Hæc igitur malitiosè detorquent ad calumniam. At non perpendunt quàm multa illhic discunt grammaticuli, quæ pugnant cum decretis Lutheranorum.

In puerili pietate traditur ratio bene & utiliter audiẽdi missam. Docetur ratio bene & efficaciter confitendi. Admonetur puer ut antè quàm sumat eucharistiam, confessione purget animum. Ibidem docentur grammaticuli,

quæ

quæ recepta sunt usu populi Christiani, quum tamen in sacris literis non habeantur, hactenus esse seruanda ne cui simus offendiculo.

In prophano conuiuio docentur, magis obtemperandum pontificum constitutionibus, quàm medicorum consilijs: tantùm admonentur, in necessitate cessare uigorem constitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidem probat quispiam benignitatem in monachorum collegia, modò detur ad usum, non ad luxum, & potissimum detur religionis disciplinam obseruantibus.

De constitutionibus humanis hæc pronuntiantur in colloquio ἰχθυοφαγίας. Pugnent qui uolent, ego censeo leges maiorum reuerenter suscipiendas & obseruandas religiosè, uelut à Deo profectas, nec esse tutum, nec esse piũ, de potestate publica sinistram concipere aut ferere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad pietatem, satius est ferre, quàm seditiosè reluctari. Huiusmodi permulta grammaticuli discunt ex meis colloquijs, quibus sic obmurmurant isti. Sed indecorum est Theologum iocari: saltem hoc mihi concedant apud pueros, quod ipsi permittunt sibi uiri apud uiros in uesperijs, ut uocant, rem insulsam insulso uocabulo.

Insulsas calumnias, quas in Hispanijs obiecere quidam, ut ostendi mera esse somnia hominum, nec sobriorum, nec Latinè scientium. Nec minus indoctum est, quod quidam pronuntiauit hæreticè dictum, quòd in symbolo pater dicitur simpliciter autor omnium. Verùm is deceptus inscitia Latini sermonis, existimat autorem nihil aliud quàm creatorem aut fabricatorem significare. Atqui si consulat

eos

eos qui callent elegantiam Romani sermonis, si euoluat Hilarium aliosq; uetustos autores, comperiet autoritatē accipi pro eo quod scholastici uocant rationem perfectissimam principij, eoq; patri peculiariter tribuunt, & autoris nomine sæpe designant patrem, quum personas inter se conferunt. An pater recte dicatur causa filij, nihil mea refert, quum nunquam eo uerbo sim abusus, nisi quòd illud est uerissimum, nos de Deo non posse loqui nisi uerbis improprijs, nec magis propriū uerbum est fons, aut principium, aut origo quàm causa.

Iam hinc mihi perpende lector quales sint interdum, qui suis sententijs homines pertrahunt ad incendium. Nihil turpius quàm reprehendere quod non intelligas. At istā quiduis calumniandi febris, quid aliud gignit quàm amarulentiam ac dissidia? Quin potius aliena candidè interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi uelimus, nec eorum iudicia pro oraculis ducamus, qui quod legunt non intelligunt. Vbi in consilio est odium, ibi cæcum est iudicium. Pacificator uniuersorū spiritus, qui suis organis uarijs utitur modis, faciat nos omnes concordes & unanimes in sana doctrina, sanctisque moribus, quò contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit ulla dissidia, consortium peruenire. Amen.

Anno M. D.
XXVI.
XII. Cal. Iunias,
Basileæ.

INDEX COLLOQVIORVM.

Abbatis & eruditæ pagina 301
Ἀγαμος γάμος 512
Alcumistica 323
Amicitia 631
Apotheosis Capnionis 160
Ἀπροσλούτος 530
Ars notoria 569
Ἀσφαλισμὸς 540
Charon 501
Conuiuiũ fabulosum 340
Conuiuiũ poëticum 240
Conuiuiũ profanum 82
Conuiuium religiosum 115
Concio siue Merdardus 572
Copiæ compendium 108
Cyclops 524
Deambulatio 19
De captandis sacerdotijs 32
De itinere 18
De rebus ac uocabulis 496
De ualetudine 13
De uotis temere susceptis 29
Diluculum 557
Diuersoria 228
Echo 488
Epicureus 652
Epithalamium Petri Aegidij 306
Euntes in ludum literarũ 66
Exequiæ Seraphicæ 615
Exorcismus 312
Funus 468
Γεροντολογίαι 271
Herilia iussa 39
Hippoplanus 330
Impostura 523
Inquisitio de fide 258
Ἰχθυοφαγία 410
Ἱππότης ἀνίππος 532
Lusus pueriles 44
Militis & Carthusiani 208
Monitoria pædagogica 42
Naufragium 219
Νηφάλιον συμπόσιον 664
Opulentia sordida 603
Percontantis domestica 19
Percontantis de uarijs 12
Percontantis reducem 18

Peregrinatio 377
Philodoxus 590
Pictas puerilis 53
Πολυδακτία 490
Problema 644
Proci & puellæ 168
Pseudochei & Philetymi 215
Πτωχολογία, 335
Πτωχοπλούσιοι Franciscani 286
Puerpera 356
Senatulus 550
Scorti & adolescentis 235
Synodus grãmatic. 506
Venatio 65
Virgo μισόγαμος, id est, abhorrens à nuptijs 180
Virgo pœnitens 190
Vxor μεμψίγαμος. 198

LVGDVNI APVD SEBASTIANVM GRYPHIVM,
1542

B. U. G.
Syst. Catal.
1969

12 m 255.067 Qg-

UYS
97 65